PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

DU MÊME AUTEUR

Droits et devoirs des Curés et des Vicaires paroissiaux. — Un volume in-12, de 450 pages. — *Beauchesne, Paris.* — *Prix : 8 francs.*

Cantiques religieux populaires. — Recueil de 50 compositions nouvelles, adaptées à d'anciennes mélodies bretonnes, à l'usage des écoles chrétiennes, des Catéchismes et des réunions paroissiales. — *Librairie Salaun. — Le Goaziou successeur, rue Saint-François*, 7, *Quimper.*

Édition in-8° avec *accompagnement d'orgue ou harmonium*, dû à la précieuse collaboration de M. Charles Quef, l'éminent organiste de la Trinité, à Paris. — *Prix : 6 fr. 50.*

Édition ne contenant, avec les paroles, que la *mélodie seule* sans accompagnement. — *Prix : 1 fr. 75.*

Chants des Offices paroissiaux. — Ce volume in-12, de 820 pages, emprunte aux éditions vaticanes du Graduel et de l'Antiphonaire tout ce qui répond au service ordinaire des paroisses. — Il est précédé d'une Méthode de chant grégorien, et complété par une sélection de nombreuses pièces grégoriennes pouvant servir aux Saluts du Très-Saint-Sacrement. — *Ce livre se recommande par sa belle ordonnance typographique et la clarté de sa notation. — Librairie Le Goaziou, rue Saint-François, 7, Quimper.*

Manuel paroissial. — Extrait du précédent recueil, à l'usage des enfants de chœur et des fidèles qui veulent suivre les chants ordinaires de la Messe et des Vêpres. — *Un vol. in-12 de 270 pages. — Relié, prix : 2 fr. 50. — Même librairie.*

Office des défunts. — Un vol. in-12 de 90 pages, où sont très clairement indiquées, pour tous les versets des Psaumes, les diverses cadences mélodiques. — *Relié, prix : 1 fr. 50. — Même librairie.*

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

AUCTORE

M. BARGILLIAT

EDITIO XXXIV
Ad Canones novi Codicis redacta

« Nulli sacerdotum liceat canones ignorare. »
(Can. 4, dist. 38.)

TOMUS PRIMUS

PARISIIS
APUD BASTON, BERCHE ET PAGIS
(olim BERCHE ET TRALIN)
Via dicta de Rennes, 69
1921

Nihil obstat.

Corisopiti, die 14 martii, 1920

Y. LE ROY,
censor lib.

Imprimatur.

Corisopiti, die 15 martii, 1920

† ADOLPHUS
Ep. Corisopiten. et Leonen.

PRÆFATIO

Promulgato, Benedicti XV auctoritate, novo juris canonici Codice jussu Pii X digesto, gratissimum fuit has *Prælectiones* legum ecclesiasticarum syllogæ, quæ unicum hodie juris canonici fontem exhibet, apprime componere.

Equidem provide cautum est ut, in omnibus ac singulis studiorum Universitatibus et juris canonici Lyceis, doctores, ipso Codicis ordine, ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretentur. Sed hujusmodi docendi discendique ratio nonnisi « in schola antehac *textus* aptissime nuncupata » urgere dicenda est, in qua scilicet « jus canonicum penitus copioseque prælegitur ». Huic autem accuratæ uniuscujusque canonis *analysi* prævia est *synthetica* alia methodus, communi alumnorum institutioni accommodata, cui providere non ab re visum est.

Præmissis igitur, in liminari tractatu, generalibus principiis quæ disciplinæ canonicæ præsunt et in sequentibus varias in species abeunt, ad paucas sectiones universa materia redacta est, ita ut ad titulos de personis plerumque contrahatur quiquid ad ipsas spectat, sive quoad jura et officia, sive quoad delicta et pœnas iisdem adnexas.

Leges civiles, in Gallia, de rebus quæ *mixtæ* dicuntur, equidem non semper cum juribus Ecclesiæ apte cohærentes, opportune tamen suo loco descriptæ sunt.

*

Et, licet iniqua lex Separationis fuerit a Summo Pontifice sollemni declaratione damnata, aliquas ejusdem partes cum adjectis adnotationibus referre necesse erat, tum ut luculenter appareat cur « nefasta lex » tolerari non potuerit, tum ut melius intelligatur quæ sit, apud nos, ad normam juris civilis, hodierna catholicæ Ecclesiæ conditio.

Italicis, ut aiunt, litteris indigitata sunt, in ipso etiam canonum textu, ea quæ, vel ad doctrinam recte intelligendam conferunt, vel ad rerum ordinem aptius præ oculis ponendum.

Index alphabeticus accurate descriptus est, ut studenti præsto sint quæcumque ad dubia solvenda conferant. Ideo, si quæstionis solutio in uno articulo ipsi non occurrat, non statim judicet eam omnino deesse, sed ope hujus Indicis exquirat utrum ad alium non sit remissa.

Corisopiti, die 15 jan. 1918.

MICHAEL BARGILLIAT.

INDEX

HUJUS VOLUMINIS

TRACTATUS I

DE PRINCIPIIS ET FONTIBUS JURIS CANONICI

TRACTATUS II

DE CLERICIS IN GENERE

TRACTATUS III

DE ROMANO PONTIFICE ET CURIA ROMANA

TRACTATUS IV

DE EPISCOPO ET SYNODIS EPISCOPORUM

TRACTATUS I

DE PRINCIPIIS ET FONTIBUS JURIS CANONICI

Ubi, præmissa notione juris canonici, — agendum est : de natura Ecclesiæ, ejusque gradu præ societate civili ; — de vera ejus constitutione ; — de iis quæ *generatim* spectant ad potestatem ipsi divinitus collatam, ideoque de ejus potestate legislativa, judiciaria et coactiva ; — et de jurisdictione ecclesiastica, tum ordinaria, tum delegata.

CAPUT I

DE NOTIONE JURIS CANONICI

Videlicet : de notione juris in genere ; — de natura juris ecclesiastici ; — de ejus divisione ; — de utilitate et necessitate scientiæ juris canonici.

ARTICULUS I

DE NOTIONE JURIS IN GENERE

1. **I. Nomen juris** *multiplici sensu* passim usurpatur.

a) Significat *id quod justum est,* æquum, seu rationi divinæque et humanæ legi consentaneum.

Accipitur pro ipsa *sententia judicis (jus dicere) ;* imo, et pro *loco* in quo judicia aguntur, ut quando dicitur aliquis *in jus vocari.*

Usurpatur et pro *legitima facultate* aliquid agendi vel omittendi, aut obligandi alterum ad aliquid faciendum vel omittendum.

Sæpe idem sonat ac *scientia juris ;* hoc sensu dicitur quis studere juri civili, vel canonico, id est scientiæ civilis aut canonici juris.

b) Sumitur tandem, et *præcipue* apud nos, eodem sensu ac *lex (jussum)*, seu *legum complexio*.

Sic dicitur *Corpus juris*, seu *Codex juris canonici*, id est collectio legum ecclesiasticarum ; item *ignorantia juris* dicitur laborare qui legem ignorat. — *Bouix, De princip.*

2. **II. Jus dividitur** in essentiale seu *naturale*, et accidentale seu *positivum*.

a) *Jus naturale* consistit in iis legibus seu obligationibus quæ ita necessario fluunt ex Dei et creaturarum natura, ut non possint non existere ; et naturæ hominum ita congenitum est, ut cuilibet rationis capaci principia ejusdem innotescant. — *Cf. epist. ad Rom.*, II, *15*.

Unde, jus naturale *formaliter* est *immutabile*. Attamen *materialiter* jus naturale mutari potest, si objectum circa quod versatur, per certas circumstantias, recipiat mutationem.

b) Jus *positivum* complectitur leges libera sive *Dei* sive *hominum* voluntate constitutas, ideoque subdividitur in *divinum* et *humanum*.

Cum ex intrinseca ratione et exigentia objecti non pendeat, sed ex libera voluntate legislatoris, *mutari* potest pro variis temporum, locorum et personarum adjunctis. Inde fit ut quæ sunt juris tantum positivi, ideo sint bona quia *præcepta*, ideo mala quia *prohibita ;* dum, e contra, quæ sunt juris naturæ ideo sint præcepta quia *bona*, ideo prohibita quia *ex se mala*.

3. **III. Jus divinum positivum :**

a) Est illud quod Deus, primum in *veteri Testamento*, tum per Angelos, tum per Moysen et Prophetas, electo Hebræorum populo tradidit, ut ad finem æternæ beatitudinis, per fidem in Christum venturum obtinendæ, disponeretur.

b) Sed, veteri lege abrogata, jus novum Christus Dominus, Deus simul et homo, in *novo Testamento* condidit, et, vel per seipsum, vel per Apostolos promulgavit.

4. **IV. Juris humani** triplex distinguitur species, nempe : jus *ecclesiasticum*, jus *civile*, et jus *gentium*.

a) Jus *ecclesiasticum* seu canonicum et jus *civile*, tum ratione *originis*, tum ratione *objecti*, tum ratione *finis*, inter se differunt.

1° Differunt *origine* : nam origo imperii civilis est a Deo ut auctore *naturæ ;* origo autem imperii ecclesiastici est a Deo ut collatore *gratiæ supernaturalis.*

2° Differunt *objecto :* quia jus ecclesiasticum *spiritualia* et *sacra* moderatur ; civile vero *politica* et *temporalia.*

3° Differunt denique *fine :* etenim jus ecclesiasticum *æternam* hominum beatitudinem præcipue spectat ; civile vero, *temporalem* eorum felicitatem. — *Soglia, Instit. juris publici, part. 1, § 4.*

b) Jus *gentium*, ex parte, naturaliter a Deo mentibus hominum inditum est, et *lumine rationis* innotescit. — Sed, necessitate vel utilitate humani convictus sic exigente, populi præterea, vel moribus, vel usu constanti, vel expressis verbis, in quædam mutua jura *convenerunt*, ad ipsorum felicitatem et commoditatem ordinata.

Ideo jus gentium *duplex* passim assignatur, *primarium* videlicet et *secundarium*. — *Reiffenstuel, Pr., § 2, n. 30.*

ARTICULUS II

DE NATURA JURIS ECCLESIASTICI

5. **I. Jus canonicum denominatur** a voce græca κανών, quæ respondet voci latinæ *regula.*

Porro, *quælibet lex* est regula, seu norma cui actiones liberæ conformari debent, ideoque leges etiam civiles canones appellari possunt. Sed, ex recepto usu, Jus ecclesiasticum *antonomastice*, scilicet ob suam præeminentiam respectu juris civilis, titulo juris *canonici* tanquam proprio insignitur.

Jus canonicum vocatur quoque jus *sacrum*, jus *Pontificium*, jus *ecclesiasticum*, quas denominationes trahit, tum ab auctore suo, tum a materia circa quam versatur, tum a fine ad quem dirigit. — Etenim,

6. **II. Jus canonicum est :** Complexio legum quas Summus Pontifex *proposuit*, *constituit*, aut *approbavit*, ut fideles ad finem Ecclesiæ proprium dirigantur.

a) Diximus « *quas Summus Pontifex* », quibus verbis indicatur *fons* seu Auctor juris canonici *stricte sumpti.* Jus enim canonicum accipi potest : tum *latiori sensu* quatenus complectitur omnes leges ecclesiasticas, etiam illas quas Prælati inferiores statuunt ; tum *strictiori* et apud canonistas frequentiori significatione, quatenus complectitur tantum leges ab Auctoritate suprema in bonum totius societatis christianæ firmatas.

b) Diximus « *proposuit, constituit,* aut *approbavit* », quæ tria simul ponuntur, ut accuratius determinetur *objectum* juris canonici, et *modus quo inducitur.*

Nam jure *naturali* vel divina *revelatione* plura innotescunt quæ tamen in jure ecclesiastico continentur, ob *propositionem* ab Ecclesia factam, et pœnas quibus ea sancivit. Et sunt alia, ex legislatione civili vel ex conciliis particularibus deprompta, aut etiam populi diuturnis moribus inducta, quæ ex *subsequenti* Summi Pontificis *approbatione* vim juris communis habent.

c) Diximus « *ut fideles ad finem Ecclesiæ proprium dirigantur* », quia leges non sunt ecclesiasticæ, nec proinde juris canonici rationem habent, nisi finem Ecclesiæ proprium, bonum scilicet spirituale fidelium, æternamque eorum beatitudinem spectent.

Ideo, ex. gr., leges quas Summus Pontifex tanquan *Princeps temporalis* statueret, non ad jus canonicum, sed ad civile pertinerent.

7. **III. Scientia juris canonici differt a Theologia, sive morali, sive dogmatica.**

Equidem fidei morumque tractatio, tum ad dogmaticam et moralem theologiam, tum ad jus canonicum pertinet. Verumtamen res *aliter* a theologia, *aliter* ab ecclesiastico jure *spectatur.*

a) Namque *Theologia dogmatica* de fide rebusque divinis universim disserit, ut statuat *regulam credendi ;* sed jus canonicum res fidei respicit, ut ex eis *agendi regulam* hauriat.

b) *Theologia moralis* veritates revelatas etiam sub adspectu practico considerat, sed internam sanctificatio-

nem individuorum, ideoque *forum internum*, primario spectat ; dum *jus canonicum* rationem habet officiorum quæ in societate ecclesiastica præstanda sunt, et idcirco regimen *sociale* Ecclesiæ *forumque externum* maxime intuetur.

c) Denique *jus canonicum* divinis legibus, sive fidem sive mores spectantibus, *addit* ecclesiasticas leges, aut etiam pœnas quibus improbi homines in officio contineantur. — *Soglia, loc. cit.*, § *3.* — *Cf. Phillips, Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux, Introd.*, § *5.*

ARTICULUS III

DE DIVISIONE JURIS CANONICI

8. **I. Ratione modi quo inductum est :** Jus canonicum dividitur in jus *scriptum* et jus *non scriptum.*

Jus scriptum est illud quod fuit in tabulis a legislatore consignatum, et debito modo promulgatum.

Jus non scriptum dicuntur traditiones et consuetudines vim legis habentes.

9. **II. Ratione objecti :** in *publicum* et *privatum.*

a) *Jus publicum* ea omnia exhibet quæ ad constitutionem societatis ecclesiasticæ pertinent, potestatemque ipsi collatam ; complectitur ideo *jura* et *officia* quæ ex *divina lege* competunt Ecclesiæ tanquam perfectæ societati.

Iterum Jus publicum dividitur in *internum*, quod scilicet absolutam in se considerat naturam et potestatem publicam societatis ecclesiasticæ ; et *externum*, quod relationes Ecclesiæ ad reliquas societates et jura inde profecta explicat.

b) *Jus privatum* singulorum Ecclesiæ membrorum jura et obligationes determinat.

Huic, communi et magis proprio sensu, nomen juris canonici et tradita definitio aptatur.

10. **III. Ratione subjecti :** in *commune* et *particulare.*

a) *Jus commune* dicitur quod viget pro Ecclesia universali ; et per se obligat, sive *omnes omnino* Christi fideles, sive omnes *ejusdem ordinis* et gradus, ex. gr. Religiosos.

Per accidens tamen, accedente scilicet legitimo titulo *dispensationis*, *privilegii*, aut *consuetudinis* legitime præscriptæ, possunt aliqui ab obligatione juris communis eximi.

b) *Jus particulare* est quod pro certo loco, aut certis tantum personis, latum est ; ideoque distinguitur in *patriarchale*, *primatiale*, *provinciale*, *diœcesanum*, etc., prout speciale est omnibus ecclesiis unius patriarchatus, aut alicui provinciæ ecclesiasticæ, aut diœcesi, etc.

Jus particulare, in his quæ juri communi adversantur, stare non potest absque aliquo Summi legislatoris assensu. — *Cf. n. 148, sq.*

11. IV. **Ratione temporis** : in *antiquum*, *novum* et *novissimum*. — Non eodem tamen modo computabant Auctores vicissitudines et successiones juris canonici. Promulgato autem, auctoritate Benedicti XV, Codice juris canonici jussu Pii X digesto, jus *antiquum* dicendum est quidquid per hunc novum Codicem jus *antiquatum* evasit.

ARTICULUS IV

DE UTILITATE ET NECESSITATE SCIENTIÆ JURIS CANONICI

12. **I. Scientia juris canonici latissime sumpta,** scilicet pro scientia aliquali, etiam tenuissima, juris canonici, *est cuilibet fidelium necessaria.*

Jus canonicum est complexio legum quibus Ecclesia, seu congregatio Christi fidelium, in corpus quoddam redigitur, et ad finem proprium dirigitur.

Nullum igitur est membrum hujus corporis, si vere membrum est, quod possit efficaciter per legem religari ad corpus, aut cum corpore ad finem dirigi, nisi *mediante cognitione legis*, ad quam obtinendam promulgatio legis instituta est. Ergo aliqualis, et respective competens, cuique fidelium, pro suo statu, necessaria est cognitio canonum, seu scientia latissime sumpta juris canonici. — *Instit. jur. can., auctore R. de M., Not. gen., cap. 5.*

13. **II. Scientia juris canonici proprie dicta,** scilicet accepta pro totali, moraliter saltem, ac aliquatenus erudita cognitione juris canonici, necessaria non est *cuilibet fidelium* ; bene tamen singulis in Ecclesia *animarum curam obtinentibus.*

a) Leges Ecclesiæ, pro majori parte, *clericos* eorumque officia respiciunt ; ergo fidelibus necessaria non est horum canonum cognitio quibus non obstringuntur.

Nec etiam *erudita* requiritur in ipsis cognitio juris quod ad eos spectat. — Etenim Fideles non sunt positi ad *docendum* in Ecclesia, sed ad *audiendum ;* neque ad ceteros ad finem dirigendos, sed ad obsequendum dirigentibus. Sufficit ergo ipsis illa scientia simplex et imperfecta quæ est ex auditu, non autem illa erudita requiritur quæ ex diuturno labore comparatur.

b) Curam autem populi habentes tenentur populum sibi creditum *erudire*, et legum ecclesiasticarum observantiam *procurare ;* debentque ad exigentiam canonum mores et ministerium suum *componere ;* ergo ipsi, competenti tamen servata proportione, pro gradus et ordinis cujusque diversitate, « solida sacrorum canonum scientia » indigent. — *Pii IX enc. Inter multiplices.* — *Cf. enc. Leonis XIII ad Episc. Galliæ, 8 sept. 1899*, § *Enfin pour achever.*

14. **III. Summa juris canonici scientia** ut apud *aliquos* in Ecclesia semper exsistat, sin minus absolute necessarium, *utilissimum* tamen ac valde optandum est.

Quia enim in singulis animarum Pastoribus scientia juris canonici requiritur aliquatenus *erudita*, imo in superioribus Prælatis *amplissima*, utilissimum est non deesse *Doctores* qui, huic studio dediti, in eo excellant, *aptique sint* ceteros, eos etiam qui ad majora Ecclesiæ officia promovendi sunt, erudire.

Hanc scientiam juris canonici summam ut procuret, quoad fieri potest, Ecclesia curavit excitari passim *Studia generalia*, seu *Universitates*, in quibus studio sacræ Theologiæ nec non Juris canonici incumberent viri selecti, apices utriusque vel saltem alterutrius scientiæ adepti. — *R. de M.*, *loc. cit.*

15. **IV. Apud ipsos etiam politicos et civiles Magistratus** desideranda est, imo quodammodo *necessaria*, scientia juris canonici, *maxime publici.*

Novimus enim Ecclesiam multis pollere juribus et immunitatibus quæ, maligne aut inscienter, a civili potestate possunt violari, et nimium frequenter, ut ex historia compertum est, conculcantur. Jam vero, ad observantiam istorum jurium, libertatum, privilegiorum, *prævia requiritur eorum cognitio* quam ipsa tradit scientia canonica. — *Ibid.*

CAPUT II

DE NATURA ECCLESIÆ, EJUSQUE GRADU PRÆ SOCIETATE CIVILI

Videlicet: de natura societatis in genere; — de natura Ecclesiæ, an sit societas perfecta et independens; — de ipsius societatis civilis independentia; — de subordinatione societatis civilis societati ecclesiasticæ: — de concordia utriusque potestatis; — de Liberalismo qui apud ipsos catholicos inoleverat; — de tolerandis quibusdam libertatibus; — et de optimo mundi regimine.

ARTICULUS I

DE NATURA SOCIETATIS IN GENERE

Societas est multitudo hominum ea ratione coeuntium ut, collatis viribus, sub constitutæ auctoritatis regimine, media sibi comparent ad certum communemque finem assequendum.

16. **I. Natura seu essentia alicujus societatis, ex ejus fine adæquato determinatur;** siquidem, nota intrinseca et immutabilis *quæ singulis societatibus sit unice propria*, non potest esse nisi *finis.*

a) Revera, ex quatuor elementis quibus societatem constare diximus, *duo priora*, id est multitudo hominum, eorumque moralis conjunctio, quatenus *in se* spectantur abstractione facta a fine, sunt communia generi; *tertium* autem non est per se determinatum, quia media determinantur, pro varia finis necessitate, ex sua proportione ac sufficientia ad finis exsecutionem, ita ut eatenus tantum expetantur quatenus ad finem conducunt.

b) E contra, *finis* in societatum genere *est plane indeterminatus;* determinatur autem tantum in singulis societatibus, ita ut uniuscujusque sit proprius. Ergo ex fine tantum essentia societatum determinari potest.

Ideo, ex natura finis oritur societatum majoritas vel inferioritas; ita enim se habent societates ad invicem sicut et fines ipsarum. — *Tarquini, Inst. juris publici, lib. 1.*

Quæ vero societates inter se distinctæ sunt, et nihilominus eumdem adæquate finem habent, eæ sunt totidem repetitiones ejusdem societatis, quæ, non *natura*, sed *numero* distinguuntur.

17. **II. Societas dividitur in perfectam et imperfectam.**

a) *Perfecta societas* est quæ finem habet universalem in suo ordine, ideoque media, ad sui conservationem propriique finis assecutionem necessaria, in *semetipsa* possidet, et quidem *independenti jure.*

Est autem perfecta societas, non modo cui *realiter*, verum etiam cui *virtualiter* eadem insunt, ita scilicet ut ab alia societate ea repetere proprio jure possit, neque illa facultatem habeat hæc media negandi, aut suo judicio rem dirimendi.

b) *Imperfecta societas* non est sibi sufficiens, ideoque nec independens in suo ordine, quia ejus finis est pars alterius finis universalioris in eodem genere.

Sic, ex. gr., *societas civilis* perfecta est, quia ejus finis universum temporale bonum civium respicit, nec habetur universalius bonum temporale cui subalternetur.

E contra, societas *conjugalis*, societates *scientificæ* aut *industriales*, sunt societates imperfectæ, quia honesta liberorum procreatio et educatio, scientia, divitiæ, quas pro fine proximo habent, sunt tantum partes boni temporalis universalioris, ad cujus assecutionem ordinantur. — *Cf. Cavagnis, Institutiones juris publici, lib. 1, num. 57, sq.*

18. **III. Societas perfecta potest a suis exigere quidquid necessarium est ad finem consequendum.**

a) Nam, pro natura societatis, singulis ejus membris inest officium, sponte susceptum si societas sit voluntaria, legitime impositum si necessaria, *conferendi in societatem vires suas,* ad ea comparanda quæ sunt necessaria ad ejus finem plene et integre assequendum. Ergo societati, pro natura sua, inest jus *eadem ab illis exigendi.*

b) Porro, ad finem assequendum, *tria hæc tantum requiruntur :* 1° ut media quæ ad finem conducunt, *obligatorio modo proponantur ;* 2° ut quæ proposita sunt, rite, id est juxta eum modum ac sensum quo fuerunt proposita, *applicentur ;* 3° ut renuentes eadem applicare, vi adhibita *cogantur,* impedientes *coerceantur.*

Atqui, primum constituit potestatem *legiferam*, alterum *judiciariam*, tertium *coactivam*. Ergo adæquata potestatis divisio quam, vi suæ naturæ, societas perfecta habet in suos, *in hac triplici potestate* continetur.

ARTICULUS II

DE NATURA ECCLESIÆ, AN SIT SOCIETAS PERFECTA ET INDEPENDENS

19. **I. Ecclesia est societas perfecta et independens.** — Quod probatur :

a) Ex *ejus fine*. — Finis enim Ecclesiæ *proximus* est sanctificatio hominum in hac vita, *ultimus* vero æterna eorum beatitudo per visionem beatificam, ut constat ex ipsa institutione Christi.

1° Hæc societas igitur, propter finem sibi constitutum et media quibus ad finem contendit, *supernaturalis* est et *spiritualis*, ideoque *distinguitur* ac differt a societate civili, nec ad eam ullo modo ordinatur.

Porro, si non ad civilem societatem ordinatur, neque ab illa pendere debet, sitque necesse est societas genere et jure perfecta.

2° Finis Ecclesiæ proprius, cum sit omnium *supremus*, Ecclesia ipsa est societas *natura sua* suprema. — Atqui, repugnat societatem omnium supremam alteri *subesse*, et ab ea in mediorum œconomia pendere. — Ergo Ecclesia adjumenta, ad incolumitatem actionemque suam necessaria, omnia *in se* et *per se* ipsa possidet, ideoque est societas perfecta. — *Cf. Tarquini, l. c., n. 40.*

« Ecclesiam, in suorum officiorum munere, potestati civili velle esse subjectam, magna quidem *injuria*, magna temeritas est. Hoc facto *perturbatur ordo*, quia quæ naturalia sunt præponuntur iis quæ sunt supra naturam. »

Igitur, « sicut *finis* quo tendit Ecclesia longe nobilissimus est, ita ejus *potestas* est omnium præstantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia ». — *Leonis XIII enc. Immortale Dei, 1 nov. 1885, § Bene morata, et § Tam ingenti.*

b) Ex *voluntate divini Institutoris.*

Nam Christus Dominus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus et verus homo, Redemptor generis humani, catholicam instituens Ecclesiam, ad *supernaturalem* hominum sanctificationem in hac vita et eorumdem *æternam beatudinem* in vita futura, ei contulit, *independenter* a quacumque humana auctoritate, *omnem potestatem* ad suum finem consequendum necessariam.

Quod constat ex adducendis testimoniis, ubi de potestate *legislativa* Ecclesiæ, et de gemina, quæ hinc consequitur, *judicandi puniendique* potestate.

c) Ex ipsa *christiana Traditione,* ipsoque perenni *Ecclesiæ facto.*

1° Hanc enim auctoritatem « Ecclesia sibi *asserere,* itemque publice *exercere* nunquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus *Apostolis,* qui, cum disseminare Evangelium a principibus Synagogæ prohiberentur, constanter respondebant : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

2° » Eamdem *sancti Ecclesiæ Patres* rationum momentis tueri, pro opportunitate, studuerunt ; *Romanique Pontifices,* invicta animi constantia, adversus oppugnatores vindicare nunquam prætermiserunt.

3° » Quin etiam, et opinione et re, eamdem probarunt *ipsi viri Principes,* rerumque publicarum Gubernatores, ut qui, paciscendo transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, *agere cum Ecclesia* tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. » — *Leonis XIII enc. Immortale Dei,* § *Hanc vero.*

20. **II. Unde, omnino respuendum est pessimum illud liberalismi genus** quod, « posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitæ deducens », tenet « partem populi majorem *universi juris* esse officiique effectricem», et ideo societati civili tribuit supremum principatum, a quo derivet *quodvis aliud jus,* et pendeat *quævis alia societas,* tum generalis tum particularis, tum spiri-

tualis, tum temporalis, ita ut omnium actuum humanorum regula sit lex a Gubernio civili condita. — *Cf. Leonis XIII enc. Libertas, 20 jun. 1888, § Revera quo spectant.*

a) Isti « Ecclesiæ naturam juraque propria societatis perfectæ eripiunt ; nec ejus esse contendunt facere leges, judicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subjectos. Itaque *divinæ hujusce societatis naturam opinione adulterant*, auctoritatem, magisterium, omnem ejus efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque *civilis principatus* usque eo *exaggerantes* ut, sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque Reipublicæ subjungant. » *Leonis XIII enc. Libertas, § Alii quominus.*

b) Non igitur immerito *Pius IX* sequentes propositiones damnavit :

« Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus, sibi a divino suo fundatore collatis ; sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites intra quos eadem jura exercere queat. » — *Syll. prop. 19.*

« Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu. » — *Syll. prop. 20.*

« Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis limitibus circumscripto. » — *Ibid., prop. 39.*

c) « Itaque, dux hominibus esse ad cœlestia, non *Civitas*, sed *Ecclesia* debet, eidemque hoc est munus assignatum ut de iis quæ religionem attingunt *videat ipsa et statuat*, ut doceat omnes gentes, ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat : brevi, ut rem christianam *libere* expediteque *judicio suo* administret. » — *Leonis XIII enc. Immortale Dei, § Tam ingenti.*

« La liberté de conscience, *dit Thiers*, suppose, comme condition nécessaire, l'existence d'une autorité religieuse indépendante de l'État, s'organisant et se gouvernant souverainement elle-même d'après les principes de sa foi et les traditions de son histoire. »

ARTICULUS III

DE IPSIUS SOCIETATIS CIVILIS INDEPENDENTIA

21. **I. Societas civilis est, in genere suo, suprema et independens,** ita ut, in rebus mere temporalibus, et *sub respectu finis temporalis,* Ecclesia nullum jus habeat in societatem civilem.

Ratio est, quia Ecclesiæ finis *proprius* et proximus non reponitur in felicitate temporali subditorum procuranda; regula autem generalis est : societates *nihil posse* in iis quæ sunt *extra* finem proprium.

« Custos juris sui, observantissima alieni, non *ad se* putat Ecclesia *pertinere* quæ maxime *forma Civitatis* placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur ; ex variisque Reipublicæ generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit. » — *Leonis XIII enc. Sapientiæ christianæ, 10 jan. 1890,* § *Ab omni.*

22. **II. Deus enim « humani generis procurationem inter duas potestates partitus est,** scilicet *ecclesiasticam* et *civilem,* alteram quidem *divinis,* alteram *humanis* rebus præpositam.

» Utraque est *in suo genere maxima ;* habet utraque certos, quibus contineatur, *terminos,* eosque sua cujusque natura caussaque proxima definitos ; unde, aliquis velut orbis circumscribitur in quo sua cujusque actio *jure proprio* versetur. » — *Enc. Immortale Dei,* § *Itaque Deus.*

Allegoria de *duobus gladiis,* utriusque societatis principatum denotat. — Huic similitudini aptatur oratio regis *Edgaris* ad Episcopos, *an. 969 :* « Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus : jungamus dexteras, gladium gladio copulemus, et ejiciantur extra castra leprosi. »

a) Igitur, omnia quæ ad *finem Ecclesiæ proprium,* sive directe, sive etiam indirecte attingunt, scilicet res spirituales, et cum spiritualibus connexæ, ad *Ecclesiæ jura* pertinent.

« Quidquid est *in rebus humanis quoquo modo sacrum,* quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit

natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiæ.

b) » Cetera vero, quæ *civile* et *politicum* genus complectitur, rectum est *civili auctoritati* esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit quæ Cæsaris sunt reddi Cæsari, quæ Dei, Deo. » — *Enc. Immortale Dei, loc. cit.*

« Qua posita jurium et officiorum terminatione, omnino liquet *esse liberos* ad res suas gerendas *rectores Civitatum ;* idque, non modo non invita, sed *plane adjuvante Ecclesia*, quæ, quoniam maxime præcipit ut colatur pietas, quæ est justitia adversus Deum, hoc ipso ad justitiam vocat erga Principes. » — *Encycl. Sapientiæ christianæ*, § *Altius.*

c) Et, si negotia *mixta* sint quæ utramque Rempublicam quodammodo concernunt et in utriusque finem influunt, ea *sub vario respectu* ab ecclesiastico simul et politico imperio pendent.

Sed in his præsertim valde optanda est utriusque potestatis concordia.

ARTICULUS IV

DE SUBORDINATIONE SOCIETATIS CIVILIS SOCIETATI ECCLESIASTICÆ

23. **I. Societas civilis, licet independens et suprema in suo genere, subordinatur tamen societati ecclesiasticæ.**

a) Probatur ex *non æquali excellentia finium.*

Ex fine enim, sicut essentia, ita et gradus perfectionis relativæ societatum determinatur. — *Cf. n. 16.* — Atqui finis Ecclesiæ, felicitas scilicet *spiritualis et æterna,* fini societatis civilis, felicitati nempe *temporali et transitoriæ* præstat : tum quia spirituale temporali, æternum transitorio, anima corpori, cœlestia terrenis prestant : tum, et præcipue, quia finis ille a Deo omnibus omnino injungitur, nec, sine maximo damno, damnatione scilicet æterna, voluntarie potest omitti ; iste autem facile sperni potest, imo nocivus aut saltem inutilis fit, si ad illum non ordinetur. — *Cf. Matth.*, VI, *31, sq.;* V, *29, sq.;* XVI, *26, etc.* —

Ergo societas ecclesiastica præ civili societate *primatu* pollet ; et, quibus in rebus, sive *per se*, sive *per accidens*, ratio seu necessitas concurrit *finis spiritualis*, in iis, licet temporales sint, potestatem suam Ecclesia jure exserit, civilis autem societas ei cedere debet.

b) Idem probatur ex ipsa *Dei necessaria ordinatione*. Nam, quia utriusque potestatis imperium est *in eosdem*, et usu venire possit ut eadem res, licet aliter atque aliter, ad utriusque judicium pertineat, debuit *providentissimus* Deus, ne funestarum sæpe *contentionum* causæ nascerentur, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. — *Cf. epist. ad. Rom.*, XIII, *1*.

Qualis autem sit hæc ordinatio, aliter judicari non potest nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam et finem, « cum alteri proxime propositum sit rerum *mortalium* curare commoda, alteri cœlestia ac *sempiterna* bona comparare ». — *Leonis XIII enc. Immortale Dei*, § *Itaque Deus, et seq.* — *Cf. Extravag. Unam Sanctam, Bonifacii VIII, inter communes.*

24. **II. Hæc subordinatio duo importat :**

a) *Non oppositionem ;* nempe, ut media a societate civili proposita, non opponantur assecutioni finis societatis ecclesiasticæ.

1° In *sanciendis* igitur *legibus*, nihil est imperandum aut vetandum nisi ratione habita quid sit, tum civili, tum religiosæ societati propositum, spectandaque est hominis indoles moralis ac religiosa.

« Hac ipsa de caussa, non potest Ecclesiæ non interesse quales in Civitatibus valeant leges, *non quatenus ad Rempublicam* pertinent, sed quia, fines debitos aliquando prætergressæ, *in jus Ecclesiæ* invadunt.

» Quin imo, *resistere*, si quando *officiat religioni* disciplina Reipublicæ, studioseque conari ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, munus est Ecclesiæ assignatum a Deo. » — *Leonis XIII*, *enc. Sapientiæ christianæ*, § *In institutis.*

2° Et, si quæ *controversia* habeatur utrum aliquid ad jura Ecclesiæ pertineat nec ne, ad *solam Ecclesiam*, utpote

societatem superiorem, spectat hanc judicio suo dirimere.

3° Hinc, a Pio IX sequentes propositiones damnatæ sunt:

« In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet. » — *Syll. prop. 42.*

« Ecclesia non habet.... potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. » — *Syll. prop. 24.*

b) *Favorem ;* nempe, ut media a societate civili adhibita, faciliorem reddant exsecutionem finis societatis ecclesiasticæ ; sæculares enim Principes « Deus sanctæ fidei Ecclesiæque protectores esse voluit ». — *Trid. sess. 25, cap. 20, De ref.*

Et, quia societas inferior superiori *deservire* tenetur, ideo debet civilis societas media sui ordinis, id est temporalia, Ecclesiæ in necessariis subministrare. — *Cf. Cavagnis, loc. cit., n. 409. — De Angelis, in tit. De constit., num. 4.*

ARTICULUS V

DE CONCORDIA UTRIUSQUE POTESTATIS

Ex dictis sequitur : « maxime esse secundum naturam, itemque secundum Dei consilia, non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane *concordiam,* eamque *cum caussis proximis congruentem* quæ utramque societatem genuerunt ». — *Enc. Immortale Dei,* § *Ex iis autem.* — Unde :

25. **I. Status nequit esse atheus ;** sed tenetur *inquirere* veram religionem, eique cognitæ *adhærere.*

a) « *Natura et ratio,* quæ jubet *singulos* sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod, ab eo profecti, ad eumdem reverti debemus, *eadem lege adstringit civilem communitatem.*

» Homines enim *communi societate* conjuncti, nihilo sunt minus in Dei potestate quam singuli ; neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, *quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur,* cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit.

» Quapropter, sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit : *eodem modo Civitates* non possunt, *citra scelus*, gerere se tanquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat : omninoque debent eum in colendo Numine morem usurpare modumque quo coli se Deus ipse demonstravit velle.

» *Sanctum* igitur oportet apud *Principes* esse *Dei nomen*, ponendumque in præcipuis illorum officiis : religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere quod sit ejus incolumitati contrarium. » — *Leonis XIII enc. Immortale Dei*, § *Hac ratione, et seq.* — *Cf. ejusdem Pontificis encyc. Sapientiæ christianæ*, § *Quod autem ;* — *et enc. Libertas*, § *Eadem.*

b) Id Principes et *civibus debent* quibus præsunt.

Quoniam enim ex finis ultimi sive summi boni assecutione pendet hominum perfecta felicitas, societas civilis, *communi utilitati nata*, sic debet in tuenda prosperitate Reipublicæ civibus consulere, ut obtinendo illi summo atque incommutabili bono, « non solum nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit *opportunitates* afferat ». — *Leonis XIII encyc. Immortale Dei*, § *Sanctum igitur.* — *Cf. enc. Libertas*, § *Miliores.*

« Dès que l'État refuse de donner à Dieu ce qui est à Dieu, il refuse, par une conséquence nécessaire, de donner aux *citoyens* ce à quoi ils ont droit comme *hommes ;* car, qu'on le veuille ou non, les vrais droits de l'homme naissent précisément de ses devoirs envers Dieu. D'où il suit que l'État, en manquant, sous ce rapport, le but principal de son institution, aboutit, en réalité, à se renier lui-même et à démentir ce qui est la raison de sa propre existence. » — *Leonis XIII enc. Au milieu des sollicitudes, ad omnes Galliæ catholicos, 16 feb. 1892.*

c) Accedit quod religio sit medium optimum, imo necessarium, *ad bona temporalia*, quæ curare *Statui*

proxime propositum est, efficaciter promovenda ; hæc enim pendent a Reipublicæ tranquillitate et pace, quæ ipsa diu consistere non potest cum indifferentia erga religionem.

1° Nam « *bene morata* Civitas esse, *sublata religione*, non potest.... Vera est *magistra virtutis* et *morum custos* Ecclesia Christi ; ea est quæ incolumia tuetur principia unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, jubet, non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu. » — *Enc. Immortale Dei*, § *Bene morata.*

2° « *Prodest autem mirifice religio*, quippe quæ primum ortum potestatis a Deo ipso repetit, gravissimeque Principes jubet officiorum suorum esse memores, nihil injuste acerbeve imperare, benigne ac fere cum caritate paterna populo præesse..

» Eadem *potestati legitimæ* cives vult esse subjectos, ut *Dei ministris* ; eosque cum rectoribus Reipublicæ, non obedientia solum, sed *verecundia et amore conjungit*, interdictis seditionibus, cunctisque incœptis quæ ordinem tranquillitatemque publicam perturbare queant, quæque tandem caussam afferunt cur majoribus frenis libertas civium constringatur. » — *Enc. Libertas*, § *Sed hæc.*

26. **II. Nec Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia est sejungendus.** — *Cf. Syll. prop. 55.*

Sunt qui aiunt : « nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse *privatorum*, non tamen *Civitatis* : in rebus *publicis* fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis *legibus* intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium Civitatis Ecclesiæque rationes *dissociari* oportere ».

Sed hæc « quam absurde dicantur », iisdem argumentis haud difficulter evincitur.

a) Clamat enim ipsa *natura* « oportere civibus in societate suppetere copias ad vitam honeste, scilicet *secundum Dei leges*, degendam, quia Deus est omnis honestatis justitiæque principium » ; ideoque « repugnat posse *iisdem de legibus nihil curare* vel etiam *quidquam infense statuere* Civitatem ». — *Enc. Libertas*, § *Militores.*

b) Et, quoniam *sapientissimæ* voluntati Dei, qui tum civilis tum sacri principatus est auctor, utriusque societatis *conflictus* pariter *repugnet*, « quemdam esse modum atque

ordinem necesse est, ex quo, causis contentionum certationumque sublatis, *ratio concors in agendis rebus existat.*

» Hujusmodi concordiam non inepte similem conjunctioni dixere *quæ animum inter et corpus intercedit,* idque commodo utriusque partis, quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cujus vitam exstinguit. » — *Enc. Libertas,* § *Deinde.* — *Cf. enc. Immortale Dei,* § *Itaque Deus ; et Pii X encyc. Vehementer, 11 febr. 1906,* § *Civitatis.* — *Cf. num. 23, b.*

27. **III. Neque fas est Civitatem, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam,** eadem singulis jura *promiscue* largiri, quod in *Atheismum* recideret.

a) Nam « de religione putare nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum : *nolle ullam probare judicio, nolle usu.* Atqui, istud ab *atheismo,* si nomine aliquid differt, re nihil differt.

» Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est *differentia,* maximisque etiam de rebus *dissimilitudo et pugna,* æque probabiles, æque bonas, æque Deo acceptas esse omnes non posse. » — *Leonis XIII enc. Immortale Dei,* § *De religione.*

b) « *Vera autem Religio quæ sit,* non difficulter videt qui judicium prudens sincerumque adhibuerit : *argumentis enim permultis atque illustribus,* veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus, liquet eam esse unice veram quam Jesus Christus et instituit ipsemet, et Ecclesiæ suæ tuendam propagandamque demandavit. » — *Enc. Immortale Dei,* § *Vera autem.* — *Cf. enc. Libertas,* § *Eadem.*

28. **IV. Ideo rejicienda est et mitior illa Liberalismi forma,** propugnans, non quidem suprematiam Status in Ecclesiam, sed illius *perfectam autonomiam,* plenamque ab Ecclesia *independentiam,* « ita ut, in omni jure socie-

tatis humanæ, in institutis, moribus, legibus, Reipublicæ muneribus, institutione juventutis, *non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant quam si esset omnino nulla : permissa,* ad summum, singulis civibus facultate ut *privatim,* si libeat, dent religioni operam ». — *Enc. Libertas,* § *Huic tanquam.*

Ideo etiam « sequens impium et absurdum *Naturalismi* principium » rejicitur : « Optimam societatis publicæ rationem, civilemque progressum, requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine ». — *Pii IX enc. Quanta cura, 8 dec. 1864.*

ARTICULUS VI

DE LIBERALISMO QUI APUD IPSOS CATHOLICOS INOLEVERAT

29. I. « **Multi rei sacræ a re civili distractionem non probant, sed tamen faciendam censent,** ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea quæ, in administrandis imperiis, hodierna prudentia desiderat. » — *Enc. Libertas,* § *Multi denique.*

Illi, omissa discussione principiorum, ut dicunt, abstractorum, judicant, *in concreto,* ratione habita recentis *progressus* ac *civilitatis,* nostris temporibus *prudentiam* exspostulare, sicut et *majorem Ecclesiæ utilitatem,* ut ipsa ex integro separetur a Statu. — Libenter ultra modum exaggerant damna quæ aliquando mali Principes christiani, prætextu eam tuendi ac protegendi, Ecclesiæ intulerunt ; autumantque melius ei esse si, propriis suis viribus contenta, nihil exspectet auxilii a Statu politico. — Exoptant igitur et suadent ut Summus Pontifex *sponte renuntiet* concordiæ Sacerdotii et Imperii ; ut sese componat et reconciliet cum *progressu, liberalismo, et recenti civilitate ;* ut adhæreat civili *cujusque cultus libertati,* itemque omnimodæ facultati, omnibus attributæ, *quaslibet opiniones* cogitationesque palam ac publice manifestandi.

30. **II. Horum sententia :**

a) Honesta est « si de quadam intelligatur æqua ratione quæ consistere cum *veritate justitiaque* possit ; nimirum ut, explorata spe magni alicujus boni, *indulgentem*

Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur quod, *salva officii sanctitate*, potest.

b) » Verum secus est de *rebus* ac *doctrinis* quas demutatio morum ac fallax judicium *contra fas* invexerint. Nullum tempus vacare *religione, veritate, justitia* potest ; quas res maximas et sanctissimas cum Deus *in tutela Ecclesiæ* esse jusserit, nihil est tam alienum quam velle ut ipsa quod vel falsum est vel injustum dissimulanter ferat, aut in iis quæ sunt religioni noxia conniveat. » — *Enc. Libertas*, § *Multi denique.*

31. **III. Nequaquam licet « petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem,** veluti *jura* totidem quæ homini *natura* dederit.

» Nam, si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari jus esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset ». — *Enc. Libertas*, § *Itaque ex dictis.*

a) « *Libertas*, ut quæ virtus est hominem perficiens, debet in eo quod *verum* sit, quod *bonum*, versari : boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est quam ipsa rerum natura, *incommutabilis*. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, *perfectionem sui neutra consequitur*, sed excidunt dignitate naturali, et in corruptum ambæ delabuntur.

» Quæcumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum *ponere* non est æquum ; gratia tutelave legum *defendere*, multo minus.

» Sola bene acta vita via est in cœlum, quo tendimus universi : ob eamque rem *aberrat Civitas a regula et præscriptione naturæ*, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere.

» Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitæ excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, *magnus et perniciosus est error.* » — *Leonis XIII encyc. Immortale Dei*, § *Sic illa.*

b) Huc pertinent *propositiones damnatæ* a Pio IX : « Ætate hac nostra, non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis. » — *Syll. prop. 77.*

« Falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam. » — *Syll. prop. 79.*

« Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo, et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. » — *Ibid., prop. 80.*

32. **IV. Ceterum, inanis est et jejuna calumnia** « quod inquiunt Ecclesiam *recentiori civitatum invidere disciplinæ*, et quæcumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue *repudiare.*

a) » Insaniam quidem repudiat opinionum ; improbat nefaria seditionum studia, illumque nominatim habitum animorum in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo ; sed, quia omne quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid, indagando, *veri* attingatur, agnoscit Ecclesia velut *quoddam divinæ mentis vestigium.*

b) » Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quæ adrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco, *quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet :* eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet quæ positæ sunt in explicatione naturæ.

c) » Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens repererit novi : non repugnat quin plura quærantur ad decus commoditatemque vitæ : immo, inertiæ desidiæque inimica, *magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus :* incitamenta præbet ad omne genus artium atque operam : omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur quominus a Deo bonisque cœlestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat. » — *Enc. Immortale Dei,* § *Ergo quod.*

33. **V. Dicta separatio Ecclesiæ et Status considerari potest ut minus malum,** ob *speciales* circumstantias, modo taliter instituatur ut Ecclesiæ veram det et sinceram *libertatem.*

Ideo distinctio inducta est inter *Thesim* et *Hypothesim.* — Thesis est Ecclesiam et Statum non *debere* separatim procedere, sed conjunctim, et quidem servata Status subordinatione ; Hypothesis est aliquando separationem *magis expedire.*

a) Ubi enim quæstio movebitur de decernenda separatione Status ab Ecclesia, sciendum est quod, in hac nova Ecclesiæ conditione, quæ neque oppositionis est neque concordiæ, sed simplicis *coexistentiæ Ecclesiæ et Gubernii civilis,* Status, nisi velit mentiri justitiæ et adsertæ omnimodæ libertati religiosæ, recognoscere debet *omnia jura Ecclesiæ,* saltem quatenus est *associatio religiosa licita,* nec impedire potest liberam ejusdem evolutionem.

« Cette situation se produit dans certains pays. C'est une manière d'être qui, si elle a de nombreux et graves inconvénients, offre aussi quelques avantages, surtout quand le législateur, par une heureuse inconséquence, ne laisse pas que de s'inspirer des principes chrétiens ; et ces avantages, bien qu'ils ne puissent justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à le défendre, rendent cependant digne de *tolérance* un état de choses qui, *pratiquement,* n'est pas le pire de tous. » — *Leonis XIII enc. ad omnes Galliæ catholicos, 16 febr. 1892.*

b) « Mais, *en France,* nation catholique par ses traditions et par la foi présente de la grande majorité de ses fils, l'Église ne doit pas être mise dans la situation précaire qu'elle subit chez d'autres peuples. Les catholiques peuvent d'autant moins préconiser la séparation qu'ils connaissent mieux les *intentions* des ennemis qui la désirent. Pour ces derniers, et ils le disent assez clairement, cette séparation, c'est l'indépendance entière de la législation politique envers la législation religieuse ; il y a plus, c'est l'indifférence absolue du pouvoir à l'égard des intérêts

de la société chrétienne, c'est-à-dire de l'Église, et la *négation même de son existence.* » — *Leonis XIII encyc. cit.*

34. **VI. Quæ sint hodie catholicorum officia,** tam in *opinionibus* quam in *factis,* ab eodem Pontifice accurate definitum est.

a) « Et *in opinando* quidem, quæcumque Pontifices Romani tradiderint vel tradituri sunt, singula necesse est et *tenere judicio stabili comprehensa,* et palam, quoties res postulaverit, *profiteri ;* ac nominatim, de iis quas *libertates* vocant novissimo tempore quæsitas, oportet Apostolicæ Sedis stare judicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. » — *Enc. Immortale Dei,* § *Itaque in tam difficili.*

b) « Potest autem in privatis domesticisque rebus, aut in publicis, *actio* versari.

1° » *Privatim* quidem, primum officium est : *præceptis evangelicis* diligentissime *conformare* vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad *patiendum* tolerandumque paulo difficilius.

» Debent præterea singuli *Ecclesiam* sic *diligere,* ut communem Matrem : ejusque et *jura* salva velle : conarique ut ab iis in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate *colatur* atque ametur.

2° » Illud etiam *publicæ salutis* interest : ad *rerum urbanarum administrationem* conferre sapienter operam, in eaque studere maxime et efficere ut *adolescentibus* ad religionem, ad probos mores informandis, ea ratione qua æquum est christianis, publice consultum sit : quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus Civitatum. » — *Enc. Immortale Dei, loc. cit.*

« Potest alicubi accidere ut, maximis justissimisque de causis, rempublicam capessere, *in muneribusque politicis versari,* nequaquam expediat. Sed, generatim, *nullam velle rerum publicarum partem attingere,* tam esset in vitio quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operæ : eo vel magis quod catholici homines, ipsius quam profitentur admonitione doctrinæ, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, *ipsis otiosis,* facile habenas accepturi sunt ii quorum opiniones spem salutis haud sane magnam

afferant. Idque esset etiam cum pernicie conjunctum christiani nominis : propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati, minimum qui bene.

» Quamobrem perspicuum est *ad rempublicam adeundi causam esse justam catholicis :* non enim adeunt, neque adire debent, ob eam causam ut *probent* quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum : sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, *in bonum publicum transferant* sincerum atque verum, destinatum animo habentes sapientiam virtutemque catholicæ religionis, tanquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicæ venas inducere. » — *Enc. Immortale Dei*, § *Item catholicorum. — Cf. enc. Libertas*, § *Ad res ; — et n. 438.*

ARTICULUS VII

DE TOLERANDIS QUIBUSDAM LIBERTATIBUS

« Si divini cultus varia genera eodem jure esse quo veram religionem Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores qui, *magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali*, moribus atque usu patienter ferunt ut ea habeant singula in Civitate locum. » — *Enc. Immortale Dei*, § *Hæc quidem.*

35. **I. Ratio hujus tolerantiæ :**

a) « Materno judicio Ecclesia æstimat grave pondus infirmitatis humanæ ; et qualis hic sit, quo nostra vehitur ætas, animorum rerumque cursus, non ignorat.

» His de causis, *nihil quidem impertiens juris* nisi iis quæ vera quæque honesta sint, non recusat quominus quidpiam a veritate justitiaque alienum *ferat* tamen publica potestas : scilicet, majus aliquod vel vitandi causa *malum*, vel adipiscendi aut conservandi *bonum.*

b) » *Ipse providentissimus Deus,* cum infinitæ sit bonitatis, itemque omnia possit, sinit tamen esse in mundo mala, partim *ne ampliora impediantur bona,* partim *ne majora mala consequantur.*

» In regendis Civitatibus, Rectorem mundi par est imitari ; quin etiam, cum singula mala prohibere aucto-

ritas hominum non possit, debet *multa concedere atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen Providentiam vindicantur, et recte (S. Augustinus, De libero arbitrio).* » — *Leonis XIII enc. Libertas, § Nihilominus.*

36. **II. Ejusdem limites :**

a) « Verumtamen, in ejusmodi rerum adjunctis, si communis boni caussa, et hac tantum caussa, potest vel etiam debet lex hominum ferre toleranter malum, tamen *nec potest nec debet id probare aut velle per se :* quia malum, per se, cum sit boni privatio, repugnat bono communi, quod legislator, quoad optime potest, velle ac tueri debet.

» Et, hac quoque in re, ad imitandum sibi lex humana proponat Deum necesse est, qui, in eo quod mala esse in mundo sinit, *neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum.* Quæ Doctoris Angelici sententia brevissime totam continet de malorum tolerantia doctrinam.

b) » Sed confitendum est, si vere judicari velit, quanto plus in Civitate mali tolerari pernecesse est, *tanto magis distare id genus Civitatis ab optimo :* itemque tolerantiam rerum malarum, cum pertineat ad politicæ præcepta prudentiæ, omnino *circumscribi iis finibus* oportere quos *caussa*, id est *salus publica*, postulat.

1° » Quare, si *saluti publicæ* detrimentum afferat, et *mala Civitati majora* pariat, consequens est eam adhiberi non licere, quia in his rerum adjunctis abest ratio boni.

2° » Si vero, ob singularia Reipublicæ tempora, usuveniat ut *modernis quibusdam libertatibus* Ecclesia acquiescat, non quod ipsas *per se* malit, sed quia *permissas* esse judicat expedire, *versis in meliora temporibus*, adhibitura sane esset *libertatem suam ;* et, suadendo, hortando, obsecrando, studeret, uti debet, munus efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternæ hominum saluti consulere. » — *Enc. Libertas, loc. cit., et § Sed confitendum. — Cf. Cavagnis, loc. cit., n. 584, sq.*

ARTICULUS VIII

DE OPTIMO MUNDI REGIMINE

37. **I.** « **Illud perpetuæ legis instar habendum est,** quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem Maximum perscripsit : « *Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt*, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. *Cum vero inter se discordant*, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur. » — *Leonis XIII enc. Immortale Dei*, § *Fuit aliquando.*

Equidem, sublata hac concordia « quæ *semper rei sacræ et civili fausta exstitit et salutaris* » (*Gregorii XVI enc. Mirari vos*), « omnino consecutura est anceps quædam mutabilisque conditio, quacum, nec Ecclesiæ, nec Civitatis potest tranquillitas consistere ». — *Leonis XIII enc. Nobilissima Gallorum gens, 8 febr. 1884*, § *Deinde illa.*

« Talis autem conformatio reipublicæ *(qualis nempe describitur in cit. enc. Immortale Dei)* habet *perfectionem quamdam magnam*, qua carent ceteri rerum publicarum modi : ex eaque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, *si modo suum partes singulæ gradum tenerent*, atque illud integre efficerent cui unaquæque præposita est, officium et munus.

a) » Revera, in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicæ, sunt quidem *divina atque humana convenienti ordine partita :* incolumia civium jura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa : officiorum singulorum, cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia.

b) » *Singuli homines*, in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo, sibi sciunt præsto esse, quos tuto sequantur, ad ingrediendum duces, ad perveniendum adjutores ; pariterque intelligunt, sibi alios esse, ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera quibus communis hæc vita constat, vel parienda vel conservanda, datos.

c) » *Societas domestica* eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate conjugii : jura officiaque inter conjuges sapienti justitia et æquitate reguntur ; debitum conservatur mulieri decus ; auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata ; temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque ; denique, liberorum tuitioni, commodis, institutioni, optime consulitur.

d) » *In genere rerum politico et civili*, leges spectant commune bonum, neque voluntate judicioque fallaci multitudinis, sed veritate justitiaque diriguntur : auctoritas Principum sanctitudinem quamdam induit humana majorem, contineturque ne declinet a justitia, neu modum in imperando transiliat ; obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, *sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis.*

» Quo cognito ac persuaso, omnino ad justitiam pertinere illa intelliguntur : vereri majestatem Principum, subesse constanter et fideliter potestati publicæ, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam Civitatis.

e) » Similiter ponitur *in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas ;* non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se præceptis, civis idem et christianus ; denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quæruntur, ita ut illud appareat verissime dictum : « Pendet a religione, qua Deus colitur, reipublicæ status, multaque inter hunc et illam cognatio et familiaritas intercedit. » — *Enc. Immortale Dei*, § *Talis autem, et seq.* — *Cf. enc. Diuturnum, ejusdem Pontificis, 20 jan. 1881.*

38. II. « **Fuit aliquando tempus, cum Evangelica philosophia gubernaret Civitates :** quo tempore christianæ sapientiæ vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicæ ordines rationesque penetraverat : cum Religio per Jesum Christum instituta, in eo, quo æquum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia Principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret : cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. *Eoque modo composita Civitas fructus tulit omni opinione majores*, quorum viget memoria et vigebit innumeralibus rerum gestarum consignata monumentis, quæ nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt.

» Quod *Europa christiana* barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit : quod Mahumetanorum incursiones victrix propulsavit : quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque præbere ceteris consuevit : quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est : quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia *magnam debet gratiam Religioni*, quam ad tantas res suscipiendas

habuit *auspicem*, ad perficiendas *adjutricem*. » — *Enc. Immortale Dei*, § *Fuit aliquando.*

39. III. « **Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset**; majoraque expectari jure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiæ majore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum.

» Sed *perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quæ sæculo XVI excitata sunt*, cum primum Religionem christianam miscuissent, mox, naturali quodam itinere, ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt.

» *Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatæ libertatis capita*, nimirum in maximis perturbationibus superiore sæculo excogitata, in medioque proposita perinde ac principia et fundamenta *novi juris*, quod et fuit antea ignotum, et a jure, non solum *christiano*, sed etiam *naturali*, plus una ex parte discrepat. » — *Leonis XIII enc. Immortale Dei*, *loc. cit.*

CAPUT III

DE VERA ECCLESIÆ CONSTITUTIONE

Ubi : de hierarchia divinitus instituta ; — de magisterio ecclesiastico ; — et de jurisdictione ecclesiastica in genere.

ARTICULUS I

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

40. **I. Distinctio laicorum et clericorum.**

a) Christus totum Ecclesiæ corpus duas in classes distingui voluit : quarum altera populum contineat, eos nempe qui *Laici* audiunt : altera coalescat ex illis quibus cura finis proximi Ecclesiæ, id est sanctificationis animarum, adeoque potestas ecclesiastica, sit demandata, iique *Clerici* appellantur.

b) Hoc discrimen *vel ipso nomine* innuitur. — Laici enim dicti sunt a voce græca λαός, populus, quæ vox commune aliquid indicat. Clerici autem a voce κλῆρος, sors seu hæreditas, « vel quia de sorte Domini sunt, vel quia Dominus sors id est pars clericorum est ». — *Cf. can. Clericus, et can. Duo sunt, causæ 12, q. 1.*

c) Clerici ergo dicuntur « qui divinis ministeriis per primam saltem *tonsuram* mancipati sunt ». — *Cod., can. 108,* § *1.*

« Non sunt omnes in eodem *gradu,* sed inter eos sacra hierarchia est in qua alii aliis subordinantur. » — *Ibid.,* § *2.*

41. **II. Potestas Ordinis et potestas Jurisdictionis.**

a) Cum Ecclesiæ finis proximus, id est sanctificatio animarum, habeatur per *gratiam sanctificantem,* hæc autem per *sacramenta* conferatur, accedente *hominis cooperatione,* Christus ad duo capita curam finis Ecclesiæ Clericis commissam direxit, nempe 1° *ad efficienda sacramenta,*

2° ad Fideles recte et, quantum fieri potest, *efficaciter dirigendos,* tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem, ut divinæ gratiæ, quemadmodum par est, cooperentur : unde duas constituit in Ecclesia potestates quæ *Hierarchiæ* appellantur, alteram *Ordinis,* alteram *Jurisdictionis.*

b) Hanc *Ordinis hierarchiam* distinxit in *Episcopos, Presbyteros,* et *Ministros.* — Hierarchiam autem *Jurisdictionis* constituit plene quidem ac perfecte in *Romano Pontifice ;* et deinde in *Episcopis ;* quadamtenus etiam in *Presbyteris* et in *Diaconis.* — Siquidem :

42. **III. Romanum Pontificem** *Vicarium suum* esse voluit, totiusque Ecclesiæ *fundamentum,* adeoque et *centrum unitatis,* cui nisi adhæreant homines, in Ecclesia esse non possunt, et *Principem totius Ecclesiæ,* qui plenam et universalem in eadem habet potestatem, quam *Primatum* dicunt. — *Infallibilitatis* dono, ad fidelium intellectus in doctrina fidei atque morum certissime dirigendos, eumdem instruxit.

43. **IV. Episcopos** constituit proprie dictos ac perfectos *Pastores,* hac quidem lege :

a) Ut, præter Romanum Pontificem qui solus *totam* Ecclesiam administrare non posset, alii quoque præsto sint atque habiles ad *fideles sibi creditos* perfecte regendos, ideoque ad supremum hierarchiæ Ordinis gradum sint evecti, *eaque potestate* instructi qua :

1° *Sacramenta* omnia conferre valeant, jure autem sui Ordinis proprio, *Ordinem* et *Confirmationem.*

2° Quoad *directionem intellectus,* judices sint *fidei et doctrinæ morum ;* ita tamen ut *infallibilitatis* donum conjunctim, id est simul *congregati,* eatenus habeant quatenus cum Romano Pontifice consentiunt, *singuli* autem nullo modo ; adeoque, in rebus dubiis, ad eumdem Romanum Pontificem, qui et infallibilis et centrum unitatis est, causam remittere debeant.

3° Quoad *directionem voluntatis,* veri perfectique imperii jura habeant.

b) Ut totam hanc potestatem non exerceant nisi *dependenter* a Romano Pontifice qui, per legitimam *missionem*, loca determinat in quibus ad actum reducatur ; et qui eamdem etiam *suspendere*, *restringere*, imo, si necessarium visum fuerit, *inhibere* potest, alio submisso Pastore.

44. **V. Presbyteros** tanquam *Episcoporum adjutores* instituit, non omni tamen in munere, sed in administratione tantum *sacramentorum*, exceptis Confirmatione et Ordine, et in verbi Dei *prædicatione ;* idque hisce legibus :

a) Ut totam hanc potestatem nonnisi *dependenter ab Episcopo* exercere possint, ita ut, regulariter, ipsius Episcopi sit eamdem et suspendere et restringere, et, si ratio id postulet, etiam inhibere.

b) Ut proinde facultas exercendi presbyteralia munera derivetur in singulos *auctoritate Episcopi*, non autem *ipsa Ordinatione*, qua tantum potentia datur conferendi sacramenta presbyteralis Ordinis propria, sed non conceditur facultas eamdem potentiam exercendi.

45. **VI. Diaconos** ea in re hierarchicos effecit ut, vi sui Ordinis, habiles sint ad sacramenta *Baptismi* atque *Eucharistiæ* administranda, et ad *prædicationem verbi Dei* exercendam, ita tamen ut nonnisi *auctoritate Episcopi* hæc faciant.

46. **VII. Alios gradus** instituendi, tum in hierarchia *Ordinis*, tum in hierarchia *Jurisdictionis*, facultatem fecit Ecclesiæ, hoc tamen sensu atque modo :

a) *Quoad hierarchiam Ordinis*, ut non intelligatur facta esse facultas inducendi novam quamdam potestatem Ordinis ; sed ex officio ultimi ordinis hierarchici minores quasdam partes secernendi, unde alii Ordines eodem minores constituantur.

Unde, *inferiores gradus* ministerii non pertinent ad hierarchiam *divina ordinatione* institutam, nisi in quantum quædam officia ministerii diaconalis per ecclesiasticam disciplinam illis tribuuntur. Ideo, si hujusmodi Ordines diaconatui inferiores sumantur prout *in suo respectivo gradu* determinantur, non divinæ, sed *humanæ*

sunt institutionis ; verum, si in ordine sumantur ad ministerium de quo *participant*, eos *divinitus* institutos fatendum est.

b) *Quoad hierarchiam Jurisdictionis :*

1° Ut *Romano Pontifici* data fuerit facultas alios vocandi in partem suæ sollicitudinis, tum in iis quæ ad *Agnos*, id est ad populum, tum in iis quæ ad *Oves*, id est ad Episcopos spectant.

Ideo *Prælati* instituti sun' qui, licet episcopali Ordine non sint instructi, *episcopalem* tamen *jurisdictionem* in plebem sibi assignatam exercent, iis exceptis quæ ordinem Episcopatus omnino exigunt.

Ideo etiam certi gradus jurisdictionis instituti sunt quibus adnexa sit aliqua *in ipsos Episcopos jurisdictio*, ut præsto sint qui Apostolicæ curæ partes expleant, quod factum videmus in *Patriarcharum*, *Primatum* et *Metropolitarum* institutione.

Item, cum necessarium visum fuerit, *extraordinarii* aliqui Legati mittuntur qui, pro expediendis negotiis, amplissimam auctoritatem habeant.

2° Ut pari modo *etiam Episcopis* liceat constituere, in ea Ecclesiæ parte quæ sibi commissa est, quamque dicunt *Diœcesim*, alios *inferiores se Rectores*, quibus partem suæ potestatis committant, iis semper exceptis quæ exerceri ab iis nequeant ob sacri Ordinis defectum.

Atque hæc summa est divinæ Ecclesiæ constitutionis, unde tota doctrina de vero legitimoque ecclesiasticæ potestatis subjecto hauriatur. — *Hanc excripsimus ex egregio opusculo card. Tarquini, Instit. juris publici, lib. 2, cap. 1. — Cf. Leonis XIII encyc. Satis cognitum 29 juin 1896 ; — Cod., c. 108, § 3 ; — et Wernz, Jus decretalium, tom. 1, n. 6, sq.*

47. **VIII.** « **Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione adleguntur** ; sed in gradibus potestatis *ordinis* constituuntur sacra ordinatione ; in *supremo Pontificatu* ipsomet jure divino, adimpleta conditione legitimæ electionis ejusdemque acceptationis ; in reliquis gradibus *jurisdictionis*, canonica missione. » — *Cod., c. 109.*

ARTICULUS II

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

48. **I.** « **Christus Dominus fidei depositum Ecclesiæ concredidit,** ut ipsa, Spiritu Sancto jugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret. » — *Cod., c. 1322, § 1.*

a) « Ecclesiæ, *independenter* a qualibet civili potestate, jus est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi. » — *Cod., loc. cit., § 2.*

b) « Hanc vero rite *ediscere,* veramque Dei Ecclesiam *amplecti,* omnes divina lege tenentur. » — *Ibid.*

49. **II. Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt** « quæ verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive *sollemni* judicio, sive *ordinario* et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ». — *Cod., c. 1323, § 1.*

a) « *Sollemne* hujusmodi judicium pronuntiare proprium est, tum Œcumenici Concilii, tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis. » — *Ibid., § 2.*

Sed « declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id *manifeste* constiterit ». — *Ibid., § 3.*

b) « *Episcopi* quoque, licet singuli vel etiam in Concilis particularibus congregati, infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri *doctores* seu *magistri* sunt. » — *Cod., c. 1326.*

c) « Fideles Christi fidem *aperte profiteri* tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi, secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, injuriam Dei vel scandalum proximi. » — *Cod., can. 1325, § 1.*

d) « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubi-

tat, *hæreticus ;* si a fide christiana totaliter recedit, *apostàta ;* si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusat, *schismaticus* est. » — *Ibid.*, § *2.*

50. **III.** « **Obligatione emittendi professionem fidei, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, tenentur :**

» 1° Coram præside ejusve delegato, qui Œcumenico vel particulari *Concilio* aut *Synodo* diœcesanæ intersunt cum voto seu consultivo seu deliberativo ; præses autem coram eodem Concilio vel Synodo ;

» 2° Coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario, promoti ad *cardinalitiam* dignitatem ;

» 3° Coram delegato ab Apostolica Sede, promoti ad sedem *episcopalem* etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiæ vel Prælaturæ *nullius*, Vicariatus Apostolici, Præfecturæ Apostolicæ ;

» 4° Coram Capitulo cathedrali, *Vicarius Capitularis ;*

» 5° Coram loci Ordinario ejusve delegato, et coram Capitulo, qui ad *dignitatem* vel *canonicatum* promoti sunt ;

» 6° Coram loci Ordinario ejusve delegato, et coram aliis consultoribus, assumpti ad officium *Consultorum diœcesanorum ;*

» 7° Coram loci Ordinario ejusve delegato, *Vicarius Generalis*, *parochi* et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, *curam animarum* habentibus; rector, professores sacræ theologiæ, juris canonici et philosophiæ in *Seminariis*, initio cujuslibet anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris ; omnes promovendi ad ordinem *subdiaconatus ;* librorum *censores*, de quibus in can. 1393 ; sacerdotes *confessionibus* excipiendis destinati et sacri *concionatores*, antequam facultate donentur ea munia exercendi ;

» 8° Coram Ordinario ejusve delegato, Rector *Universitatis* vel Facultatis ; coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis ejusve delegato, *professores* omnes in Uni-

versitate seu Facultate canonice erecta, initio cujusque anni scolastici vel saltem initio suscepti muneris ; itemque qui, periculo facto, *academicis gradibus* donantur ;

» 9° Coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit, eorumve delegato, *Superiores* in religionibus clericalibus. » — *Cod., c. 1406, § 1.*

a) « Qui, priore dimisso, *aliud officium* vel beneficium aut dignitatem etiam ejusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam hujus canonis. » — *Ibid., § 2.*

b) « Obligationi fidei professionem emittendi non satisfacit qui eam per *procuratorem* vel coram laico emittit. » — *Cod., c. 1407.*

c) Qui fidei professionem sine justo impedimento emittere *negligat,* « moneatur, præfinito quoque congruo termino ; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, muneris, puniatur ; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos ». — *Cod., c. 2403.*

d) « *Reprobatur* quælibet *consuetudo* » contra canones de emittenda fidei professione. — *Cod., c. 1408.*

PROFESSIO CATHOLICÆ FIDEI

Ego *N.* firma fide credo et profiteor omnia et singula quæ continentur in symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum ; sedet ad

dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos : cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur : qui locutus est per prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto ; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet : Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; illaque gratiam conferre, et, ex his, Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis ; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor

etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Cetera item omnia a sacris Canonibus et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me erit curaturum, ego idem *N.* spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

50 *bis.* **IV. Decretum S. Officii de Consiliis a vigilantia et Juramento antimodernistico.**

Cum in Codice juris canonici nulla fiat mentio *Consiliorum a vigilantia* et *Juramenti antimodernistici*, de quibus respective agitur in Constitutione « *Pascendi Dominici gregis* » et Motu proprio « *Sacrorum Antistitum* », s. m. Pii PP. X, inspecto Codicis ipsius can. 6, n. 6, propositum est dubium : « *An præscriptiones ad duo supra memorata capita spectantes, in vigore manere pergant, an non ?* »

Re, jussu SSmi D. N. Benedicti XV ad Supremam Congregationem *Sancti Officii* delata, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei ac morum Inquisitores generales, in plenario conventu habito feria IV, die 20 martii 1918, expresse declarandum decreverunt : « Præscriptiones prædictas, ob serpentes in præsenti modernisticos errores latas, *natura* quidem *sua*, temporarias esse ac *transitorias*, ideoque in Codicem juris canonici referri non potuisse : aliunde tamen, cum virus *Modernismi* diffundi minime cessaverit, eas in *pleno suo robore* manere debere usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit ».

Et sequente feria SSmus D. N. « relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem plane adprobare ac *Sua suprema auctoritate* confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus ». — *S. Offic., 22 mart. 1918 (Acta,* x, *pag. 136).*

a) *Juramenti formula :*

« Ego.... firmiter amplector ac recipio omnia et singula quæ ab inerranti Ecclesiæ magisterio definita, adserta ac declarata sunt, præsertim ea doctrinæ capita quæ hujus temporis erroribus directo adversantur.

» Ac, primum quidem, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quæ facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor.

» Secundo : externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias, admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortæ christianæ Religionis, eademque teneo ætatum omnium atque hominum, etiam hujus temporis, intelligentiæ esse maxime accommodata.

» Tertio : firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac

directo institutam, eamdemque super Petrum, apostolicæ hierarchiæ principem, ejusque in ævum successores, ædificatam.

» Quarto : Fidei doctrinam ab Apostolis, per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio ; ideoque prorsus rejicio hæreticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo quem prius habuit Ecclesia ; pariterque damno errorem omnem quo, divino deposito, Christi Sponsæ tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanæ conscientiæ hominum conatu sensim efformatæ, et in posterum indefinito progressu perficiendæ.

» Quinto : certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse cæcum sensum religionis a latebris *subconscientiæ* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatæ, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptæ ex auditu, quo nempe, quæ a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus propter Dei auctoritatem summe veracis.

» Me etiam, qua par est reverentia, subjicio totoque animo adhæreo damnationibus, declarationibus, præscriptis omnibus, quæ in Encyclicis litteris « *Pascendi* » et in Decreto « *Lamentabili* » continentur, præsertim circa eam quam historiam dogmatum vocant.

» Item reprobo errorem affirmantium : propositam ab Ecclesia fidem posse historiæ repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianæ religionis originibus componi non posse.

» Damno quoque ac rejicio eorum sententiam qui dicunt : christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quæ credentis fidei contradicant, aut præmissas adstruere ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo hæc directo non denegentur.

» Reprobo pariter eam Scripturæ Sanctæ dijudicandæ atque interpretandæ rationem quæ, Ecclesiæ traditione, analogia Fidei, et Apostolicæ Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhæret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur.

» Sententiam præterea illorum rejicio qui tenent : doctori disciplinæ historicæ theologicæ tradendæ, aut iis de rebus scribenti, seponendam prius esse opinionem ante conceptam, sive de supernaturali origine catholicæ traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscujusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiæ principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque judicii libertate qua profana quævis monumenta solent investigari.

» In universum, denique, me alienissimum ab errore profiteor quo *modernistæ* tenent : in sacra traditione nihil inesse divini ; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt ; ita ut nihil jam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiæ factis æquandum, hominum nempe sua industria, solertia, ingenio, scholam a Christo ejusque apostolis inchoatam per subsequentes ætates continuantium.

» Proinde fidem Patrum firmissime retineo, et ad extremum vitæ spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione ;* non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cujusque ætatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur, nunquam aliter* intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos prædicata.

» Hæc omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo.

» Sic spondeo, sic juro, sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. » — *Motu proprio Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910.*

b) Jusjurandum hoc, præmissa Fidei professione per formulam a Pio V præscriptam, cum adjectis definitionibus Concilii Vaticani *(cf. n. 50)*, suo Antistiti dabunt, subscripto nomine :

1° « Clerici *majoribus* Ordinibus initiandi, quibus antea tradatur exemplar, tum professionis fidei, tum formulæ edendi jurisjurandi, ut eas accurate prænoscant. »

Sufficit ut præstetur ante ineundum sacrum *Subdiaconatus* ordinem, salvo Ordinarii jure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat. — *S. C. Consist., 24 mart. 1911 (Acta, III, 181).*

Alumni *religiosi* majoribus Ordinibus initiandi, tenentur hoc jusjurandum dare coram Episcopo Ordines conferente, non autem coram Moderatore religioso. — *S. C. Consist., 17 dec. 1910, ad 1 (Acta, III, 25).*

2° « Sacerdotes *confessionibus* excipiendis destinati ; et sacri *concionatores*, antequam facultate donentur ea munia exercendi. » — Item « adlecti concionibus habendis per *quadragesimale* tempus ».

Non tenentur autem *quotannis* renovare juramentum Vicarii parochiales, Confessarii et sacri Concionatores, quibus facultas singulis annis prorogatur. — *S. C. Consist., 25 oct. 1910, ad 5.*

Religiosi qui confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis destinantur, *coram eo* jusjurandum præstare debent a quo *approbationem* confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis obtinent. — *S. Cong. Consistor., 17 dec. 1910, ad 2.*

3° « Parochi, Canonici, Beneficiarii, ante ineundam beneficii possessionem.

4° » Officiales in *Curiis episcopalibus* et ecclesiasticis Tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et Judicibus.

5° » Officiales omnes in *Romanis Congregationibus* vel Tribunalibus, coram Cardinali Præfecto vel Secretario ejusdem sive Congregationis sive Tribunalis.

6° » Religiosarum familiarum Congregationumque *Moderatores* et *Doctores*, antequam ineant officium. »

Moderatores generales Ordinum et Congregationum religiosarum qui in posterum eligentur, jusjurandum præstabunt coram Præside Capituli generalis. — *S. C. Consist., 25 oct. 1910, ad 2.*

7° « Singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno prælectiones. » — *Motu proprio Sacrorum Antistitum.* — *Acta, II, 668, sq.*

Imo, voluit Pius X ut « Antistiti suo *textum* exhibeant quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quæstiones sive *theses ;* deinde ut *per annum* exploretur sua cujusque magisterii ratio : quæ si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur ». — *Ibid.*

Et jusjurandum cum textus exhibitione *quotannis* dandum est. — *S. C. Consist., 25 sept. 1910 (Acta, II, 740).*

c) *Vicarius generalis* delegari potest generali modo ad jusjurandum excipiendum, postquam ipse in manibus Episcopi jusjurandum præstiterit. — *S. Cong. Consist., 25 oct. 1910, ad 3.*

Et in casibus particularibus, data justa causa, Episcopi, et Moderatores Ordinum et Congregationum religiosarum, *delegare* possunt ad recipiendum juramentum sacerdotem aliquem, sive sæcularem, sive regularem, in aliqua dignitate vel officio constitutum. — *S. Cong. Consist., 25 sept. 1910, ad 8.*

d) Pluribus simul convenientibus, sufficit ut, formula juramenti ab *uno* recitata, a ceteris singulis, jujerurando emisso, formula ipsa subscribatur. — *S. Cong. Consist., 25 oct. 1910, ad 1.*

e) « Professionis fidei editique jurisjurandi *documenta* peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quæque officia. » — *Motu proprio Sacr. Antistitum, loco citato.*

Documenta jurisjurandi a Religiosis dati in tabulario illius Ordinarii adservanda sunt qui jusjurandum recepit. — *S. C. Consist., 17 dec. 1910, ad 3.*

f) » Si quis autem, quod Deus avertat, jusjurandum *violare* ausus fuerit, ad *Sancti Officii* tribunal illico deferatur. » — *Constit. Sacrorum Antistitum.*

Ad idem tribunal deferendi sunt etiam ii qui jurisjurandi formulam *subscribere* renuerint. — *S. C. Consist., 25 sept. 1910, ad 9.*

g) *Consilium a vigilantia* item servandum est ad normam encyc. Pii X « *Pascendi* », 8 sept. 1907.

1° Viri qui in illud adsciscantur « *altero quoque mense*, statoque die, cum Episcopo convenient. Quæ tractarint, decreverint, ea arcani lege custodiunto.

2° » Officii munere *hæc sibi demandata* habeant : Modernismi indicia ac vestigia, tam in libris quam in magisteriis, pervestigent vigilanter ; pro cleri juventæque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter præscribant.

» Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII monita : *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quæ, pravæ novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianæ vitæ ordinem, novas Ecclesiæ præceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.* Hæc in libris prælectionibusque ne patiantur....

» Libros ne negligant in quibus piæ cujusque loci traditiones aut sacræ reliquiæ tractantur....

» Illud demum *Consilio vigilantiæ* demandamus, ut ad *socialia instituta*, itemque ad scripta quævis de re sociali, assidue ac diligenter adjiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum præceptionibus respondeant. » — *Encyc. Pascendi.*

3° Ii qui *Consilium vigilantiæ* constituunt, si longe distent a civitate episcopali, et legitime impediti sint ab interveniendo, possunt, adducta causa impedimenti, scripto transmittere suam relationem. — *S. C. Consist. declar., 25 sept. 1910, ad 3.*

4° Locorum Ordinarii, saltem quo anno relationem de statu suæ ecclesiæ peragunt, « diligenti ac jurata enarratione *referant ad Sedem Apostolicam* de his quæ in hac Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quæ in clero vigent, præsertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quæ Ordinarii auctoritati non subsunt ». — *Encyc. Pascendi ; et S. C. Consist., 25 jan. 1912.*

51. **V. Omnes a christiana fide apostatæ, et omnes et singuli hæretici aut schismatici :**

a) Incurrunt ipso facto *excommunicationem* cujus « absolutio, in foro conscientiæ impertienda, est *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservata ».

« Si tamen delictum apostasiæ, hæresis vel schismatis, ad *forum externum* Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius generalis sine mandato speciali, resipiscentem, prævia abjuratione juridice peracta, aliisque servatis de jure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore *absolvere* potest ; ita vero absolutus potest deinde a *peccato* absolvi a quolibet confessario *in foro conscientiæ*. — Abjuratio vero habetur *juridice* peracta cum fit coram ipso Ordinario loci, vel ejus delegato, et saltem duobus testibus. » — *Cod., c. 2314.*

b) « Nisi moniti resipuerint, *priventur* beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, *infames* declarentur ; et clerici, iterata monitione, *deponantur.* » — *Ibid., § 1, n. 2.*

c) « Si *sectæ acatholicæ* nomen dederint, vel publice adhæserint, ipso facto infames sunt ; et, firmo præscripto can. 188, n. 4 *(cf. n. 317, b), clerici,* monitione incassum præmissa, degradentur. » — *Ibid., n. 3.*

52. **VI. Suspectus de hæresi est** « qui quoquo modo hæresis *propagationem* sponte et scienter juvat, aut qui *communicat* in divinis cum hæreticis, contra præscriptum can. 1258 ». — *Cod., c. 2316.*

a) « Suspectus de hæresi, qui *monitus* causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et *clericus* præterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis ;

b) » Quod si, intra *sex menses* a contracta pœna completos, suspectus de hæresi sese non emendaverit, habeatur tanquam *hæreticus,* hæreticorum pœnis obnoxius. » — *Cod., c. 2315.*

53. **VII.** « **Satis non est hæreticam pravitatem devitare,** sed oportet illos quoque *errores* diligenter fugere qui ad illam plus minusve accedunt.

a) » Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravæ hujusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt. » — *Cod., c. 1324.*

b) Et « pertinaciter docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, doctrinam quæ ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali *damnata* quidem fuit, sed *non uti formaliter hæretica,* arceantur a ministerio prædicandi verbum Dei audiendive sacramentales confessiones et a quolibet docendi munere, salvis aliis pœnis quas sententia damnationis forte statuerit, vel quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum duxerit. » — *Coc., c. 2317.*

ARTICULUS III

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA IN GENERE

Ubi de natura — et divisione jurisdictionis ecclesiasticæ.

§ I. De natura jurisdictionis ecclesiasticæ

Jurisdictio in genere est potestas publica, ad societatis regimen ordinata. — Unde :

54. **I. Jurisdictio ecclesiastica est** potestas publica imperandi fidelibus ea omnia quæ ad *finem Ecclesiæ* assequendum sunt quavis ratione *necessaria.*

a) Ideo complectitur totam mediorum œconomiam quæ apta sint gregem Christi *pascere* et regere, tum quoad *intellectum,* tum quoad *voluntatem,* ut *æterna* salus animarum et *proxima* earum sanctificatio in hoc mortalitatis stadio obtineatur, nempe : potestatem *docendi,* cum fides sit fundamentum societatis christianæ ; potestatem dispensandi fidelibus *bona spiritualia,* sacramenta, aliaque auxilia salutis ; potestatem ferendi *leges,* et in eis dispensandi ; instituendi *Ministros,* eosve removendi ; administrandi *res temporales* quæ ad Ecclesiam pertinent ; *judi-*

candi causas, tum reales tum personales ; atque contumaces *coercendi.*

b) Hæc potestas jurisdictionis, ut patet, « potest in solos *subditos* directe exerceri ». — *Cod., c. 201, § 1.*

55. **II. Potestas jurisdictionis distinguitur a potestate Ordinis :**

a) *Ratione objecti.* — Potestas enim Ordinis est illa quæ tribuit facultatem *sacrificium* offerendi, *sacramenta* ministrandi et *sacras functiones* peragendi, vel in illis peragendis *ministrandi ;* — dum potestas Jurisdictionis tota est *in regendis et gubernandis subditis.*

b) *Ratione subjecti.* — Nam, licet jurisdictio regulariter resideat in personis quibus collata est potestas Ordinis huic jurisdictioni respondens, *ambæ tamen ita separari possunt* ut potestas ordinis episcopalis, ex. gr., stare possit absque jurisdictione in Episcopo deposito vel renuntiante ; et, vicissim, jurisdictio episcopalis absque episcopali charactere in Episcopo canonice instituto qui, nondum consecratus, plenam tamen suæ diœcesis administrationem habet.

Unde concilium Tridentinum, *sess. 23, can. 7,* utrumque requirit in Episcopis, Ordinationem scilicet et legitimam missionem.

c) *Ratione modi quo confertur.* — Una enim tribuitur per *sacram Ordinationem,* seu ritus sacros jure divino aut ecclesiastico inductos. — Altera vero confertur per *missionem* qua subditi assignantur.

d) *Ratione modi quo existit.* — Potestas enim Ordinis est *æqualis* in iis qui eumdem ordinem habent, et *inamissibilis.* « Talis potestas, secundum suam essentiam, remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma sive in hæresim labatur. » — *S. Th., 2, 2., q. 39, a. 3.* — *Cf. Trid., sess. 23, cap. 4, De Ordine.*

Potestas autem jurisdictionis *diversos gradus habet,* cum pendeat ab imperio in subditos, atque hoc imperium, in omnibus ejusdem etiam Ordinis, non sit æquale ; — *res-*

tringi potest, sive quoad materiam, sive quoad loca, sive quoad personas; — imo *amitti* ex legitima Superioris voluntate, qui commissam jurisdictionem retrahere potest, ita ut, deficientibus subditis in quos exerceatur, actus, non modo illiciti sint, sed et omnino invalidi.

56. **III. Adest nihilominus inter Ordinem et Jurisdictionem mutua et intima relatio.**

a) Nam *potestas Ordinis* est regulariter *fundamentum* potestatis quæ dicitur *jurisdictionis*, quia sacra Ordinatio, præter potestatem Ordinis, confert insuper *habilitatem*, non actualem quidem, sed *radicalem*, perficiendi etiam actus jurisdictionis.

b) Verum, ex opposito, *potestas jurisdictionis* sic cum Ordinis potestate *concurrere* debet ut sine priore actus Ordinis, alii *illicite*, alii etiam *invalide* exerceantur.

57. **IV. Officium ecclesiasticum :**

a) « *Lato sensu* est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur.

b) » *Stricto* autem *sensu* est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticæ potestatis, sive *ordinis* sive *jurisdictionis*.

» In jure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat. » — *Cod., c. 145.*

c) *Majora* officia sunt quæ secumferunt potestatem episcopalem vel quasi-episcopalem ; cetera sunt *minora*.

58. **V.** « **Excommunicatione latæ sententiæ** *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservata plectuntur :

a) » Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ *edunt* ;

b) » Qui *impediunt*, directe vel indirecte, exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ, sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem. » — *Cod., c. 2334.*

Verba « *contra libertatem aut jura Ecclesiæ* » latissime patent, et omne prorsus feriunt legum aut decretorum genus quibus, nedum exercitium potestatis ecclesiasticæ, sive *jurisdictionis*, sive *Ordinis*, sed quodvis aliud jus *intercipitur*, *restringitur*, *perturbatur* : ut jus docendi, promovendi ad Ordines, publicas supplicationes obeundi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia erigendi, conferendi beneficia sine ullo interventu laicæ potestatis ; imo et jura quæ Ecclesiæ ut *societati* competunt, ex. gr. acquirendi bona temporalia, eaque libere administrandi.

Porro, censura feriuntur, et quidem *ipso promulgationis momento* : istiusmodi legum ac decretorum auctores, id est *Deputati* ac *Senatores* qui ipsis ferendis ac condendis efficaciter suffragantur ; *Princeps* qui suum nomen ipsis subscribit vel eas promulgat ; item *Ministri*, *Præfecti*, *Municipes*, etc., qui decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ ferunt, ut, ex. gr., decreta quibus monasteria vel loca pia supprimuntur.

§ II. De divisione jurisdictionis ecclesiasticæ

59. **I. Ratione fori,** jurisdictio ecclesiastica dividitur : in jurisdictionem *fori interni*, et jurisdictionem *fori externi*.

a) *Jurisdictio interna*, seu *fori interni*, est illa quæ primario et directe refertur ad *privatam* uniuscujusque fidelis utilitatem.

Subdividi potest : in jurisdictionem fori interni *sacramentalis*, quæ exerceri nequit nisi intra ipsum Tribunal sacramenti Pœnitentiæ ; et in jurisdictionem fori interni *extra-sacramentalis*, quæ extra prædictum Tribunal exercetur.

b) *Jurisdictio externa*, seu *fori externi*, primario et directe respicit *publicam* corporis fidelium utilitatem.

Ex. gr., facultas *prædicandi* Evangelium, *absolvendi* a peccatis, vel a censuris, quod spectat ad vinculum quo fideles cum Christo conjunguntur, est fori *interni*. — Sed facultas *concedendi potestatem prædicandi*, *absolvendi* sive a peccatis sive a censuris, ad forum *externum* pertinet, quia hæc in bonum communitatis directe refertur.

Jurisdictio fori externi, si rerum distributionem aut munera explenda respiciat, potius *administratio* dicitur.

c) « Actus potestatis jurisdictionis, sive ordinariæ sive delegatæ, collatæ pro foro externo, *valet quoque pro interno,* non autem e converso.

» Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno *extra-sacramentali,* nisi sacramentale exigatur.

» Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro *utroque* foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet. » — *Cod., c. 202.*

60. **II. Ratione objecti :** in jurisdictionem *voluntariam* et jurisdictionem *contentiosam.*

a) *Jurisdictio voluntaria,* seu *extrajudicialis,* versatur circa ea de quibus Superior pro prudenti arbitrio disponit, quin fieri possit *appellatio* canonica proprie dicta ; et, in istius juris exercitio, non alias regulas sequi tenetur quam æquitatis et sapientis regiminis.

Talis est jurisdictio *gratiosa,* qua Superior largitur favores, indulgentias, privilegia, facultates quarum concessio pendet ab illius placito ; item jurisdictio *legislativa et administrativa,* qua leges condit, Ministros instituit ; jurisdictio etiam *correctiva,* qua subditos emendat per modum paternæ correctionis ad illorum utilitatem, potius quam per modum pœnæ in vindictam delicti.

b) Jurisdictio *contentiosa,* seu *judicialis,* versatur circa ea quæ disceptationem in stricta *forma judiciali* requirunt ; atque etiam in *invitos* exercetur ; præsertim in causis criminalibus per inflictionem pœnarum quæ *ad vindictam ordinis publici* feruntur.

c) « *Judicialis potestas,* tam ordinaria quam delegata, exerceri nequit in *proprium* commodum, aut *extra territorium* » nisi judex a jurisdictione in suo territorio exercenda sit impeditus *(cf. can. 1637). — Cod., c. 201,* § *2.*

d) Sed, e contra, « nisi aliud ex rerum natura aut ex jure constet, *potestatem jurisdictionis voluntariam,* seu non-judicialem, quis exercere potest etiam in proprium commodum, aut extra territorium exsistens, aut in subditum e territorio absentem ». — *Ibid.,* § *3.*

61. **III. Ratione extensionis :** in jurisdictionem *universalem* et jurisdictionem *particularem.*

a) *Jurisdictio universalis* illa est quæ *nullo arctatur limite,* nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias potestati Ecclesiæ subjectas.

Illam habuerunt Apostoli ; sed, ipsis vita functis, a nemine unquam exerceri potuit nisi, vel a Pontifice Maximo, vel a Conciliis œcumenicis.

Universalis jurisdictio *quoad loca et personas,* sed non quoad materias, competit pluribus Congregationibus Romanis : ex. gr., S. Congr. Concilii, S. C. Rituum, etc.

b) *Particularis* est quæ restringitur : *vel ad certas personas,* qualis est jurisdictio Prælatorum Regularium in suos monachos ; — *vel ad certum locum,* qualis est jurisdictio Parochi in sua parochia, Episcopi in sua diœcesi, Metropolitæ in sua provincia, Patriarchæ in suo patriarchatu ; — *vel ad certas materias,* qualis est omnis jurisdictio concessa cum reservatione quorumdam casuum.

Quando jurisdictio particularis determinata est ad *certas personas,* non ad certa loca, exerceri potest *ubique locorum.* — Hinc, Prælatus Regularis jurisdictionem in subditos potest ubique exercere, modo non turbet jurisdictionem Episcopi in cujus diœcesi versatur.

62. **IV. Ratione tituli :** in *ordinariam* et *delegatam.*

a) Jurisdictio ordinaria dicitur illa quæ *antecedenter,* ex lege vel consuetudine, *adnexa* est alicui officio, ita ut quis illam habeat *jure proprio,* ratione officii aut dignitatis quam obtinet. — *Cf. Cod., c. 197, § 1.*

Hujusmodi est jurisdictio fori interni quæ *Parochis,* fori etiam externi quæ *Episcopis* et *Capitulis, sede vacante,* jure communi tribuitur ; item quæ, pro modo privilegiorum, *Abbatibus* ceterisque Prælatis Episcopo inferioribus conceditur.

« Potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria. »—*Cod., can. 197, § 2. — Cf. n. 842, a, ubi de Vicario generali.*

b) *Jurisdictio delegata* est illa quam quis habet, non jure proprio et vi sui muneris, sed solum ex commissione alterius cujus vice fungitur.

Jurisdictio *ordinaria* in jure *favorabilis* est, et idcirco late interpretanda ; *delegata* autem jurisdictio, cum deroget jurisdictioni ordinariæ, censetur *odiosa*, et ejus jura sunt *strictæ* interpretationis nisi delegatio facta sit « ad *universitatem* negotiorum ». — *Cod., c. 200.*

« Cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa sine quibus eadem exerceri non posset. » — *Ibid.*

c) Jurisdictio ordinaria quæ *de jure* titulo adnectitur, non simpliciter pendet a beneplacito conferentis titulum. Ideo, licet possit *accidentaliter* ab ipso in pluribus limitari, nequit tamen totaliter et in *substantialibus* immutari quamdiu possessor titulum non amiserit.

Et validi sunt per se actus jurisdictionis ordinariæ, etiam *contradicente* collatore tituli.

d) Vox *Ordinarius*, simpliciter prolata, designat personam ecclesiasticam cui competit, vi sui officii, jurisdictio *in utroque foro*. — Porro :

« In jure nomine *Ordinarii* intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, præter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio : Episcopus residentialis, Abbas vel Prælatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Præfectus Apostolicus, itemque ii qui prædictis deficientibus interim, ex juris præscripto aut ex probatis constitutionibus, succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores majores in religionibus clericalibus exemptis.

» Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum*, veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis. » — *Cod., can. 198.*

Qui externa jurisdictione pollent quam *principaliter*, non autem *titulo vicariali* exerceant, dicuntur *Prælati*, ut sunt Episcopi, Abbates, etc., non autem Vicarii generales.

Parochi habent quidem auctoritatem ordinariam in suos fideles, sed in foro dumtaxat *interno ;* ideoque, nec Ordinarii, nec Prælati dicuntur.

CAPUT IV

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS IN GENERE

Nempe : de potestate legislativa Ecclesiæ ; — de natura, objecto, — subjecto, — promulgatione, — effectu, — interpretatione legis ecclesiasticæ, — et de ejusdem cessatione.

ARTICULUS I

DE POTESTATE LEGISLATIVA ECCLESIÆ

63. **I. Ecclesiæ competit jure divino potestas legislativa in suos.**

a) *Probatur* ex *natura Ecclesiæ.* — Ecclesia est *divinitus* instituta in societatem perfectam ; atqui, *societati perfectæ* competit *potestas legislativa* in suos ; ergo, *jure divino* competit Ecclesiæ Christi potestas legislativa.

Prob. min. — Societas perfecta ea dicitur quæ est in se completa, *media* ad finem suum consequendum necessaria et sufficientia *in se* habet, et cui ideo competit jus *exigendi* a suis quidquid *necessarium* est ad hunc *finem* consequendum. — Atqui, ad finem consequendum, pro humani intellectus diversitate, et voluntatis inconstantia, indomitoque cupiditatum æstu, in qualibet agentium multitudine necessaria est *aliqua potestas* quæ habeat jus *designandi media,* atque omnes ad eadem adhibenda *obligandi :* qua in re potestas legifera consistit. — Ergo potestas legifera societati perfectæ competit. — *Tarquini, op. cit., lib. 1, num. 15.*

b) *Probatur* ex *verbis ipsius Christi.* — Christus enim Petro et Apostolis suis, quos regendæ Ecclesiæ suæ præfecit, tradidit *claves regni cœlorum,* potestatemque amplissimam *ligandi et solvendi,* adeo ut quæcumque ligaverint super terram debeant esse ligata in cœlis, et quæcumque solverint super terram soluta sint et in cœlis. — *Math.,* XVI, *19,* XVIII, *18.* — Petro specialiter commisit

pascendos oves et agnos suos. — *Joan.*, XXI, *15, 16, 17.* — Atqui :

1º *Claves,* usu loquendi etiam profano, et certissime usu loquendi scripturistico *(cf. Is.*, XXII, *22 ; Luc.*, XI, *52; etc.)*, denotant summam potestatem supra rem quæ clavibus subjicitur, adeo ut, pro natura rei subjectæ, possit ille cui traduntur de re illa libere disponere.

2º *Ligare et solvere* non physice accipiendum est, sed moraliter ; et significat morale vinculum seu obligationem quæ alicui imponitur agendi quidpiam vel non agendi : quod vere et proprie est *legem constituere.* Igitur, in jure ligandi et solvendi, potestas legum ferendarum continetur.

3º *Cura pascendi oves et agnos Christi* supponit, in eo cui committitur modo absoluto, potestatem oves et agnos *auctoritative* ducendi ad pascua salubria, et a noxiis amovendi ; seu, quando agitur de ovibus rationalibus, potestatem *obligatorio modo* proponendi cibos et alia media quibus comparari possit, et quidem abundantius, hæc vita ipsis a Christo allata.

Ceterum, notissimum est metaphoram *Pastoris* omni ævo indigitasse potestatem, beneficam simul et supremam, eorum qui populis præsunt.

c) *Accedit factum Apostolorum.* — Qui hanc sibi potestatem *vindicarunt,* quotiescumque id Ecclesiæ necessitas vel utilitas postulabat.

Ad vitandam offensionem Judæorum, tulerunt legem de abstinentia a « sanguine et suffocato », eamque *onus* appellarunt. — *Cf. Act.*, XV, *28.*

Eadem potestas elucet in diversis S. Pauli Epistolis : « Laudo vos, quod præcepta mea tenetis » *(I Cor.*, XI, *2).* — « Scitis quæ præcepta dederim vobis » *(I Thess.*, IV, *2).*

Et passim in *Apostolorum epistolis* legimus sancitas leges de dotibus Episcoporum, de bigamis non ordinandis, de neophytis non evehendis, de modo judicandi presbyteros, de connubiis, deque aliis id genus multis quæ ad externam Ecclesiæ disciplinam spectant. — *Soglia, Inst. jur. pub., part. 2,* § *5.*

d) *Successores etiam Apostolorum* ubique et semper ea potestate usi sunt, ut constat ex legibus ac decretis,

sive a Conciliis generalibus et particularibus, sive a Summis Pontificibus, conditis et promulgatis, ex quibus Corpus juris canonici conflatum est.

e) Merito igitur *Tridentina synodus* obligationem parendi Ecclesiæ legibus, velut *dogma fidei* definivit : « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit. » — *Sess. 7, can. 8.*

Et *concilium Vaticanum* declaravit : Romanum Pontificem habere « plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad *disciplinam* et *regimen* Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent ». — *Constit. Pastor æternus, cap. 3* .

64. **II. Corollarium de Placito Regio.** — Ex iis quæ dicta sunt de natura utriusque societatis civilis et ecclesiasticæ, sequitur errorem esse minime tolerandum : recensere inter *Regia jura* facultatem subjiciendi regio, ut aiunt, *Placet* seu *Exequatur*, Bullas et Brevia Pontificum et acta quæcumque ad Ecclesiæ regimen spectantia.

a) Societates enim civilis et ecclesiastica sunt *ab invicem distinctæ et independentes ;* imo, societas civilis est *subordinata* societati ecclesiasticæ *(cf. n. 23, sq.)*. — Ergo, sicut leges civiles vim obligandi habent præter approbationem auctoritatis ecclesiasticæ, ita, a fortiori, leges ecclesiasticæ debent habere vim obligandi præter approbationem auctoritatis civilis.

Equidem, leges civiles ab Ecclesia *reprobatæ* carent vi obligandi ; sed ratio non est quod earum vis ab Ecclesiæ approbatione dependeat ; reprobatio Ecclesiæ hoc unum denotat, nempe legem esse *irrationabilem*, ideoque de se nullam.

Verum leges *ecclesiasticæ*, etiam reprobatæ ab Auctoritate civili, non ideo vim obligandi amittunt.

b) Hanc usurpationem semper *Ecclesia reprobavit.*

1° Bullæ Pontificiæ quibus damnata est, ordine chronologico exhibentur apud Cavagnis, *Inst. jur. pub., l. 3, n. 25.*

2° *Pius IX* sequentes propositiones inter respuendos *errores* recensuit :

« Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu. » — *Syllab., prop. 20.*

« Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Litteras Apostolicas promulgare. » — *Ibid., n. 28.*

« Civili potestati.... competit potestas indirecta negativa in sacra ; eidem proinde competit.... jus quod vocant *Exequatur.* » — *Ibid., n. 41.*

« Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et spirituale regimen pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare quas Ecclesiæ Pastores, ad conscientiarum normam, pro suo munere, edunt. » — *Ibid., prop. 44.*

3° Et *Concilium Vaticanum* damnavit et reprobavit « illorum sententias qui supremi Capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt *sæculari potestati obnoxiam*, ita ut contendant : quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur ». — *Constit. cit., cap. 3.*

ARTICULUS II

DE NATURA ET OBJECTO LEGIS ECCLESIASTICÆ

65. **I. Definiente sancto Thoma lex est** « Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata ». — *1, 2, q. 90, art. 4.*

Revera, ex iis quæ hucusque de natura societatis disputata sunt, patet legem esse : *propositionem* alicujus *medii*, sive *positivi*, sive *negativi*, *obligatorio modo* ab eo factam in quo societatis *potestas* residet, ad ipsius societatis *finem*, sive *immediate* sive *mediate* assequendum, *sine perturbatione ordinis superioris.*

Unde, lex *differt a simplici præcepto :* tum *ratione subjecti*, quia subjectum cui lex imponitur est communitas, qua talis ; subjectum autem præcepti potest esse persona singularis ; — tum *ratione auctoris*, quia, ad legem condendam, non sufficit potestas œconomica vel dominativa, qualem habent pater in filios, herus in familiam, sed potestas publica quæ nomine jurisdictionis designatur ; — tum etiam *ratione finis*, quandoquidem finis legis est bonum commune, in præcepto autem directe et primario bonum privatorum spectatur. — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 13, cap. 4, n. 9.*

a) Profecto, societas jus habet, non modo exigendi quæ sunt *immediate necessaria*, id est quæ cum assecutione finis sunt immediate connexa, verum etiam quæ *mediate.*

Etenim, mediata hæc necessitas est vera necessitas, imo et ordinaria et communior. Sive enim ex imperfectione naturæ et voluntatis nostræ, sive ex ipsa difficultate finis, sive causa impedimentorum quæ intercedunt, vix unquam fieri potest ut uno actu finis apprehendatur ; sed sensim et per quosdam gradus est ad illum accedendum. — *Tarquini. Inst. jur. pub., lib. 1, n. 11.*

b) Verum *irrationabilis et nulla* est lex cujus objectum *non conducit* ad finem societatis.

Fundamentum enim potestatis quam, pro sua natura, societas habet exigendi aliquid a suis, situm est in necessario ejusdem *nexu* cum ipsius societatis fine ; atqui, in iis quæ nullo sub respectu ad finem sunt necessaria, ejusmodi nexus non habetur ; ergo nullum est jus societatis eadem pro natura sua exigendi.

Attamen, cum plura media suppetunt, quorum nullum est necessarium *in individuo*, aliquod autem necessarium est *in genere*, jus est societati eligendi quod *opportunius* judicaverit. Nam, ad assecutionem finis in societate, necessarium est ut inter membra sit *vera conspiratio ;* quæ nulla esset, vel saltem diu permanere non posset, si mediorum electio singulis relinqueretur. — *Cf. Tarquini, loc. cit.*

c) Item, *irrationabilis* est lex præcipiens aliquid *inhonestum et recto ordini contrarium.*

Unde, irrationabiles sunt leges humanæ quæ opponuntur *juri divino*, sive *naturali*, sive *positivo ;* et, non solum nullæ sunt, sed *nefas est eas observare.*

« Una illa hominibus causa est non parendi, ait Leo XIII, si quid ab eis postuletur quod cum naturali ac divino jure aperte repugnet ; omnia enim in quibus naturæ lex vel Dei voluntas violatur, æque nefas est imperare et facere. » — *Leonis XIII encycl. Diuturnum, 29 jun. 1881.*

66. **II. Leges distinguuntur, ex parte objecti,** in *præcipientes, vetantes, permissivas* et *pœnales.*

Et leges vetantes subdistinguuntur in leges *simpliciter vetantes* quæ reddunt actum *illicitum,* et in leges *irritantes* quæ faciunt actum quoque *invalidum,* aut saltem juridico valore destitutum.

« Irritantes aut inhabilitantes eæ tantum leges habendæ sunt quibus, aut actum esse nullum, aut inhabilem esse personam, *expresse* vel *æquivalenter* statuitur. » — *Cod., can. 11.*

a) Actus *de se indifferentes* possunt *præcipi* vel *vetari,* quando, ex adjunctis, vel aliquid conferunt ad bonum societatis, vel eidem bono adversantur.

b) *Objectum* legis *permissivæ* est actus indifferens ; imo et quandoque inhonestus, qui potius toleratur aut non punitur *ad majora mala vitanda ;* nam, sicut in regimine divino, « ita et in regimine humano, illi qui præsunt recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur ». — *S. Th., 2, 2, quæst. 10, art. 11.*

Conceptus autem legis *permissivæ* est in hoc quod legislator tueatur libertatem ejus qui aliquem actum emittit, contra omnes qui vellent ejus libertatem impedire.

c) Leges *pœnales* sunt quibus delinquentes coercentur. Sunt autem quæ et ad culpam obligant simul et ad pœnam ; aliæ vero *mere pœnales* quæ, non ad culpam in conscientia, sed tantum ad subeundam præfixam castigationem adigunt.

d) Leges Ecclesiæ, sive *ipso facto,* sive per *sententiam judicis,* actus *irritare* possunt. Quod ex tenore legis est eruendum.

Si solummodo rescissio actus in jure sit præscripta vel

permissa, actus in suo valore *sustinetur*, donec per legitimam auctoritatem rescindatur.

At, si ipso jure actus efficiatur nullus, illud consequitur quod tanquam validus *nequeat* sustineri.

67. **III. Actus interni :**

a) Qui comitantur actum externum, illumque *informant*, possunt ab Ecclesia *indirecte* præcipi.

Ecclesia enim actus præcipit *quatenus idoneos* ad finem obtinendum : ex. gr., recitationem horarum canonicarum quatenus ab animo procedit ; administrationem et susceptionem sacramentorum cum debita intentione et debitis animi dispositionibus.

Ideo damnata est ab Alexandro VII prop. 55 : « *Quis præcepto paschali satisfacit etiam sacrilega communione* ».

b) Sed verior sententia docet actus internos non posse *directe*, in foro externo, legibus humanis, ideoque etiam lege ecclesiastica, præcipi vel prohiberi.

1° *In sacris enim Litteris* mentis cogitationes et affectus cordis Deo reservantur, qui est *scrutator cordium* et *cognitor secretorum*. — *Cf. Psalm.* VII, *v. 10.*

Nec *Romani Pontifices* unquam actum mere internum præceperunt, aut prohibuerunt ; et, nedum asseruerint talem competere sibi potestatem, contrarium potius docuerunt, ut, ex. gr., Innoc. III, *in cap. 34, De simonia :* « Nobis datum est de manifestis tantummodo cogitare. »

2° *Ratio est*, quia *potestas legifera sese extendit quousque extenditur potestas judiciaria ;* « de his enim potest homo legem facere, de quibus potest judicare ». — *S. Th., 1, 2, quæst. 91, art. 4.* — Atqui, de simplici mentis cogitatione et affectibus cordis homo judicare non potest ; et notum est axioma : *Ecclesia de internis non judicat.* — Ergo, neque leges circa eosdem actus internos ferre potest.

Habet utique Ecclesia *forum pœnitentiale* in quo judicat de internis animi cogitationibus. At hæc judicia respiciunt directe et proprie singulos, *non vero christianam societatem ;* et hoc tribunal non est proprie dictum tribunal et forum Ecclesiæ, sed tribunal et forum conscientiæ *coram Deo ;* quare nil mirum si in eodem tribunali judicium feratur etiam de internis. Tribunal autem pro-

prium Ecclesiæ, cui respondet potestas legislativa, illud est quod respicit regimen totius societatis, ideoque objectum externum et visibile habet. — *Santi, in tit. De constitut., n. 15.*

3° Ex dictis sequitur recte intelligendum esse vulgare adagium : *Ecclesia de internis non judicat.* — Videlicet, Ecclesia non judicat de internis in judicio *publico*, seu in foro suo *externo*, bene vero in foro suo *interno.*

c) Non inde tamen concludas Ecclesiæ legiferam potestatem non sese extendere posse ad actus externos omnino *occultos.* — Actus enim mere interni sunt *de se et natura sua occulti ;* dum, e contra, actus externi non sunt occulti nisi *per accidens,* et de se sunt cognoscibiles, ideoque judicabiles ab humana jurisdictione.

Ideo, Ecclesia quandoque punit actionem externam occultam, constituens pœnas latæ sententiæ.

68. **IV. Actus præteriti :**

a) Non quidem possunt esse *objectum :*

1° *Legis præcipientis*, vel *simpliciter prohibentis ;* nam lex quæ est præcipiens vel prohibens, datur ad modum regulæ qua actus informentur ; ideoque dicitur, *in cap. 2, De constitutionibus,* legem ita solere « futuris formam imponere, ut dispendiis præterita non commendet ».

2° Neque *legis punientis,* modo saltem actus nulla anteriori lege prohibiti sint ; etenim « rem quæ culpa vacat, in damnum vocari non convenit ». — *Cap. cit.*

Diximus « *modo actus nulla anteriori lege prohibiti sint* » ; nam, si actus *antea* jam prohibitus fuerit *sine indictione pœnæ determinatæ*, poterit lex juste punire præcedens delictum, designando pœnam a judice inferendam ; quia, quando delicta jam commissa non habent certam pœnam taxatam, futura pœna est arbitraria, et hoc arbitrium potest lex definire. — *Cf. Suarez, De leg., lib. 3, cap. 14.*

b) Verum actus præteriti possunt esse *objectum :*

1° *Legis declaratoriæ.* — Cum enim declarare nihil aliud sit nisi, in casu obscuritatis et ambiguitatis, pandere et aperire quisnam fuerit sensus a legislatore intentus, sequitur legem declaratoriam non habere *novam et distinctam speciem* ab antiqua lege, ac omnia negotia, a

tempore editæ prioris legis, legi declarativæ subjici, ac juxta eam esse dijudicanda.

Legis declarativæ naturam induunt omnes *interpretationes authenticæ.* Hinc, ab Auctoribus exempla referuntur decisionum Sac. Congr. Concilii, quæ, interpretantes decreta concilii Tridentini, « præteritis formam » dederunt.

2° Vel *legis inhabilitantis.* — Ex una parte enim, inhabilitas non est proprie dicta *pœna* quæ datur propter culpam, ut patet exemplo irregularitatum ex defectu, nec privat jure quæsito, sed exhibet *impedimentum* quo quis a juribus acquirendis arceatur ; ex altera vero parte, inducitur propter *bonum publicum,* etsi privatos respiciat.

Attamen, si agatur de inhabilitate inducenda ob præteritas actiones, requiritur ut lex id *expresse* dicat ; nam certum est legem futuris dare formam negotiis, præterita vero non respicere, nisi de iis expresse caveat. — *Cap. ult. De constitutionibus.* — *Cf. Cod., c. 10.*

3° Vel tandem *legis irritantis.* — Nam, ut argumentatur Schmalzgrueber, non est minor vis *legis* quam *sententiæ ;* atqui, per sententiam a judice irritari potest actus; ergo et per legem, quando necessitas boni publici id postulat. — *In tit. De constit., n. 22.*

Oportet tamen intentionem legis esse *manifestam ;* secus irritatio intelligenda est de actibus tantum futuris ; et ratio est, quia Princeps jure quæsito neminem privare censetur, nisi id exprimat. — *Cf. cap. ult. De constitut.*

69. **V. Actus heroici** appellantur ii « qui, ratione habita circumstantiarum, admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt ». — *Ben. XIV, de canoniz. Sanctorum, lib. 3, cap. 21.* — Actus autem communes sunt illi qui ordinariam hominum virtutem non excedunt.

a) Porro, illis *qui statui peculiaris perfectionis sese voluntarie addixerunt,* Ecclesia potest præcipere actus etiam heroicos qui ad perfectionem illam referuntur. Ita monialibus præcipit perpetuam clausuram, et clericis majoribus imposuit legem cœlibatus, etc.

b) *In genere* vero, auctoritas quælibet actus heroicos ac nimis arduos *præscribere nequit.* Non debet enim omnibus de communitate onus imponi quod ab aliquibus tantum sustineri potest.

Non inde tamen inferas legem ecclesiasticam *nunquam* posse obligare cum *periculo* vitæ aut alterius gravis jacturæ. — *Cf. n. 84.*

ARTICULUS III

DE SUBJECTO LEGIS ECCLESIASTICÆ

70. **I. Legibus Ecclesiæ universalibus** obligantur omnes et soli *subditi*, ratione utentes.

Legislator enim nonnisi a *subditis* obedientiam exigere potest ; — et quidem *ratione utentibus*, nam lex est regula et mensura quæ humanas actiones dirigit ; atqui, illi soli qui usum rationis sunt adepti, humano modo per leges dirigi valent.

Imo, « legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui, licet rationis usum assecuti, *septimum* ætatis annum nondum expleverunt, nisi aliud expresse caveatur ». — *Cod., c. 12.* — Unde pronum est concludere :

a) *Infideles* et *catechumenos* nulla lege ecclesiastica teneri, quia in Ecclesiam non sunt per baptismi januam ingressi. Ideo S. Paulus ad Corinthios, *I Cor.*, v, *12*, ait : « Quid mihi de iis qui foris sunt judicare ». — *Cf. Trid., sess. 14, cap. 2, De pœnitentia ; et Cod., c. 12.*

Attamen Ecclesia jus divinum habet ubique terrarum Evangelium *prædicandi*, quo infideles ad veritatem adducantur : sed hoc *solum* est quod in infidelium bonum sibi vindicat.

b) *Hæreticos, schismaticos et apostatas* obligari *per se* legibus Ecclesiæ.

1° Revera, perdurat in eis *fundamentum subjectionis* quod est *character baptismalis ;* et, licet amiserint jura fidelium, non tamen Ecclesiæ jurisdictioni subtrahuntur. Secus Ecclesia non posset eos *punire*, quod falsum est et disciplinæ ecclesiasticæ contrarium.

2° Diximus « *per se* », nam quæritur utrum, *de facto*, Ecclesia *velit* eos suis legibus obligare quos contumaces esse ex experientia cognoscit, et quibus, si leges imponerentur, id aliud non esset nisi eorum peccata multiplicare, unde exercitium potestatis ecclesiasticæ esset in *destructionem* et non in *ædificationem.*

Porro, sententia communis est eos legibus illis teneri quæ *necessariæ* sunt, pro tota communitate christiana, ad servandum honestos mores ordinemque publicum, et ad abusus compescendos *communi bono* Ecclesiæ adversantes.

Sed, quoad leges quæ ad sanctificationem *personarum* directe tendunt, ut sunt leges jejunii, festorum, etc., censenda est Ecclesia *mitius* cum hæreticis agere, nec velle illos suis legibus obligare, quia, ob istorum contumaciam, prævideri nihil aliud potest nisi violatio legis et major delinquentium iniquitas.

c) *Legislatorem* non ligari *directe* suis legibus, cum non sit sui ipsius subditus.

1° Attamen illi omnes qui sunt solummodo *conlegislatores*, tenentur, absque dubio, legibus communi consilio et voluntate latis.

Ratio est, quia in eo casu legislator proprie est *ipsum corpus morale*, non *persona singularis :* senatores, v. gr., et deputati simul sumpti, non quivis deputatus aut senator : Episcopi comprovinciales in unum, non autem talis aut talis Episcopus.

2° Et legislator absolutus, qui plenitudinem legislativæ potestatis habet in propria persona, non tenetur quidem suis legibus quoad vim *coactivam ;* sed *indirecte*, ex æquitate naturali, et ratione ordinis, ad scandalum vitandum, et ipse tenetur, quoad vim *directivam*, suis legibus se conformare quæ *decent legislatorem æque ac subditos.*

Quæ obligatio, non ex ipsa legislatoris humani voluntate, sed ex *divina ordinatione* est derivanda. « Totius enim familiæ Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite .» — *Trid., sess. 24, cap. 1, De ref.* — *Cf. can. 2, dist. 9.*

71. **II. Legibus universalibus ratione territorii, sed particularibus ratione subjecti,** ut quæ latæ sunt pro

quibusdam personis, ex. gr., pro Clericis, Parochis, etc., tenentur *omnes* et *soli* quos legislator voluit obligare. — Ratio manifesta est.

Idem dicatur de legibus universalibus quæ ad obligationem supponunt in subjecto *aliquas conditiones*. Ex. gr. *lege jejunii* non tenentur nisi habentes debitam ætatem.

72. **III.** « **Legibus conditis pro peculiari territorio** ii tantum subjiciuntur pro quibus latæ sunt, quique ibidem *domicilium* vel quasi-domicilium habent, et simul *actu commorantur*, firmo præscripto can. 14 » de peregrinis. — *Cod., c. 13, § 2.. — Cf. n. 74.*

Ratio est quia, in casu, jurisdictio ad territorium limitatur, et *mediante illo* censetur afficere subditos in eo degentes.

Unde, nisi forte eximantur auctoritate Summi Pontificis a jurisdictione Prælati inferioris, *legibus Episcopi* tenentur omnes et soli subditi in diœcesi commorantes ; *legibusque Synodi provincialis,* omnes et soli subditi commorantes in provincia, etc.

Exempti, v. gr. Regulares, licet *directe* et stricto jure non teneantur Episcopi legibus, *sæpe tamen*, propter bonum commune et scandalum vitandum, tenentur ad observandas leges Epíscoporum vel Synodorum particularium. — *Cf. Wernz, Jus decret, tom. 1, num. 105.*

73. **IV. Præcepta singulis data eos quibus dantur ubique urgent.** — *Cod., c. 24.*

« Ratio discriminis est, *ait Bened. XIV*, quia *lex seu statutum* per se et immediate afficit *territorium* seu diœcesim, eique quasi cohæret, ac proinde non potest obstringere eum qui extra diœcesim moratur ; dum *præceptum* afficit immediate *personam*, ejusque ossibus hæret quocumque terrarum discesserit. » — *De syn., lib. 13, cap. 4, n. 9.*

a) Attamen « *judicialiter* urgeri nequeunt ; et cessant *resoluto jure* præcipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint ». *Cod., c. 24.*

b) « Lex non *præsumitur* personalis sed territorialis, nisi aliud constet. » — *Cod., c. 8, § 2.*

74. **V. Peregrini,** nempe qui *accidentaliter* versantur in loco ubi nec domicilium nec quasi-domicilium habent :

a) Tenentur quidem *legibus universalibus* vigentibus in loco ubi morantur, etiamsi eædem leges non vigeant in proprio territorio. Et *ratio est*, quia peregrini subsunt legisla ori communi, et privilegio sui loci non possunt gaudere absentes, nisi *personaliter* cum eis fuerit dispensatum. — *Cod., c. 14, § 1, n. 3.*

Vicissim, legibus *favorabilibus* et *dispensationibus* localibus territorii in quo actu versantur, legitime frui possunt. — *Ibid.*

b) Sed « non adstringuntur legibus particularibus *sui territorii* quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales ». — *Cod., c. 14, § 1, n. 1.*

Id valet etiamsi exierint animo se subducendi ab earum obligatione ; legislator enim non obligat subjectos ad *commorandum* in loco, sed *ad servandam legem* quamdiu ipsi in loco versantur.

c) « Neque legibus *territorii in quo versantur*, iis exceptis quæ ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant. » — *Ibid., num. 2.*

Ideo, licet aliqua lex *particularis* vigeat tum *in patria* tum in loco *actualis commorationis*, peregrinus tamen hujusmodi lege non videtur teneri. Non tenetur enim legibus patriæ quia abest, nec obligatur legibus loci in quo versatur, utpote peregrinus.

75. **VI. Vagi** obligantur « legibus tam *generalibus* quam *particularibus* quæ vigent in loco in quo versantur ». — *Cod., c. 14, § 2.*

ARTICULUS IV

DE PROMULGATIONE LEGIS ECCLESIASTICÆ

Promulgatio est : Manifestatio legis authentica, id est, ab ipso legislatore, vel de ejus mandato, facta communitati, ad inducendam obligationem ; ideoque differt a mera *divulgatione*, qua notitia legis sensim in populum diffunditur.

76. **I. Promulgatio necessaria est,** ut lex constituatur in suo esse *formali.*

Nam, « ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod *applicetur* hominibus qui secundum eam regulari debent ; talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione ». — *S. Th., 1, 2, qu. 90, art. 4.*

Unde *Gratianus* ait : « Leges instituuntur cum promulgantur ». — *Dist. 4, can. 3.* — *Cod., c. 8, § 1.*

Et ideo, si quis habeat *notitiam* legis antequam toti communitati promulgetur, ea lege non tenetur, quia, ante hujus manifestationem authenticam, vim obligandi non habet.

77. **II. Lex, natura sua, nullum requirit determinatum promulgationis modum,** sed solum quod *sufficienter proponatur* communitati hoc vel illo modo quo, mediate vel immediate, simul vel successive, ad omnium notitiam moraliter devenire possit.

Ideo « promulgandi Pontificias constitutiones ac leges *non idem semper* decursu temporis in Ecclesia catholica fuit modus.

a) « A pluribus tamen sæculis consuetudo invaluit ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam *Urbis* affixa locis, præsertim ad Vaticanæ ac Lateranensis Basilicæ valvas.

» Quæ autem Romæ, tamquam in christianæ reipublicæ centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea *ubique gentium* promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant.

b) » Verum, quum promulgandæ legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere, idcirco factum est ut, vel anteactis temporibus, *non omnes* Apostolicæ Sedis leges ac Constitutiones, *memorata forma*, hoc est consuetis Urbis affixæ locis, promulgarentur.

c) » Recentius, sacrarum præsertim *Congregationum* opera, quibus Romani Pontifices, ad leges jam latas declarandas aut ad novas constituendas utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta Sanctæ Sedis ejusque decreta, *in Officio a secretis* a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, *hoc ipso promulgata* haberentur.

» Publici sic juris effecta, dubitari quidem nequit quin acta ipsa

rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis, contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite *approbata* a Pontifice Maximo.

d) » Huic tamen promulgandi rationi etsi plena vis esset, *solemnitas* illa deerat quam par est supremæ auctoritatis actis accedere. » — *Pii X constit. Promulgandi, 29 sept. 1908 (Acta Apostolicæ Sedis, vol. 1, pag. 5).* — Quapropter :

78. **III. Ab ineunte anno** 1909, jussu Pii X « *Commentarium officiale* » cui titulus « *Acta Apostolicæ Sedis* » ex Vaticanis typis prodiit. Et voluit idem Pontifex « Constitutiones Pontificias, leges, decreta, aliaque, tum Romanorum Pontificum, tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Prælati a secretis aut majoris Administri ejus Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eaque unica ratione, *legitime promulgata* haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum. » — *Constit. cit.*

79. **IV. Lex de se obligat statim ac fuerit debito modo promulgata;** facta enim promulgatione, lex in suo esse completo constituitur.

a) Verumtamen, nisi aliud edicatur expresse, leges Apostolicæ Sedis promulgatæ per editionem in *Actorum S. Sedis Commentario officiali*, vim suam exserunt « tantum expletis *tribus mensibus* a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta ». — *Cod., c. 9.*

b) Imo, novi Codicis præscripta, licet in *Commentario officiali* promulgata die 28 junii 1917, voluit Benedictus XV vim obligandi non habere nisi a die Pentecotes anni proxime venturi. — *Constit. Providentissima Mater, 27 maii 1917.*

80. **V. Leges episcopales,**

a) Si promulgentur in *Synodo* diœcesana, eo ipso obligare incipiunt, nulla alia requisita publicatione, nisi aliud expresse caveatur. — *Cod., c. 362.*

b) *Extra Synodum,* « modus promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur ». — *Cod., c. 335, § 2.*

ARTICULUS V

DE EFFECTU LEGIS ECCLESIASTICÆ

Effectus legis est : obligatio seu morale vinculum quo adstringimur ad ejus observationem.

81. **I. Obligat in conscientia quælibet lex humana,** modo sit *justa :* ideoque, secundum S. Thomam, lex dicitur a *ligando.* — *1, 2, qu. 90, art. 1.*

a) Nulla enim societas consistere potest nisi aliquis omnibus *præsit,* qui singulos, simili efficacique impulsione, ad commune propositum *moveat.* Ergo, tum civili, tum ecclesiasticæ societati, necessaria est *auctoritas* qua regatur : quæ, non secus ac ipsa societas, a *Deo* ipso oriatur auctore.

« Ex quo illud consequitur : *potestatem publicam* per se ipsam *non esse nisi a Deo.* Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum Dominus, cui subesse et servire omnia quæcumque necesse est, ita ut quicumque jus imperandi habent, non id aliunde accipiant nisi ab illo summo omnium Principe Deo. » — *Leonis XIII enc. Immortale Dei,* § *Non est magni.* — *Cf. Epist. ad Rom.,* XIII, *1.* Quapropter, spernere potestatem legitimam, quavis in persona eam esse constiterit, non magis licet quam *divinæ* voluntati resistere : « Qui resistit potestati, *Dei ordinationi* resistit ; qui autem resistunt, ipsi sibi *damnationem* acquirunt. » — Ideo obedire necesse est, « non solum propter iram, sed etiam *propter conscientiam* ». — *Rom.,* XIII, *2, 5.* — *Cf. enc. Sapientiæ christianæ,* § *Sanctum.*

b) Diximus « *modo lex sit justa* », nam, « ubi imperandi jus abest, vel si quidquam præcipiatur rationi, legi æternæ, imperio Dei contrarium, *rectum est non parere,* scilicet hominibus, ut Deo pareatur ». — *Enc. Libertas.* — *Cf. enc. Sapientiæ christ.* § *Ceterum et seq.*

Unde, « si Reipublicæ leges aperte discrepent cum jure divino, si quam Ecclesiæ imponant injuriam, aut iis, quæ sunt de religione,

officiis contradicant, vel auctoritatem Jesu Christi in Pontifice Maximo violent, tum vero *resistere officium est, parere scelus ;* idque cum ipsius reipublicæ injuria conjunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religione delinquitur. » — *Leonis XIII enc. Sapientiæ christianæ, 10 jan. 1890.* — *Cf. n. 65, c.*

c) Lex obligat *sub gravi* vel *sub levi :* secundum quod determinatur, sive ab ipso *legis objecto*, sive a *legislatoris voluntate.*

Voluntas vero legislatoris indicatur : sive ex ipsius legis tenore, sive ex gravitate pœnarum quas transgressoribus minatur, sive tandem ex communi Doctorum judicio.

82. **II. Leges mere pœnales dari possunt,** quæ obligent *in conscientia,* non quidem ad ponendum actum, sed ad subeundam pœnam nisi legi fuerit obtemperatum. — *Cf. S. Th., 2, 2, qu. 189, art. 9, ad. 2.*

Obligatio enim legis *ex voluntate legislatoris* desumenda est. Porro, legislator potest intendere et declarare se solum quoad pœnam velle subditos obligare.

83. **III. Lex quæ nititur præsumptione periculi communis** etiam cunctos obligat, licet quandoque *fallat* hæc præsumptio, et in casu particulari periculum non adsit. — *Cod., c. 21.*

a) *Ratio* enim hujusmodi legum est *periculum damni vel fraudis,* quod, etsi cesset in aliquo particulari casu, manere tamen potest in aliis, et ita *fundamentum exhibet* alicujus legis universalis.

b) Harum *exempla* sunt : leges quibus irritantur matrimonia clandestina, professio religiosa ante legitimam ætatem, contractus pupilli absque auctoritate tutoris ; prohibitiones librorum, etc.

84. **IV. Non obligant** autem leges humanæ quæ observari nequeunt nisi *cum gravi periculo* vitæ, aut alterius gravis jacturæ ; non enim fas est supponere legislatorem voluisse in his casibus obligare.

Si tamen violatio legis vergat in *damnum societatis,* vel in *contemptum Dei seu religionis,* aut in *grave scandalum*

proximi, urget legis obligatio, sive ratione boni communis quod privato bono est præferendum, sive ratione præcepti naturalis aut divini quod per accidens legi humanæ adnexum est. — *Cf. II Machab.*, VI, *18-31.*

85. **V. Ab acceptatione populi** non pendet obligatio legis. — Nam « lex, sufficienter promulgata et proposita ab habente auctoritatem, *obligat ad sui observationem*, ergo et *ad sui acceptationem* ; ergo non est possibile ut acceptatio sit conditio necessaria in ipsa causa, vel ad esse vel ad operari, quia talis conditio supponitur ad effectum ». — *Suarez, De legibus, lib. 3, cap. 19, n. 5.*

Ideo Alexander VII merito sequentem propositionem *damnavit* : « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam. » — *Prop. 28 inter damnatas.*

a) Unde, leges ecclesiasticæ de se obligant, absque *fidelium* vel *Pastorum* acceptatione. — *Cf. Trid., sess. 7, De Baptismo, can. 8.*

b) Quia tamen leges Ecclesiæ universales, *per accidens* alicujus regionis utilitati minus accommodari possunt, ex legitima interpretatione supponi potest, in his rerum adjunctis, Summum Pontificem assentiri ut *legis obligatio non urgeatur*, donec, supplicatione ad Sanctam Sedem directa, motiva non acceptationis exponantur. — *Cf Bened. XIV, De syn. diœc., lib. 9, cap. 8.*

86. **VI. Ad obligationem subjectivam,** duo requiruntur : nempe *scientia* ex parte intellectus, et *libertas* ex parte voluntatis.

a) « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in *dubio juris* non urgent ; in *dubio* autem *facti* potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet. » — *Cod., c. 15.*

b) « Nulla *ignorantia* legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur. » — *Cod., c. 16, § 1.*

c) Et, in foro *externo,* licet ignorantia circa *factum* alienum non notorium præsumatur donec contrarium

probetur, tamen « ignorantia vel error circa *legem* aut *pœnam*, aut circa factum *proprium*, generatim non præsumitur ». — *Cod., c. 16, § 2.*

Verum, si quis « per judicem condemnetur quia deficit in probatione, et ipse certus sit in conscientia de sua inculpabili ignorantia : licet *exterius* teneatur parere, tamen *in conscientia* non tenetur exsequi pœnam, potestque illam omittere, cavendo scandalum ». — *Suarez, De leg., lib. 5, cap. 12, n. 8.*

ARTICULUS VI

DE INTERPRETATIONE LEGIS ECCLESIASTICÆ

Videlicet : de variis interpretationum generibus ; — et de regulis præcipue servandis in interpretatione doctrinali.

§ I. De variis interpretationum generibus

Interpretatio legis communius dividitur in *authenticam usualem* et *doctrinalem*.

87. **I. Interpretatio authentica, seu juridica,** *vim legis obtinet ;* quippe quæ fit ab ipso legislatore, aut ejus successore, vel ab alio habente commissam a Principe potestatem. — *Cod., c. 17, § 1.*

Porro, *sola Ecclesia,* independenti jure, suam legem valet interpretari, et quascumque controversias inde enatas suo judicio definire. — *Cf. n. 63, 19, sq.*

a) Necessaria non est *nova promulgatio* ad vim legis urgendam, si interpretatio legislatoris sit *mere comprehensiva ;* quia hujusmodi sensus, quo nihil legi additur, neque aliquid a lege aufertur, jam continebatur in lege, et cum lege fuit promulgatus.

b) Aliud vero tenendum est de interpretatione *extensiva* vel *restrictiva ;* hæc enim interpretatio legislatoris, cum sit quasi *novum statutum,* non retrotrahitur, et nova etiam promulgatione indiget. — *Cf. Cod., c. 17, § 2.*

c) Interpretatio data per modum sententiæ judicialis, aut rescripti in re *peculiari,* « vim legis non habet,

et ligat tantum *personas* atque afficit res pro quibus data est ». — *Cod., c. 17, § 3.*

d) Promulgato novo Codice juris canonici, Benedictus XV Consilium seu *Commissionem* instituit « cui uni jus erit Codicis canones *authentice interpretandi,* audita tamen, in rebus majoris momenti, Sacra ea Congregatione cujus propria res sit quæ Consilio disceptanda proponitur ». — *Motu proprio Cum juris canonici, 15 sept. 1917 (Acta,* IX, *483).*

Hæc Commissio, in plenario cœtu die 9 dec. 1917 habito, statuit « respondendum esse tantum dubiis *propositis* ab Ordinariis, a Superioribus majoribus Ordinum et Congregationum religiosarum, etc., non vero iis quæ proponantur a privatis personis, nisi mediante proprio Ordinario ». — *Acta,* X, 76.

Dubia quæ *minoris* sunt *momenti,* aut non multum difficultatis habent, solvi possunt ab Emo Præside Commissionis. — *Acta,* XI, *480.*

88. **II. Interpretatio usualis** moribus et usu populi introducitur, habetque et ipsa *vim legis.*

Sicut enim usus, quando debitæ adsunt conditiones, potest *obligationem novam* inducere, ita potest, sub iisdem conditionibus, obligationis jam præexistentis *extensionem* determinare.

Hæc interpretatio dicitur *consuetudo secundum legem ;* et de ipsa habetur juridicum effatum : quod sit « *optima legum interpres consuetudo* ». — *Cod., c. 29.*

89. **III. Interpretatio doctrinalis seu scholastica** fit a *privatis Doctoribus* juris peritis.

a) Vim legis *non obtinet.* — Verum *non levem habet auctoritatem,* et eo majorem quo gravioribus rationum momentis innixa est, atque a numerosioribus et eminentioribus Doctoribus proposita.

b) Imo, « si in alicujus legis intelligentia *omnes Interpretes conveniant,* faciunt humanam certitudinem, et, regulariter loquendo, inducunt obligationem servandi legem, et utendi illa in praxi juxta talem interpretationem : tum quia tanta consensio Doctorum indicat *com-*

munem acceptationem et observantiam legis in illo sensu : tum etiam quia vix accidere potest ut contra communem omnium Doctorum interpretationem tam efficax ratio occurrat ut in conscientia reddat securam contrariam intelligentiam ». — *Suarez, De leg., lib. 6, cap. 1, n. 6.*

§ II. De regulis præcipue servandis in interpretatione doctrinali

90. **I.** « **Leges ecclesiasticæ intelligendæ sunt secundum propriam verborum significationem** in textu et contextu consideratam ; quæ si *dubia* et *obscura* manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum. » — *Cod., c. 18.* — *Cf. reg. 88 juris, in 6°.*

a) Mens vero legislatoris colligitur : tum ex *materia legis*, tum ex *circumstantiis*, præcipue autem ex *ratione* in lege posita ; ratio enim legis est anima legis, prout desumitur ex *can. Consuetudo, dist. 1.*

b) Unde, aliquando licitum est uti ἐπιείκεια, id est *interpretatione benigna*, qua prudenter præsumitur casum non comprehendi sub lege, quamvis expressis verbis non exceptum ; quia, ut fert altera regula interpretationis, « *potior debet esse ratio æquitatis quam stricti juris* » ; et genuino sensu dicitur *exceptionem* a regula ipsam regulam in aliis *firmare.*

Ideo, ex. gr., licitum est non audire sacrum, ad inserviendum ægroto graviter decumbenti, vel ad cavendam honoris aut rei familiaris jacturam.

91. **II. Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse juris dispositio. — De similibus idem est judicium.** — *Cf. cap. 2, De translatione Episcopi.*

a) Quoniam enim *ratio legis est anima legis*, ubicumque locum habet ratio legis, etiam lex ipsa locum habere debet, et, ex mente legislatoris, comprehenditur omnis casus in quo concurrit illa ratio.

b) Ideoque, « si certa de re desit expressum præ-

scriptum legis, sive generalis sive particularis, *norma sumenda est*, nisi agatur de pœnis applicandis : a legibus latis in similibus ; a generalibus juris principiis cum æquitate canonica servatis ; a stylo et praxi Curiæ Romanæ ; a communi constantique sententia doctorum. » — *Cod., c. 20.*

92. **III. Odia sunt restringenda** *(Regula 15 juris, in 6°).* — Concordat regula 30 : « **In obscuris minimum est sequendum.** »

a) Unde « leges quæ *pœnam* statuunt, aut liberum jurium exercitium *coarctant*, aut *exceptionem* a lege continent, strictæ subsunt interpretationi ». — *Cod., can. 19.*

b) Et, quia « *in pœnis benignior est interpretatio facienda* », non licet « pœnam de persona ad personam, vel de casu ad casum, producere, quamvis par adsit ratio, imo gravior, salvo tamen præscripto can. 2231 », nempe nisi plures ad delictum perpetrandum concurrerint. — *Cod., can. 2219, § 1 et 3.*

c) « At, si dubitetur utrum pœna, a Superiore competente inflicta, sit *justa*, necne, pœna servanda est in utroque foro, excepto casu appellationis in suspensivo. » — *Ibid., § 2.*

93. **IV. Favores convenit ampliari** *(Regula 15 juris, in 6°)*, nisi aliud ex verbis legis appareat.

Ideo leges favorabiles, quæ bonum publicum procurant, nullo gravi onere inducto, vel quæ concedunt *merum beneficium* absque læsione sive aliorum sive juris communis, ut sunt privilegia præter legem, facultas concedendi dispensationes, non vero ipsa dispensatio quæ est odiosa, etc., convenit *ampliari*, hoc sensu quod, si intentio legislatoris satis non appareat, verba accipi debeant *secundum amplam suam significationem.*

94. **V. Non censetur plus de priori lege mutatum quam est expressum in posteriori.**

Correctio enim legum, utpote odiosa, non est facile

præsumenda : sed « *expedit concordare jura juribus, et eorum correctiones evitari* ». — *Cap. 29, De elect., in 6º.* Unde regula 34 juris, in 6º : « *Generi per speciem derogatur* », id est : quando duæ dispositiones habentur sibi invicem contrariæ, illa quæ magis specialis est derogat generali, in ea parte qua conciliari non possunt. — Ideoque « leges posteriores ad priores *trahendæ* sunt, et his, quantum fieri possit, conciliandæ ». — *Cod., c. 23.*

95. **VI. Tempus supputetur ad normam canonum qui sequuntur,** nisi aliud expresse caveatur, et « salvis legibus liturgicis ». — *Cod., c. 31.*

a) « Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte ; hebdomada 7 diebus. »

« In jure, nomine mensis venit spatium 30, anni vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario. » — *Cod., c. 32.*

b) « In supputandis horis diei, standum est communi loci usui ; sed in privata *Missæ* celebratione, in privata *horarum canonicarum* recitatione, in *sacra communione* recipienda et in *jejunii* vel *abstinentiæ* lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium. »

« Quod attinet ad tempus urgendi contractuum obligationes, servetur, nisi aliter expressa pactione conventum fuerit, præscriptum *juris civilis* in territorio vigentis. » — *Cod., c. 33.*

c) « Si mensis et annus designentur proprio nomine vel æquivalenter, ex. gr., *mense februario*, *anno proxime futuro*, sumantur prout sunt in calendario. » — *Cod., c. 34.*

d) « Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur, ex. gr., *suspensio a Missæ celebratione per mensem aut duos annos*, *tres in anno vacationum menses*, etc., tempus supputetur de momento ad momentum ; et si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario ; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365. » — *Ibid., § 2.*

e) « Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus aut tandem pluribus diebus, et terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur :

» 1º Menses et anni sumantur prout in sunt calendario ;

» 2° Si terminus *a quo* coincidat cum initio diei, ex. gr., *duo vacationum menses a die 15 augusti*, primus dies ad explendam numerationem computetur, et tempus finiatur incipiente ultimo die ejusdem numeri ;

» 3° Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei, ex. gr., *decimus quartus ætatis annus*, *annus novitiatus*, *octiduum a vacatione sedis episcopalis*, *decendium ad appellandum*, etc., primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die ejusdem numeri ;

» 4° Quod si mensis die ejusdem numeri careat, ex. gr. *unus mensis a die 30 januarii*, tunc, pro diverso casu, tempus finiatur incipiente vel expleto ultimo die mensis ;

» 5° Si agatur de actibus ejusdem generis statis temporibus renovandis, ex. gr., *triennium ad professionem perpetuam post temporariam*, *triennum aliudve temporis spatium ad electionem renovandam*, etc., tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eumdem diem poni potest. » — *Ibid.*, § *3.*

f) « Tempus *utile* illud intelligitur quod pro exercitio aut prosecutione sui juris ita alicui competit ut ignoranti aut agere non valenti non currat ; *continuum*, quod nullam patitur interruptionem. » — *Cod.*, *c. 35.*

ARTICULUS VII

DE CESSATIONE LEGIS ECCLESIASTICÆ

Lex potest *revocari a legislatore;* vel *cessare ab intrinseco*, cessante causa finali. — Potest submoveri quoad omnes suas partes, vel quoad certos tantum articulos, ceteris in suo robore permanentibus. — Tandem, manente obligatione legis pro tota societate, cessare pro aliquibus personis, per *privilegium* et *dispensationem.*

§ I. De cessatione legis pro tota communitate

96. **I. Cessante causa finali legis,** ejus obligatio cessat. — Equidem perpetuitas est de essentia legis. Verum, cessante ejus causa finali, jam *cessat ratio* quæ, sicut ad *inducendam*, sic ad *continuandam* obligationem legis necessaria est. — *Cf. Suarez, De leg., lib. 1, c. 10.*

a) Cessare vero debet *causa finalis adæquata ;* quia, si plures fines intenti fuerint a legislatore, et remaneat

motivum *partiale* legis, remanet etiam ratio sufficiens ejus obligationis.

b) Cessare pariter debet finis quoad *omnes articulos legis ;* secus, illius tantum articuli obligatio cessabit cujus causa finalis cessat, juxta regulam 37 juris in 6° ; « *Utile non debet per inutile vitiari* ».

c) Tandem, finis cessare debet *pro tota communitate ;* quod ita requiritur ut, si cesset etiam totaliter pro aliquo subdito singulari, ne iste quidem a legis observatione eximatur. — *Cf. n. 83.*

97. **II. Extrinseca legis revocatio** est : vel *expressa,* quando aperte promulgatur ; vel *tacita,* quando nempe nova editur lex *priori contraria,* aut contraria consuetudo legitime introducta est, et tunc lex dicitur cessare, sive totaliter, sive ex parte, per *obrogationem.*

a) Lex generalis posterior revocat *legem generalem* anteriorem *directe* contrariam, licet *nullam mentionem* de ea faciat, quia eorum quæ juri communi inserta sunt, Princeps censetur conscius. — *Cod., c. 22.*

Romanus enim Pontifex « jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere ». Unde, legem contrariam ferendo, recte præsumitur voluisse priorem antiquare. — *Cap. 1, De constit., in 6°.*

A fortiori « lex posterior, a competente auctoritate lata, obrogat priori si id *expresse* edicat, aut totam *de novo ordinet* legis prioris materiam ». — *Cod., c. 22.*

b) Verum « lex generalis nullatenus derogat *locorum* specialium et *personarum* singularium statutis, nisi aliud in ipsa *expresse* caveatur ». — *Ibid.*

Quia enim « locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta, cum sint facti, et in facto consistant, potest probabiliter ignorare (Romanus Pontifex), ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare ». — *Cap. 1, De constit., in 6°* .

Sufficeret autem clausula derogatoria generalis, ex. gr. : « *non obstantibus quibuscumque in contrarium facienti-*

bus », quia, in hac et aliis hujusmodi clausulis, habetur expressa mentio legis particularis.

c) Lex *particularis* lata a suprema auctoritate pro aliqua regione, v. gr. Gallia, revocat pro eodem loco legem *generalem* antecedentem ipsi contrariam. — *Arg. ex iisdem juribus.*

98. **III. Leges revocare possunt :**

a) *Ipse legislator :* « Omnis (enim) res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur », ut fert Regula prima juris.

Potestas tamen subalterna non potest revocare leges a se latas, si fuerint a summo Principe confirmatæ *in forma speciali,* ita ut, accedente, ex. gr., auctoritate Apostolica, *Pontificiæ leges* evadant.

b) *Ejus successor,* quia parem cum antecessore potestatem habet. — *Cap. 20, De electione.*

Unde, *Romanus Pontifex* et *concilium œcumenicum* abrogare possunt leges Ecclesiæ universales, licet antiquissimas, modo originem non habeant in jure divino, sive naturali, sive positivo.

Imo, S. Pontifex legem ecclesiasticam potest abrogare, licet munita fuerit *clausula omnium posteriorum legum derogatoria*, ex. gr. : « hac immutabili et in perpetuum valitura constitutione. » — Hæc enim emphatica locutio enixam voluntatem legislatoris significat ; sed hæc voluntas, sicut potest in ipso mutari, *successorem ligare non potest*, quia « prædecessor successoribus suis nullum potuit, hac in parte, præjudicium generare, *pari* post eum, imo *eadem* auctoritate functuris, cum non habeat imperium par in parem ». — *Cap. Innotuit, De electione.*

c) *Ejus superior,* quia habet universaliorem jurisdictionem, et « in toto partem non est dubium contineri ». — *Reg. 80 juris, in 6°.*

Unde, Romanus Pontifex et concilium œcumenicum abrogare et irritare possunt *quascumque* leges ecclesiasticas, a quocumque Prælato statutas.

99. **IV. Nonnisi justis de causis** facienda est abrogatio. — *Cf. S. Th., 1, 2, q. 97, art. 2.*

a) Equidem *valida* erit quælibet abrogatio legis ab eo qui potestatem habet leges revocandi ; nam obligatio legis pendet a legislatoris voluntate ;

b) Non tamen erit *licita* nisi adstante causa justa, quæ ad bonum commune pertineat. — Secus enim Princeps ad destructionem *abuteretur* ea jurisdictione quæ ipsi commissa est ad regendos subditos per leges justas et societati convenientes.

§ II. De privilegio

100. **I. Privilegium est :** Lex privata, specialem favorem concedens contra vel præter jus. — *Ita communiter, ex cap. Abbate, 25, De verb. signific.*

a) Dicitur « *lex* », non quod obligationem inducat respectu ejus cui datum est, quia invito beneficium non datur ; sed quoad alios, quibus præcipitur ut illud observari faciant, vel prohibetur ne impediant.

b) Additur « *privata* », quia scilicet alicui particulari personæ aut communitati, seu loco, speciale ac singulare jus concedit.

c) *Differt privilegium a dispensatione,* quia privilegium est gratia *permanens,* quæ conceditur contra vel præter jus ; dum dispensatio juri semper adversatur, et datur pro casu particulari, quo transacto, manet obligatio legis.

101. **II. Dividitur privilegium :**

a) In *personale,* vel *reale,* prout immediate confertur personæ, aut proxime alligatur rei, loco, muneri vel dignitati, et nonnisi consequenter personis conceditur quæ rem vel officium habent, aut in loco morantur.

Privilegium reale, cum rei cohæreat, *transit* ad quoscumque successores vel possessores. Sed « privilegium personale personam sequitur, et *exstinguitur* cum persona ». — *Regula 7 juris, in 6°.*

In dubio utrum privilegium sit *reale* vel *personale :* videre oportet utrum sit *merum beneficium* et gratia, nec juri communi aut

privato contrarium ; quo in casu, præsumitur reale, et transit ad successores, quia « favores convenit ampliari » (*Reg. 15 juris in 6°*), et « decet concessum a Principe beneficium esse mansurum » (*Reg. 16, ibid.*).

Si vero sit *odiosum*, utpote a jure communi exorbitans, vel tertiæ personæ contrarium, strictæ interpretationis est ; unde præsumitur personale, et cum persona exstinguitur. — *Cf. n. 92 et 93.*

b) In *mere gratiosum*, vel *remuneratorium*, secundum quod mera concedentis gratia, vel intuitu meritorum, concessum est.

c) In *perpetuum*, vel *temporale*. — Perpetuum est, vel quod adhæret *rei de se perpetuæ*, vel conceditur *absque limitatione temporis*. — Temporale autem, quod concessum est pro *determinato tempore*, vel ad dies personæ privilegiatæ, ut est privilegium singulariter personale.

d) In *purum*, vel *conventionale*. — Illud est quod *sine aliqua conventione* et reciproca obligatione conceditur. — Istud vero quod, interveniente hujusmodi conventione et obligatione ad aliquid dandum vel faciendum, sic quodam modo emi, aut *per contractum onerosum* acquiri censetur.

102. **III. Privilegium concedere potest** omnis et solus ille *qui potest et legem condere*.

Ratio est : tum quia privilegium est *lex privata*, ergo requirit in conferente potestatem quamdam legislativam ; tum quia, per privilegium contra jus, *eximitur quis ab obligatione juris et legis communis*, quod nemo facere potest qui legem condere non valet.

Ideo solus Romanus Pontifex privilegia contra vel præter jus commune indulgere valet ; Episcopus vero, nonnisi circa leges diœcesanas.

103. **IV. Non solum subditis**, sed etiam *extraneis* privilegium concedi potest, dummodo materia privilegii sit sub privilegiantis jurisdictione : ita tamen ut, extra diœcesim, regulariter effectu careat.

In hoc enim casu, Superior *jus et favorem tribuit non*

subditis ; subditis autem prohibet ne illius usum impedire audeant.

104. **V. Scriptura non requiritur** ad *substantiam* privilegii ; sed etiam *ore tenus,* sive *vivæ vocis oraculo* factum, subsistit.

« Nemo tamen potest cujusvis privilegii usum *adversus quempiam* in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat. » — *Cod., can. 79.*

105. **VI. Privilegia acquiruntur :**

a) Per *directam concessionem* competentis auctoritatis, idque : vel sine precibus seu supplicatione, *motu proprio,* ex ultronea liberalitate : vel *ad preces et instantiam* privilegiati.

b) Per *legitimam consuetudinem* aut *præscriptionem.* — Consuetudo enim derogare potest juri communi, et proinde privilegium etiam contra legem inducere. — *Cod., c. 63, § 1.*

« Possessio *centenaria* vel *immemorabilis* inducit præsumptionem concessi privilegii. » — *Cod., c. 63, § 2.*

c) Per *communicationem,* nempe participationem qua Superior privilegium, quod uni simpliciter concesserat, etiam ad alterum extendit.

Porro, privilegia communicari possunt, vel *æque principaliter,* vel in forma *accessoria.*

1° « Per communicationem privilegiorum, etiam in forma *æque principali,* ea tantum privilegia impertita censentur, quæ *directe, perpetuo* et *sine speciali relatione* ad certum locum aut rem aut personam, concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subjecti cui fit communicatio. » — *Cod., c. 64.*

2° « Cum privilegia acquiruntur per communicationem in *forma accessoria,* augentur, imminuuntur vel amittuntur ipso facto, si forte augeantur, imminuantur vel cessent in principali privilegiario ;

» Secus si acquirantur per communicationem in forma *æque principali.* » — *Cod., c. 65.*

106. **VII.** « **Privilegium ex ejus tenore æstimandum est;** nec licet illud extendere aut restringere. » — *Cod., can. 67.*

« In *dubio,* privilegia interpretanda sunt ad normam can. 50 ; sed ea semper adhibenda est interpretatio ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti. » — *Cod., can. 68.* — *Cf. num. 493.*

107. **VIII.** « **Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum.** » — *Cod., c. 70.*

a) « Privilegia cessant per *renuntiationem* a competente Superiore acceptatam. » — *Cod., c. 72, § 1.*

Sed, licet « privilegio in sui tantum favorem constituto quævis persona *privata* renuntiare possit », tamen « concesso alicui *communitati,* dignitati, locove, renuntiare privatis personis non licet ». — *Ibid., § 2 et 3.*

« Nec *ipsi communitati* seu cœtui integrum est renuntiare privilegio sibi dato per modum legis, vel si renuntiatio cedat in Ecclesiæ aliorumve præjudicium. » — *Ibid., § 4.* — *Cf. Cod., c. 69.*

b) « *Resoluto jure concedentis,* privilegia non exstinguuntur nisi data fuerint cum clausula : *ad beneplacitum nostrum* vel alia æquipollente. » — *Cod., c. 73.*

c) Privilegium *personale* personam sequitur et cum ipsa exstinguitur. » — *Cod., c. 74.*

» Privilegia *realia* cessant per absolutum rei vel loci interitum ;

» Privilegia vero *localia,* si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt. » — *Cod., c. 75.*

Ideo « *indulgentiæ* adnexæ alicui ecclesiæ non cessant si ecclesia funditus evertatur, rursusque intra quinquaginta annos ædificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo. » — *Cod., c. 924, § 1.*

d) « Per *non usum* vel per usum *contrarium* privilegia aliis haud onerosa non cessant ;

« Quæ vero in aliorum gravamen cedunt, amittuntur

si accedat legitima *præscriptio* vel tacita *renuntiatio.* » — *Cod., c. 76.*

e) « Cessat quoque privilegium si, temporis progressu, rerum adjuncta sic, judicio Superioris, immutentur ut *noxium* evaserit, aut ejus usus illicitus fiat ;

» Itemque *elapso tempore,* vel *expleto numero* casuum pro quibus privilegium fuit concessum, firmo præscripto can. 207, § 2 », nempe nisi agatur de potestate pro foro interno concessa et actus per inadvertentiam positus fuerit. — *Cod., c. 77.*

108. **IX. Privilegia utcumque impetrata cessant per legitimam revocationem,** *expressam* vel *tacitam,* ipsius concedentis, vel ejus Superioris competentis, aut successoris.

a) Privilegium mere *gratiosum* potest, ex *justa causa* revocari, præsertim si adsit abusus ; nam « qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur. Et Ordinarius *Sanctam Sedem monere* ne omittat si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur ». — *Cod., c. 78.*

Valide semper, quamvis illicite si desit justa causa, potest privilegium aut dispensatio revocari ab iis qui revocandi ordinariam potestatem habent.

b) Privilegia autem per modum *pacti* seu *contractus onerosi* concessa, nequeunt amplius revocari, nisi ex utriusque partis consensu, aut ex gravi causa spectante ad bonum commune, et cum compensatione aliqua juris ablati ; hoc enim expostulat ipsa æquitas naturalis.

c) Per *legem generalem* revocantur privilegia in *jure communi* contenta, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis. — *Cod., can. 71 et 60, § 2.*

Ratio est quia Princeps præsumitur cognoscere leges universales, non vero jus privatum aut particularia facta. — *Cap. Licet, 1, De constit., in 6°.* — *Cf. n. 97, b.*

Si autem revocatio fiat per *peculiarem* Superioris

actum, privilegium perdurat usquedum revocatio privilegiario significetur. — *Cf. Cod., c. 60, § 1.*

109. **X. Privilegiis præter jus accensentur « facultates habituales** quæ conceduntur vel in perpetuum, vel ad præfinitum tempus, aut certum numerum casuum ». — *Cod., c. 66, § 1.*

a) Nisi in earum concessione electa fuerit industria personæ, aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales Episcopo aliisve Ordinariis ab Apostolica Sede concessæ, non evanescunt *resoluto jure* Ordinarii cui concessæ sunt, etiamsi ipse eas exsequi cœperit, « sed *transeunt* ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt. » Itemque concessæ Episcopo competunt quoque Vicario generali ». — *Cod., c. 66, § 2.*

b) « Concessa facultas secumfert alias quoque potestates quæ ad illius usum sunt *necessariæ* ; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a pœnis ecclesiasticis, si quæ forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendæ. » — *Ibid., § 3.*

§ III. De dispensatione

Dispensatio est : Provida relaxatio legis in aliquo speciali casu, in gratiam unius vel alterius personæ, facta a publica auctoritate, manente tamen pro aliis obligatione legis.

110. **I. Dispensare nemo potest :**

a) « Qui saltem parem cum latore canonis non habet potestatem ». — *Cap. 20, De electione.*

Principium enim juris inconcussum est : legem Superioris per inferiorem tolli non posse. — *Clem. 2, De electione.* — *Cf. Pii VI Brev. ad Archiepisc. Colonien., 20 jan. 1787.*

Hinc, licet Romanus Pontifex dispensare possit in *omnibus legibus ecclesiasticis*, « quia, secundum plenitudinem potestatis, de jure potest supra jus dispensare » *(cap. 4, De concessione præbendæ)*, nequit tamen proprie dispensare in *jure divino ;* sed potest

tantum illud interpretari, et declarare quod jus divinum, ob certas circumstantias, hic et nunc per seipsum obligare cesset.

Inferior tamen poterit dispensare si habeat expresse vel tacite *delegatam* a Superiore potestatem.

b) Unde « a *generalibus* Ecclesiæ legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi hæc potestas eisdem fuerit explicite vel implicite *concessa*, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit *periculum gravis damni*, et de dispensatione agatur quæ a Sede Apostolica concedi solet. » — *Cod., can. 81.* — *Cf. num. 667.*

111. **II. Subjectum dispensationis** sunt generatim et directe *subditi.* — Cum enim dispensatio sit actus jurisdictionis, et *superioritatem* ex parte dispensantis, et *subjectionem* ex parte dispensati postulat.

a) Diximus « *directe* » ; quia aliquando Superior, dispensando cum suo subdito, indirecte cum alieno dispensat, si nimirum agatur de re quæ in uno non consistit, sed *respectum ad alterum* importat.

Unde, ex. gr., Ordinarius agendo cum facultate delegata ad dispensandum cum suis diœcesanis super aliquo *matrimonii* impedimento, potest indirecte cum *aliena persona* dispensare ; quia, sublato impedimento ex una parte cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, cum ligamen non amplius inter utramque partem exsistat. — *S. Pœnit., 4 sept. 1839.*

b) Diximus « *generatim* » ; nam,

1° Ex probabili sententia, *Peregrini* dispensari possunt in legibus *communibus* ab *Ordinario loci* in quo versantur ; quia, cum ad hunc pertineat curare ut omnes in sua diœcesi commorantes leges observent, eo ipso ad eum pertinet causas perpendere quæ petunt dispensationem, ergo et dispensare.

Ceterum, proprii Ordinarii *consensus* præsumi potest, præsertim in legibus minoris momenti, et in casibus frequenter occurrentibus.

2° Certum videtur posse *Vagos* dispensari a Superiori-

bus locorum in quibus actu commorantur ; secus isti neminem, præter S. Pontificem, haberent, a quo dispensarentur in iis quibus ligantur legibus.

c) Is qui ex commissione Superioris potestatem dispensandi generalem habet, *secum* ipse dispensare potest : nam dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ distinctionem personarum non necessario requirit. — *Wernz, Jus Decretalium, tom. 1, n. 123.*

112. **III. Causa justa et legi proportionata requiritur,**

a) Non quidem ad *validitatem dispensationis,* si Superior dispenset in *propria lege ;* quia lex constituitur voluntate legislatoris, ex qua integre pendet ejus obligatio ; ergo, si Princeps velit aliquem eximere, aliis manentibus obligatis, iste profecto exemptus erit ;

b) Sed ad ejus *liceitatem ;* secus enim, » non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est ». — *D. Bernard., De consider., lib. 3. — Cf. S. Thom., 1, 2, q. 97, art. 4.*

« Sicut publice expedit legis vincula quandoque relaxare, *ait Conc. Trident.*, sic frequentius legem solvere.... nihil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter, sciant universi : sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad fieri poterit, indistincte observandos ; *quod si urgens justaque ratio*, et *major quandoque utilitas*, postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id, *cognita causa*, ac *summa maturitate*, atque *gratis*, a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum ; aliterque facta dispensatio, surreptitia censeatur. » — *Trid., sess. 25, cap. 18, De ref.*

c) Imo, dispensatio *in lege Superioris* invalida est si fiat *absque justa causa ;* quia inferior non potest dispensare in lege Superioris nisi quatenus ipsi concessa fuit facultas dispensandi ; atqui, hanc non censetur Superior concedere nisi in casu justæ causæ. — *Cf. Cod., c. 84, § 1.*

d) *Causa autem dispensationis* distinguitur in *intrinsecam* et *extrinsecam.*

1° Causa *intrinseca* dicitur ea quæ directe opponitur

observationi legis ; v. gr., angustia loci est causa qua difficilis redditur observatio legis ecclesiasticæ prohibentis matrimonia inter consanguineos et affines.

2º Causa vero *extrinseca* est ea quæ sumitur ex quibusdam circumstantiis, legem ipsam, seu ejus observationem, directe non afficientibus.

Hujusmodi sunt : *dignitas ipsius concedentis*, cui multoties expedit benignum et generosum se ostendere ; *dignitas et merita petentis ; pax inter familias*, litibus vel inimicitiis divisas, obtinenda ; *ipsa etiam compensatio* quæ exigitur, nam, ex. gr., « in dispensationibus impedimentorum in matrimoniis sufficit, pro causa, solutio pecuniæ in subsidium Ecclesiæ, ut est praxis ». — *S. Lig., Tract. De legibus, num. 195.*

113. **IV. De petitione dispensationis,** et de vitanda *subreptione* vel *obreptione*, dicemus in Tractatu *De Rom. Pontifice*, ubi *de Rescriptis, n. 483.*

Fideles qui dispensationem desiderant a *Curia Romana* obtinendam, plerumque eam redigere non valerent ; unde receptum est ut illorum ministerio utantur qui eorum animarum curam habent, quales sunt Confessarius, Parochus, Ordinarius.

a) *Confessarius* instantiam scribit ad impetrandam dispensationem pro *foro interno* tantum, eamque mittit ad *Ordinarium* suum, qui eam transmittet ad *S. Pœnitentiariam*, mediante vel prætermisso *Agente ;* vel etiam confessarius eam *directe* mittit ad S. Pœnitentiariam, si, attentis circumstantiis, prudenter judicat secretum confessionis aliter offendi. — *Cf. n. 545.*

b) *Parochus* scribit instantiam ad dispensationem impetrandam pro *foro externo.*

Et, si idem sacerdos sit parochus et confessarius, ac duplex, ex. gr., impedimentum matrimonii *occultum* et *publicum* simul occurrat, ipse debet duplicem conscribere instantiam, aliam pro occulto uti *confessarius,* pro publico aliam uti *parochus.*

Parochus scriptam instantiam mittit ad *Ordinarium,* qui, una cum litteris testimonialibus, eam ad Sedem Apostolicam deferri curabit.

c) Non raro, Parochus vel Confessarius exponit tantum *Ordinario* rerum statum ; aut ipsi oratores Ordinarium adeunt cum testimonialibus parochi litteris.

Tunc Ordinarius, vel scribit ipse instantiam, mittitque, litteris suis testimonialibus munitam, ad Agentem ecclesiasticum ; vel et ipse, sua vice, rerum statum cum testimonialibus litteris ad *Agentem* defert, qui instantiam scribit. — *Gasparri, De matrim., n. 351.*

d) « Dispensatio in dubio de *sufficientia causæ* licite petitur et potest licite et valide concedi. » — *Cod., c. 84, § 2.*

114. **V. Dispensatio est expressa vel tacita.**

a) Ea *expressa* dicitur quæ fit propriis et apertis verbis, aliisve signis æquivalentibus.

Neque *generatim* necessaria est *scriptura*, nisi ad probationem in foro externo. — *Cf. Cod., c. 79.*

b) *Tacita* dicitur concessio dispensationis quæ, non verbis aliisve signis exprimitur, sed ex *factis* colligitur quæ non possunt aliter explicari, nisi dispensatione supposita : ut si Pontifex, ex certa scientia, alicui irregulari beneficium conferat. — *Cf. Suarez, De legibus. lib. 6, c. 13, num. 23.*

c) Concessio dispensationis expressa,

1° Vel fit *simpliciter*, quando, loco vinculi quod relaxatur, nullum onus personale vel pecuniarium imponitur, ut pium opus, eleemosyna, etc. ;

2° Vel cum aliqua *compensatione*, quando hujusmodi onus imponitur

Porro, ex praxi Curiæ Romanæ, frequenter dispensatur in legibus canonicis, imperata aliqua mulcta.

« Mulctæ illæ, ad resarciendum aliquo modo vulnus quod, ex dispensationum matrimonialium concessione, disciplinæ ecclesiasticæ infligitur, et ad matrimonia, inter personas consanguinitatis vel affinitatis vinculo invicem conjunctas, rariora ac difficiliora reddenda, juste salubriterque ab Ecclesia constitutæ sunt. » — *Breve Pii VII ad Epicopos Galliæ, 28 feb. 1809.*

Omissio operis in compensationem impositi, licet pecca-

minosa, *non nocet validitati dispensationis,* nisi opus illud tanquam absoluta conditio injunctum fuerit. — *Cf. S. Pœnit., 14 sept. et 12 nov. 1891.*

115. **VI. Effectus dispensationis** legis effectibus respondet, cum dispensatio sit relaxatio legis.

a) Quum igitur lex præcipiat aut prohibeat, puniat, atque irritet, poterit dispensatione relaxari : tum quoad vim *præcipiendi* ac *prohibendi,* tum quoad vim *puniendi,* tum quoad vim *irritandi.*

1° Et quidem *lex moralis* potest dispensatione relaxari : vel *totaliter,* quoad omnia illa quæ præcipit vel prohibet ; vel *partialiter,* quoad unum scilicet, non quoad aliud.

2° *Lex* vero *mixta* relaxari potest : quoad vim *coactivam,* remanente ejus vi directiva ; vel vicissim quoad vim *directivam,* remanente vi coactiva, ita ut e mixta evadat in primo casu pure moralis, in altero autem pure pœnalis.

3° Similiter, *lex irritans simul et prohibens* relaxari potest : quoad vim *directivam,* remanente ejus vi invalidante ; vel vicissim quoad vim *invalidantem,* remanente vi directiva.

b) Dispensatio, seu privilegium, datur quandoque pro *foro interno ;* scilicet habet effectum in conscientia, in foro autem exteriori nihil operatur.

Si pro *foro externo* concedatur, concessio ita accipienda est ut et pro foro interno valeat.

116. **VII. Dispensatio est stricte interpretanda,** utpote vulnus juri illatum, ideoque odiosa.

a) Idcirco, in ea non valet *argumentum a majori ad minus,* vel *ad simile ;* quamvis bene extendatur ad accessoria, connexa, vel necessario consecutiva ex eo super quo est dispensatum.

b) E contra, *potestas dispensandi* generaliter data, cum sit merum beneficium Principis, *favorabilis* est, ideoque *late* interpretanda, dummodo nulli præjudicium inferat.

Attamen « strictæ subest interpretationi ipsamet facultas dispensandi ad *certum casum* concessa ». — *Cod., can. 85.*

117. VIII. « **Dispensatio quæ tractum successivum habet, cessat iisdem modis quibus privilegium.** » — *Cod., can. 86.*

Cessat quoque « certa ac *totali* cessatione causæ motivæ ». — *Ibid.*

a) Ideo, si causa finalis dispensationis cesset quando remissa est obligatio *divisibilis* et *tractum successivum* habens, ex. gr. recitandi horas canonicas, jejunandi per quadragesimam, ipsa dispensatio cessat, etiam usu inchoato ; hujusmodi enim dispensatio conceditur sub conditione causæ perseverantis. — *Cf. Suarez, De legibus, loc. cit., cap. 20, n. 18.*

b) Si per dispensationem remissa est aliqua *inhabilitas* quæ *indivisibilem effectum* habet : cessante causa finali ante dispensationis usum, *non pauci* stant pro *cessatione etiam dispensationis*, quia, etiam in hoc casu, Superior censetur dispensationem concedere non absolute, sed *conditionate*, si nimirum causa existat quando actus poni debet. — *Cf. Sanchez, De matrimonio, lib. 8, disp. 30, num. 11.*

Alii tamen dicunt talem restrictionem ex *forma* dispensationis colligi non posse, quæ *absolute* conceditur : neque esse necessariam ad *justitiam* dispensationis, quia non tenetur dispensans prævenire effectus contingentes et accidentales, sed satis est quod, eo tempore quo fit dispensatio, habeat justam causam. — *Suarez, loc. cit., num. 15.*

CAPUT V

DE LEGE NON SCRIPTA SEU DE CONSUETUDINE

Cum leges humanæ eo efficacius suum finem assequantur, quo magis accommodantur moribus communitatis, inde factum est ut Ecclesia plurimum deferat consuetudinibus sponte inductis et longo tempore firmatis.

ARTICULUS I

DE NATURA ET DIVISIONE CONSUETUDINIS

118. **I. Consuetudo sumi potest :** vel pro *facto*, quod in frequentatione actuum vel morum alicujus communitatis consistit ; vel pro *jure* quod ex tali usu inductum est.

Consuetudo, hoc posteriori sensu, dicitur jus non scriptum, seu consuetudinarium, et definiri potest : *Jus diuturnis populi moribus introductum, et aliquo legislatoris consensu firmatum.*

119. **II. Dividitur consuetudo :**

a) Ratione *legis scriptæ* ad quam refertur : in consuetudinem *secundum* legem, *præter* legem, vel *contra* legem.

1° Consuetudo *secundum legem* est ea quæ legem jam institutam, vel *usu confirmat et adjuvat,* juxta illud *Gratiani :* « Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur » *(can. 3, dist. 4) ;* — vel, si dubia est, *interpretatur ;* nam « optima est legum interpres » *consuetudo. — Cap. 8, De consuetudine ; — Cod., c. 29.*

2° Consuetudo *præter legem,* quæ est novi juris inductiva, erigit in legem aliquem modum agendi, anteriori tamen legi non oppositum.

Huic præcipue applicatur definitio Isidoriana : « Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, quum deficit lex ». — *Can. 5, dist. 1.*

3° Consuetudo *contra legem* est illa quæ vim habet

legem scriptam abrogandi : sive quod nunquam usu recipiatur, vel, jam recepta, contrariis moribus tollatur.

b) Ratione *extensionis* : in *universalem*, *generalem*, et *particularem*.

Consuetudo *universalis* ea est quæ viget in toto orbe christiano ; — consuetudo *generalis*, quæ in tota aliqua provincia ; — et consuetudo *particularis*, quæ, ex. gr., nonnisi in aliqua urbe, pago, obtinet.

ARTICULUS II

DE REQUISITIS AD INDUCENDAM CONSUETUDINEM

120. **I.** « **Communitas quæ legis ecclesiasticæ saltem recipiendæ capax est, potest consuetudinem inducere quæ vim legis obtineat.** » — *Cod., c. 26.*

Unde, provincia ecclesiastica, diœcesis, Ordo religiosus, imo, collegium clericorum, capitulum, monasterium, etc., consuetudinem inducere possunt ; non vero privatæ personæ, aut familiæ, quæ non sunt capaces nisi *simplicis præcepti*, quod morte præcipientis exspirat.

a) Consuetudo autem induci debet a *majori parte* communitatis, actibus *sæpe repetitis*, ut patet ex ipsa definitione consuetudinis ;

b) Et cum *animo* se obligandi, vel obligationem respuendi, prout consuetudo est *præter* vel *contra* legem ; quia actus agentium non operantur ultra *intentionem* illorum. — *Cod., c. 28.*

Ideo actus qui ex *mera devotione* exercentur, ex. gr. consueta praxis ad sonum campanæ Beatam Mariam Virginem salutandi, nullam vim legis obtinent.

In dubio utrum ex mera devotione populus egerit, vel cum intentione legem inducendi, *non supponenda est obligatio*, cum de onere non constet.

121. **II. Consuetudo debet esse rationabilis.** — Objectum enim legis non scriptæ, sicut et juris scripti, nequit esse nisi quod aliquo modo conducit ad finem societatis. — *Cap. Cum tanto, 11, De consuetudine.*

a) Unde, non admittitur consuetudo : *quæ est contra jus divinum*, sive naturale, sive positivum. — *Cf. cap. ult., De consuetudine. — Cod., c. 27, § 1.*

b) Vel quæ bono communi perniciosa est, aut adversatur *Ecclesiæ libertati* et *necessariis immunitatibus*. — Non valeret, ex. gr., consuetudo *Placiti regii*.

c) Aut *disrumpit nervum ecclesiasticæ disciplinæ*, id est, directe lædit auctoritatem Judicis ecclesiastici.

Talis esset, ex. gr., consuetudo non sese submittendi visitationi Episcopi. — *Cf. cap. 5, De consuetudine,* ubi consuetudo hujusmodi appellatur *corruptela*.

d) Vel tandem « in jure expresse *reprobatur* » et ideo intrinsece mala declaratur. — *Cod., c. 27, § 2.*

122. **III. Consuetudo debet esse præscripta,** id est lapsu temporis roborata, ad similitudinem præscriptionis. — Ipsa enim *natura consuetudinis* diuturnos mores exigit, quæ ab ipso jure *longæva* appellatur. — *Cf. cap. 9 et 11, De consuet., et cap. 3, eod. tit., in 6°.*

a) Nulla consuetudo juri ecclesiastico *derogare* potest nisi fuerit « legitime per *annos quadraginta* continuos et completos præscripta ». — *Cod., c. 27, § 1.*

Nec consuetudo *præter legem* vim obligandi habet nisi pariter fuerit per idem tempus præscripta. — *Cod., c. 28.*

b) Censetur consuetudo interrumpi : quando populus, *ex certa scientia*, exercet *actum contrarium etiam unicum ;* quia hoc ipso ostendit se nolle amplius consuetudinem incœptam continuare.

Item quando *Superior* trangressores suæ legis *punit*, aut, in tribunali, pro lege sua *contra consuetudinem judicat ;* hac enim ratione, consuetudo expresse revocatur per Superiorem. — *Reiffenst., De consuetudine, n. 134.*

123. **IV. Consensus legislatoris necessarius est,** ut mores communitatis vim legis obtineant.

Nemo enim *jus novum* condere, vel statutam legem abrogare potest, nisi qui habet *potestatem leges ferendi*. — *Cf. Cod., c. 25.*

a) Consensus autem competentis Superioris eccle-

siastici est *expressus* vel *tacitus* : si, cognita consuetudine, eam *disertis verbis* approbet ; vel *taceat*, quando facile reclamare posset, tunc enim valet regula 43 juris, in 6° : « *Qui tacet consentire videtur* ».

Inde tamen non concludas consuetudinem prævalere posse cum silentio Pontificis mere *œconomico*, quando silet ex prudentia, ne majora mala sequantur. — *Cf. alloc. consist. Pii VI, 29 mart. 1790.*

b) Consensus *legalis*, qui et *juridicus* appellatur, est ille qui datur per legem, sive per jus ipsum, quatenus legislator, per publicam *legis* auctoritatem, *consentit* in omnes consuetudines rationabiles et legitime præscriptas. Ideo receptissima sententia est : *consensum legalem sufficere* ad consuetudinem confirmandam.

124. **V. Quæritur utrum, ad præscribendum adversus legem, bona fides requiratur ?**

a) *Alii negant* : quorum sententia haud dubie vera est si *Princeps sciat*, toleret, ideoque tacite abrogationi consentire censeatur.

b) Sin vero loquuntur de præscriptione contra legem, *Principe ignorante*, dicimus cum *Laymann* : sicuti ad omnem aliam præscriptionem, ita etiam ad eam quæ adversus legem tendit, *bonam fidem requiri*, sine qua impossibile est consuetudinem præscriptam inchoare, cum ea justa et *rationabilis* esse debeat.

Verumtamen, tametsi *primi*, *temere* et non sine culpa legem transgredientes, præscriptionem reipsa inchoare non potuerint, *horum tamen successores*, videntes legem ab antecessoribus suis non observatam, existimare possunt, et in dubio præsumere, illos habuisse justam legis non servandæ causam, et ita, illorum vestigiis insistentes, præscriptionem inchoare, vel, quasi bona fide ab antecessoribus inchoata fuisset, tandem perficere. — *De legibus, cap. 24, num. 11.*

ARTICULUS III

DE EFFECTIBUS CONSUETUDINIS

125. **I. Vim legis habet** consuetudo rationabilis et præscripta, ideoque *eosdem effectus* habet ac ipsum jus scriptum. — *Cap. 9 et 11, De consuet.* — Unde,

a) Consuetudo *secundum* legem : *interpretationem* authenticam legis exhibet. — *Cod., c. 29.*

b) Consuetudo *præter* legem : inducit *obligationem*, ita ut actus præcipiantur vel prohibeantur, qui antea nec præcepti erant nec prohibiti.

c) Consuetudo *contra* legem : abrogat legem anteriorem, vel ei derogat, prout plenarie ei opponitur, vel ex parte. Ergo, a fortiori, manente vi *directiva* legis, vim ejus *coactivam* tollere potest, id est pœnalem sanctionem legi adnexam.

Legem quoque *irritantem* abrogare potest consuetudo ; quod ex iisdem principiis colligitur cum Suarezio. — *De legibus, lib. 7, cap. 19, n. 14.*

126. **II. Etsi consuetudo prohibeatur a jure,** hæc prohibitio *non adversatur* eidem consuetudini in posterum inducendæ, modo lex in *mera prohibitione* sistat, nec *reprobationem* proferat. — *Cf. Suarez. De leg., l. c., n. 21.*

a) Consuetudo enim, modo sit rationabilis et præscripta, vim legis habet. Atqui, *clausula quæcumque*, anteriori legi apposita, non impedit quominus lex *abrogari* possit per aliam *posteriorem* contrariam ; ergo, neque quominus abrogetur per *consuetudinem*, quum non sit minor vis consuetudinis quam juris scripti. — *Cf. n. 98, b.*

b) Attamen « contra legem ecclesiasticam quæ clausulam contineat futuras consuetudines *prohibentem*, sola præscribere potest rationabilis consuetudo *centenaria* aut immemorabilis ». — *Cod., c. 27,* § 1.

ARTICULUS IV

DE ABROGATIONE CONSUETUDINIS

Abrogari potest consuetudo : per *legem supervenientem*, vel per *consuetudinem contrariam*.

127. **I. Consuetudinem universalem** abrogat lex posterior contraria, licet *nullam* hujus consuetudinis *mentionem* faciat.

a) Legislator enim legem, sive scriptam, sive non scriptam, revocare potest. Cum vero Summus Pontifex « *omnia jura in scrinio sui pectoris censeatur habere* », consuetudinem generalem non præsumitur ignorare ; unde, legem contrariam ferens, dicendus est voluisse ipsam abrogare. — *Cap. Licet, De constit., in 6°.*

b) Hoc principium valet *etiam pro legibus omnium Superiorum* et consuetudinibus relativis.

Ex. gr., Episcopus ferens legem generalem pro sua diœcesi, revocat consuetudinem generalem suæ diæcesis, licet de ipsa mentionem non faciat.

128. **II. Speciales locorum consuetudines** a lege generali superveniente non tolluntur, nisi apponatur *clausula* sufficienter *derogatoria*. — *Cod., c. 30.*

Nam, quia « locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta, cum sint facti et in facto consistant, *potest (Romanus Pontifex) probabiliter ignorare*, ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare ». — *Cap. Licet, De constitutionibus, in 6°.*

a) Clausula « *non obstante quacumque consuetudine* », vel alia hujusmodi, *sufficit* ad tollendas consuetudines locorum particulares ; secus enim nihil operaretur : nam consuetudo generalis, si quæ exstaret, jam sufficienter tolleretur per ipsam novam constitutionem contrariam. — *Reiff., De consuet., n. 185.*

b) Consuetudo *immemorabilis* vel *centenaria*, favorem juris obtinet ; ita ut, si legislator velit subvertere has privilegiatas consuetudines, *specialem de ipsis mentionem* habere debeat. — *Cod., c. 30.*

129. **III. Etiam consuetudine contraria** cessare potest consuetudo, quæ ideo dicitur in *desuetudinem* abire.

Sicut enim consuetudo potest abrogare legem scriptam aut ei derogare, ita et *jus consuetudinarium tollere poterit* ; « omnis (enim) res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur ». — *Reg. 1 juris. — Cod., c. 30.*

CAPUT VI

DE COLLECTIONIBUS CANONUM

Leges Ecclesiæ, sicut et cujuslibet societatis, decursu temporum opportune constitutas, perutile sæpe visum est *in unum colligere* et *apte coordinare*.

Unde, varii prodierunt Codices legum ecclesiasticarum, quorum tamen *non eadem* erat *auctoritas*, sive *genuinitas* documentorum spectetur, sive subsequens *approbatio* summi Legislatoris.

Porro, prætermissis iis quæ ad vetustissimas collectiones pertinent, agendum est : de antiquo Corpore juris canonicii ; — de recentioribus fontibus, a tempore Concilii Tridentini ; — et tandem de novo Codice qui jussu Pii X digestus est, et auctoritate Benedicti XV promulgatus.

ARTICULUS I

DE VETERI CORPORE JURIS CANONICI

Corpus juris canonici sex partibus constat, nimirum : Decreto Gratiani ; — Decretalibus Gregorii IX ; Sexto decretalium Bonifacii VIII ; — Clementinis Clementis V ; — Extravagantibus Joannis XXII ; — et Extravagantibus communibus. — *Cf. Gregorii XIII breve Quum pro munere, 1 jul. 1580 ; — Laurin, Introd. in Corpus juris canonici ; — Friedberg, Proleg. in Corp. jur. can., etc.*

§ I. De Decreto Gratiani

Gratianus, monachus Benedictinus in monasterio SS. Felicis et Naboris Bononiensi, novam, eamque celeberrimam collectionem anno circiter 1150, edidit, cui titulus est : *Concordia discrepantium canonum*, et quæ jam diu *Decretum Gratiani* dici solet.

130. **I. Opus in tres partes divisit.**

a) *Prima* constat *101 Distinctionibus*, et quælibet distinctio plures *Canones* seu *Capita* complectitur.

Unde, canones hujus partis *allegantur :* expresso numero canonis, vel primo ejusdem canonis vocabulo. Ex. gr. : *can. 6*, vel *can. Pervenit, dist. 18.* — Aliquando etiam utrumque exprimitur : *cap. Pervenit, 6, dist. 18.*

In prioribus 20 Distinctionibus agitur de origine, auctoritate et principiis Juris ecclesiastici ; *in reliquis vero*, de Clericis, eorumque statibus et officiis.

b) *Secunda pars*, ubi de Judiciis ecclesiasticis, distributa est in *36 Causas ;* causæ autem in *Quæstiones ;* et quæstiones in *Canones* seu *Capita* iterum subdividuntur.

In hac parte, *allegantur* priora canonis seu capitis verba vel ejus numerus, nec non causa et quæstio. Ex. gr. : *can. Placuit*, vel : *can. 4*, *causæ 6*, *qu. 3.*

Quæstio tertia causæ 33 continet *Tractatum de Pœnitentia*, in septem distinctiones divisum ; et canones hoc modo citantur : *can. Peccatum*, vel. *can. 7*, *dist. 4*, *De pœnit.*

c) *Tertiæ partis* eadem est ac primæ divisio in *Distinctiones* et *Canones*, idemque modus *citationis*, addito tamen *De consecratione ;* ita enim inscribitur hæc posterior pars Decreti, in qua tractatur de Rebus et Ritibus sacris.

d) Occurrunt in collectione Gratiani non pauci canones sub nomine *Paleæ*, qui aliena manu accesserunt, et, primum quidem in margine descripti, postea vero translati sunt in ipsum operis textum. Unde sit desumptum hoc nomen *Palea*, certo statui non potest. — *Cf. Laurin*, *op. cit.*, § *16.*

131. **II. Magno omnium plausu** excepta est collectio Gratiani, adeo ut in *Scholis* publice legeretur, et in *Foro* causis judicandis inserviret.

Erat enim Decretum, non mera collectio legum, sed *systema* juris ecclesiastici *apta methodo* concinnatum. Auctor siquidem sub certis *Titulis* materiam universam proponit, brevesque theses probat ex Conciliorum canonibus, et ex RR. Pontificum decretis, ita ut omnia ad *concordiam* vocare conetur inter quæ pugna esse videbatur.

a) Sed, quia mendis non carebat, nam Gratianus, pro ea temporum conditione, pleraque in opus suum, non ex ipsis fontibus, sed ex mendosis collectionibus derivavit, Romani Pontifices Decretum *emendari* curarunt, et ad id doctissimos viros delegerunt, qui *Correctores Romani* vocari solent. — *Cf. Devoti*, *Proleg.*, § *75*, *sq.*

b) Decretum emendatum *typis mandari præcepit Gregorius XIII*, qui in ipsa fronte operis jubebat : « ut quæ emendata et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur ». — *Cf. constit. Quum pro munere*, *1 jul. 1580 ; et const. Emendationem*, *2 jun. 1582.*

c) Non inde tamen *codex authenticus evasit ;* et inter omnes receptum erat « quidquid in ipso continetur tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset si nunquam in Gratiani collectione insertum foret ». — *Ben. XIV*, *De Syn.*, *lib. 7*, *cap. 15*, *n. 6.* — *Cf. Phillips.*, *Du droit eccl. dans ses sources*, § *8 et seq.*

§ II. De collectione Decretalium Gregorii IX

Post editum Decretum Gratiani, iterum *novæ constitutiones* ecclesiasticæ prodierunt, quæ primum Decreto tanquam *appendix* apponebantur.

Quum autem paulatim numerosæ exstitissent, enata necessitas est eas seorsim in unum colligendi.

Jussu Gregorii IX, *S. Raymundus de Pennafort*, ex ordine S. Dominici, vir pietate et eruditione præstantissimus, novum codicem elaboravit, conflatum præsertim ex epistolis decretalibus ipsius Gregorii IX et aliorum Pontificum. — Unde, collectio hæc nomine *Decretalium* est appellata.

132. **I. Dividitur Gregoriana collectio** in *quinque libros ;* et singulorum materiam exhibet iste versiculus :

Judex, *judicium*, *clerus*, *connubia*, *crimen.*

a) In primo enim libro agitur de *legibus* Ecclesiæ et de *magistratibus* ecclesiasticis ; in secundo, de *judiciorum ordine ;* in tertio, de *clericis* et *rebus ecclesiasticis ;* in quarto, de *matrimonio ;* in quinto demum, de *delictis*, *accusationibus* et *pœnis.*

Singuli autem libri divisi sunt in plures *titulos ;* et tituli in *capita* distribuuntur ; capita disposita sunt secundum ordinem chronologicum, et quæ longiora erant dividuntur in *paragraphos.*

b) Citantur Decretales : allegando *prima verba capitis*, vel illius *numerum*, vel *utrumque* simul, cum indicatione *tituli.*

Ex. gr. : *cap. Quia propter*, *De electione ;* vel : *cap. 42*, *De elect. ;* vel : *cap. Quia propter*, *42*, *De electione.*

In hoc modo citandi, non quidem indicatur liber Decretalium, neque numerus tituli ; sed, in quolibet exemplari Corporis juris canonici, apponitur *Index alphabeticus* titulorum et capitum.

Apud recentiores, signum characteristicum X quandoque usurpatur ad designandas decretales Gregorii IX ; et ejusdem capitis citatio ita se habet : *cap. 42*, *X*, *De electione.*

133. **II. Vim et auctoritatem legis universalis habebat** in iis quæ per sequentes RR. Pontificum leges *abrogata* vel *mutata* non erant.

a) Nam *Gregorius IX*, constitutione « *Rex pacificus* » ad Universitates Bononiensem et Parisiensem directa (1234), hanc B. Raymundi compilationem *approbavit*, fecitque *suam*, volens « ut hac tantum compilatione universi utantur in *Judiciis* et in *Scholis* », et districtius prohibens « ne quis præsumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali ». — *Cf. Laurin*, *op. cit.*, § *79, sq.*

b) *Rubricæ*, seu titulorum inscriptiones, utpote ad textum codicis pertinentes, *parem habebant auctoritatem.*

Unde, si *perfectum sensum* exhibeant, ex. gr. : « Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant » ; vel : « Ne, sede vacante, aliquid innovetur », etc., poterant citari instar *canonum*, vel inservire ad determinandum *in dubio* sensum capitis. — Hoc genus ratiocinationis vocatur argumentum *a rubro ad nigrum.*

c) *Summaria* autem quæ singulis capitibus præficiuntur, cum sint a privatis Doctoribus addita, *nullam auctoritatem legalem* obtinebant, licet *maximi pretii* sint in canonibus interpretandis.

d) Idem dicendum est de *Glossis*, id est interpretationibus seu commentariis quæ, in antiquis editionibus, in margine Decreti, Decretalium Greg. IX et subsequentium Decretalium, recensentur, ad illustrandum, sive verba, sive sententias singulorum capitum. — *Cf. Phillips*, *Du droit ecclés. dans ses sources*, § *17 et seq.*

e) *Partes decisæ* dicuntur partes decretalium quas B. Raymundus *superfluas* existimabat, ideoque in sua compilatione omisit.

Sed, quum eo ipso multa capita *obscura* et intellectu difficilia evasissent, ideo, successu temporis, viri eruditi, illas partes decisas capitibus a B. Raymundo concinnatas *addere* sategerunt.

Partes decisæ *nullum valorem legalem* habebant : quia, neque a Gregorio IX approbatæ sunt, neque in editionem authenticam Corporis juris canonici, jussu Gregorii XIII Romæ an. 1582 factam, receptæ sunt. — *Laurin*, *op. cit.*, § *85 et 92.*

§ III. De aliis Decretalium collectionibus

134. I. Sextus Decretalium :

a) Tanquam *appendix* et *supplementum*, collectioni Gregorianæ adjectus est a *Bonifacio VIII.*

Novæ enim prodierant Romanorum Pontificum constitutiones, novique a duobus conciliis generalibus *(Lugdun., 1245 et 1274)* editi erant canones, digna sane authenticæ collectionis materia

Verum maxima ejus pars constat decretalibus et constitutionibus ipsius Bonifacii VIII.

b) *Iisdem divisionibus* constat ac Gregoriana collectio, quinque scilicet libris : qui titulis et capitibus iterum coalescunt, eodem servato ordine materiarum et titulorum.

Idem igitur modus est *citationis ;* in fine tamen additur : *in 6°*, ut citata capita distinguantur a capitibus Gregorianæ collectionis ; ex. gr. : *cap. Licet, 1, De constit., in 6°.*

c) *Auctoritatem juridicam et legalem obtinuit*, cum Bonifacius VIII librum integrum approbaverit et promulgaverit constitutione « *Sacrosanctæ* », *3 mart. 1298*, ad Universitates directa : ut omnes eo utantur « in Judiciis et in Scholis », et « perfectam in rebus agendis formam tribuat, et in moribus disciplinam ».

d) *Eadem auctoritas legalis extendebatur ad Regulas juris*, quas Greg. IX et Bonifacius VIII inseruerunt, alter ad calcem libri V Decretalium, alter pariter in fine Sexti Decretalium, et quæ ideo *authenticæ* appellantur, et *differunt a regulis doctrinalibus* quæ a doctoribus privatis inventæ et usurpatæ sunt.

Regulæ juris sunt generales quædam sententiæ, ad legum interpretationem præcipue inservientes.

135. **II. Clementinæ** sic appellantur a *Clemente V*, qui, tum suas, tum constitutiones concilii Viennensis (1311) collegerat in *libros* et *titulos*, ad instar præcedentium Decretalium.

a) Ipse tamen Clemens, morte præventus, codicem suum promulgare non potuit, qui propterea fuit a Joanne XXII, ejus successore, *more consueto promulgatus* per constitutionem « *Quoniam nulla* », 25 oct. 1317, ut vim legis universalis haberet.

b) Eodem modo *citantur* ac decretales Gregorii IX ; sed additur : *clementina.* — Ex. gr. : *clement. Ne Romani, De electione ; vel. clem. 2, De elect.*

136. **III. Extravagantes Joannis XXII,** sic appellatæ quia *vagabantur extra collectiones* ceterarum decretalium, privatorum studio collectæ sunt, anno 1325, et postea in 14 titulos distributæ, retento ordine analogo materiarum qui servatus erat in anterioribus collectionibus.

a) Hæc collectio viginti decretalium, licet documentis constet *authenticis*, nunquam fuit ab ullo Pontifice ut *codex* authenticus probata et promulgata, ideoque nomen *Extravagantium* usque ad hunc diem retinuit.

b) Ut *modus citationis* appareat, sit, ad exemplum : *Joannis XXII extravag. Sancta romana, De religiosis domibus ;* vel, absque nomine : *Extravag. Sancta romana, De religiosis domibus.*

137. **IV. Extravagantes communes** sunt decretales Romanorum Pontificum, numero 70, a Bonifacio VIII ad Sixtum IV (1294-1484), collectæ circa finem sæculi XV.

a) *Ordo hujus collectionis* est analogus ordini communi præcedentium collectionum ; deficientibus tamen decretalibus de re matrimoniali, liber quartus omissus est.

Citantur hoc modo : *Extravag. Ambitiosæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis, inter communes.*

b) Neque hæc collectio, uti supra de Extravagantibus Joannis XXII diximus, valorem collectionis *publicæ* seu *authenticæ* sortita est.

ARTICULUS II

DE RECENTIORIBUS JURIS ECCLES. COLLECTIONIBUS

Quæ, pro bono regimine Ecclesiæ universalis, statuta erant a tempore clausi Corporis Juris canonici, nempe a Sixto IV (1484) ad recentiora tempora, exhibent *constitutiones* Romanorum Pontificum, *concilii Tridentini* decreta, et decisiones *Sacrarum Congregationum* quæ suprema auctoritate potiuntur.

138. **I. Constitutiones Romanorum Pontificum** collectæ sunt in *Bullariis*, privatorum hominum opera confectis.

Constitutiones Leonis XIII et Pii X compluribus voluminibus ex typographia Vaticana prodierunt, sub titulo : « *Leonis XIII* (aut *Pii X*) *Pontificis Maximi Acta* ».

Constitutiones *allegantur* communiter : proposito vocabulo initiali et adjecto nomine Pontificis ; ex. gr. : *constit. Auctorem fidei, Pii VI ;* — vel *Pii X constit. Sapienti consilio.*

139. **II. Concilium Tridentinum** inchoatum fuit anno 1545, sub Paulo III, et absolutum anno 1563, sub Pio IV.

Constat *25 sessionibus ;* et habent singulæ fere sessiones *duas partes :* quarum prima comprehendit capita et canones quibus damnantur hæreses et *dogma catholicum* constituitur ; altera vero quæ « *De reformatione* » inscribitur, habet decreta quæ *disciplinam* respiciunt.

Sessio 24ª, post editos canones de sacramento Matrimonii, continet decretum *De reformatione Matrimonii*, quod in decem capita distributum est : et, deinceps, decretum de Reformatione generatim.

Item, sessio 25ª *triplici parte* constat ; quia, præter alia reformationis capita, complectitur decretum *de Regularibus et Monialibus*.

140. **III. Decisiones Sacrarum Congregationum** *alium fontem* exhibent juris novissimi.

De iis vero, et de earum auctoritate, agendum est *ubi de Curia Romana, n. 525, sq.*

ARTICULUS III

DE NOVO CODICE JURIS CANONICI

141. **I. Pius X,** « probe intelligens ad instaurationem in Christo *ecclesiasticam disciplinam conferre maxime*, qua recte ordinata et florente, uberrimi fructus deesse non possunt », et « justa sane vota probans ac libenter excipiens » illustrium Ecclesiæ Præsulum qui magnopere *efflagitaverant* « ut universæ Ecclesiæ leges, ad hæc usque tempora editæ, lucido ordine digestæ *in unum* colligerentur, *amotis* inde quæ abrogatæ essent aut obsoletæ, aliis, ubi opus fuerit, ad nostrorum temporum conditionem proprius *aptatis* », consilium cepit « eadem in rem tandem deducendi ». — *Pii X motu proprio Arduum sane, 17 mart. 1904.*

a) Ideo Consilium sive, uti aiunt, *Commissionem* Pontificiam constituit, quam penes esset totius negotii moderatio et cura.

Voluitque universum Episcopatum « in gravissimum hoc opus conspirare atque concurrere » juxta normas in Litteris Cardinalis Secretarii Status traditas, *die 25 martii 1904.*

b) « Postremo, prudentiam auctoritatemque cunctorum in Episcopatu venerabilium Fratrum iterum exquirens, ad ipsos itemque ad omnes Regularium Ordinum Prælatos, quotquot ad Œcumenicum Concilium legitime vocari solent, novi Codicis jam digesti et adornati, antequam promulgaretur, singula ad singulos

exemplaria mitti jussit, ut suas quisque *animadversiones* in paratos canones libere patefacerent. » — *Bened. XV constit. Providentissima Mater, 27 maii 1917.*

142. **II. Benedictus XV,** cum interea Pius X, complorante catholico orbe universo, de vita decessisset, sic *undique collecta suffragia excepit,* novumque totius canonici juris Codicem, jam pridem in ipso Concilio Vaticano a pluribus sacrorum Antistitibus expetitum, in omnes suas partes *recognovit, approbavit, ratumque* habuit.

a) Itaque « motu proprio, certa scientia, atque Apostolicæ potestatis plenitudine », constitutione *Providentissima Mater,* 27 maii 1917, novum Codicem sic ut digestus est *promulgavit,* voluitque « vim legis posthac habere pro universa Ecclesia », Ordinariorumque custodiæ ac vigilantiæ servandum tradidit, « non obstantibus quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis etiam speciali atque individua mentione dignis, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibusvis ». — *Constit. cit.*

b) « Ut autem omnes, ad quos pertinet, probe perspecta habere possint hujus Codicis præscripta antequam ad effectum adducantur », jussit idem Pontifex « ut ea vim obligandi habere non incipiant nisi *a die Pentecostes anni 1918* ». — *Cf. n. 87, d.*

c) Quinque libris, uno volumine comprehensis, constat « *Codex juris canonici, Pii X Pont. Max. jussu digestus, Benedicti Papæ XV auctoritate promulgatus* ».

Liber primus exhibet *Normas generales ;* secundus est *De personis ;* tertius *De Rebus ;* quartus *De Processibus ;* quintus *De Delictis et Pœnis.*

Libri dividuntur in *Titulos ;* tituli, pro subjecta materia, in *capita* et *articulos :* quibus, ad ultimum, 2414 *canones* proponuntur.

143. **III. « Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat.** — Itaque :

a) » Leges quælibet, sive universales sive particulares, præscriptis hujus Codicis *oppositæ*, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur ;

b) » Canones qui *jus vetus ex integro referunt*, ex veteris juris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt æstimandi ;

c) » Canones qui *ex parte tantum* cum veteri jure congruunt, qua congruunt, ex jure antiquo æstimandi sunt ; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia dijudicandi ;

d) » In *dubio* num aliquod canonum præscriptum cum veteri jure discrepet, a veteri jure non est recedendum ;

e) » Quod ad *pœnas* attinet quarum in Codice *nulla fit mentio*, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativæ, latæ vel ferendæ sententiæ, eæ tanquam abrogatæ habeantur ;

f) » Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quæ usque adhuc viguerunt, nec *explicite* nec *implicite* in Codice *contineatur*, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit juris divini sive positivi slve naturalis. » — *Cod., can. 6.*

144. **IV.** « **Vigentes in præsens contra horum statuta canonum consuetudines, sive universales sive particulares,** si quidem ipsis canonibus expresse *reprobentur*, tanquam juris corruptelæ corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere ;

» Aliæ, quæ quidem *centenariæ* sint et *immemorabiles*, tolerari poterunt si Ordinarii, pro locorum ac personarum adjunctis, existiment eas prudenter submoveri non posse ; ceteræ suppressæ habeantur nisi expresse Codex aliud caveat. » — *Cod., can. 5.*

145. **V.** « **Jura aliis quæsita,** itemque *privilegia* atque *indulta* quæ, ab Apostolica Sede ad hæc usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi hujus Codicis canonibus expresse revocentur. » — *Cod., can. 4.*

Item « Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum

variiis *Nationibus* conventiones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant ; eæ idcirco perinde ac in præsens vigere pergent, contrariis hujus Codicis præscriptis minime obstantibus ». — *Cod., c. 3.*

146. **VI. « Omnes liturgicæ leges** vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur. » — *Cod., c. 2.*

Etenim « Codex, plerumque, nihil decernit de *ritibus* et *cæremoniis* quas liturgici libri, ab Ecclesia Latina probati, servandas præcipiunt in celebratione sacrosancti Missæ sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis ». — *Ibid.*

147. **VII.** « **Codex unam respicit Latinam Ecclesiam** », licet Ecclesiæ quoque Orientalis disciplina sæpe referatur ; « neque *Orientalem* obligat nisi de iis agatur quæ ex ipsa rei natura Orientalem afficiunt ». — *Cod., c. 1.*

CAPUT VII

DE JURE CANONICO PARTICULARI

Ubi : de existentia juris canonici particularis ; — de natura Concordatorum ; — speciatim, de Concordato anni 1801 in Gallia ; — et de subsecuta Separatione.

ARTICULUS I

DE EXISTENTIA JURIS CANONICI PARTICULARIS

Jus canonicum particulare est : *Complexio legum ecclesiasticarum quæ alicui ecclesiæ propriæ sunt.*

Illæsa enim unitate catholica, ecclesiæ particulares suam relativam unitatem habent, ex aliquali uniformitate disciplinæ et morum, in his etiam quæ juri communi adversantur, *legitima derogatione* inductam. — Revera :

148. **I. Jus proprium alicujus ecclesiæ particularis efformare possunt :**

a) Decreta Conciliorum *nationalium* et *provincialium,* Episcoporumque *statuta,* tum intra, tum extra synodum diœcesanam promulgata ;

b) *Speciales constitutiones* quas Supremus etiam legislator, sive ejus delegatus, tulerit pro determinato territorio ;

c) Exemptiones a jure communi, sive *Principis expresso privilegio,* sive *præscripta consuetudine* firmatæ ;

d) Demum *Concordata,* seu pactiones publicæ quas inierit Sancta Sedes cum Gubernio civili hujus regionis.

149. **II. Non absque consensu Summi Pontificis** stare potest jus canonicum particulare, in iis quæ *juri communi* derogant.

a) Leges enim Ecclesiæ universales tolli non possunt nisi ab eo qui summum in Ecclesia principatum

tenet. — Jus vero consuetudinarium induci nequit absque aliquo legislatoris consensu. — *Cf. n. 123.*

b) Ideo libertates alicujus ecclesiæ particularis repetendæ non sunt *a jure naturali, quod singulis nationibus inesset,* repellendi quidquid suis moribus adversatur, et suas qualescumque consuetudines, invita Sede Apostolica, retinendi.

150. **III. Jus canonicum particulare irritari potest a Summo Pontifice,** cu us auctoritate innititur, ut patet ex dictis de revocatione privilegiorum et de consuetudinis abrogatione.

Attamen, quod attinet ad *leges Concordato firmatas,* disputant Auctores utrum revocari possint a Summo Pontifice absque civilis Principis consensu. — *Cf. n. 156, sq.*

ARTICULUS II

DE CONCORDATIS

Nempe : de objecto seu materia ; necessitate aut utilitate ; vi et obligatione ; interpretatione et abrogatione Concordatorum.

§ I. De objecto seu materia Concordatorum

151. **I. Concordatum inter Sedem Apostolicam et potestatem civilem definiri potest :** Lex *Pontificia* et *civilis,* lata pro particulari quadam Republica, ad *ordinandas relationes* inter Ecclesiam et Statum, circa materiam aliqua ratione utramque potestatem sive societatem concernentem, quæ simul adjunctam habet vim *pacti* publici utramque partem vere obligantis. — *Wernz, Jus Decret. tom. 1, n. 165.*

152. **II. Materia Concordatorum** possunt esse : vel res *temporales,* vel res *spirituales,* vel res *mixtæ* de quibus nempe, sub diverso respectu, utraque potestas per se, jure proprio ac nativo, aliquid statuere potest.

a) Porro, *regulariter,* ex parte *Ecclesiæ,* objectum Concordatorum est aliqua concessio et aliqualis remissio

suorum jurium ; ex parte autem *Status*, solemnis promissio de libertate et juribus Ecclesiæ tuendis.

Hinc, Ecclesia concedit *de suo*, id est de eo quod non tenetur concedere nec pertinet ad Principis jura.

E contra, Princeps non promittit nisi id ad quod jam *tenebatur ;* sed obligationi legis divinæ *addit* vim pacti sollemnis, ità ut fiat debitum ex pacto quod antea jure divino debitum erat.

Neç aliquid indebitum concedit etiam si ex *ærario publico* pecuniam promittat ecclesiis et ministris aut institutionibus ecclesiasticis. Nam hæc pecuniæ largitio non solet fieri nisi post direptiones bonorum ecclesiasticorum, ideoque est vera *restitutio*. — Et, si fieret ante direptionem, esset tantum *modus subveniendi Ecclesiæ ;* nam populus christianus tenetur occurrere expensis Ecclesiæ eo modo quem Ecclesia determinaverit ; igitur, si Princeps subministret ex ærario, substantialiter non facit favorem. — *Cavagnis*, *Instit. jur. publ. lib. 1*, *n. 654.*

b) Unde, *ratione materiæ*, proprie loquendo, Concordata dici nequeunt pacta *synallagmatica*, nec omnino coæquari pactis internationalibus inter societates jure pares, in quibus utraque pars de proprio dat et de *alieno* recipit ; nam in Concordatis « Ecclesia aliena non appetit jura, sed *propria* largitur » *(epist. Pii IX ad D. de Bonald) ;* siquidem, ex parte sæcularis potestatis, non habetur nisi eadem obligatio naturalis, aucta vi pacti.

153. **III. Personæ contrahentes** sunt : ex una parte, *supremus Moderator* societatis *christianæ*, nempe Romanus Pontifex ; et, ex alia parte, *supremi Rectores* societatum *civilium*.

a) Nihil ergo refert, ad valorem Concordatorum, utrum retinuerit necne Summus Pontifex suum *civilem principatum ;* licet enim per summam injuriam desierit esse Princeps temporalis, non tamen desiit esse summus Rector totius reipublicæ christianæ.

b) *Episcopi* nequeunt Concordata *auctoritate propria* inire, quia nihil *contra* jus commune aut de causis *majoribus* statuere valent. Ad summum, Episcopus posset de

iis pacisci quæ *liberæ* ejus dispositioni sub unt. — *Cavagnis, loc. cit., n. 656.*

§ II. De necessitate aut utilitate Concordatorum

154. **I. Concordata absolute necessaria non sunt** ad ordinandas relationes inter Ecclesiam et Statum.

Nam, ex antea dictis, potestas civilis potestati ecclesiasticæ *subordinata* est, et Ecclesiæ competit *limites* inter utramque potestatem, pro suo infallibili magisterio suaque suprema jurisdictione, authentice declarare

155. **II. Verumtamen possunt esse, tum Ecclesiæ, tum Statui maxime utilia.**

a) Quamvis enim in jure cautum sit quousque se extendant limites utriusque potestatis, tamen, vel malitia hominum, vel rerum circumstantiæ et locorum necessitates, nonnunquam postulant *declarationes* ea de re *mutuo consensu* dari, et fieri aliquas *concessiones* quibus, *summa potestate remanente integra*, illius tamen *usus* restringatur.

Et « quoties quidquam constitui de eo genere oporteat de quo utramque potestatem, *diversis* quidem caussis diversoque modo, sed tamen *utramque* constituere rectum sit, necessaria est et utilitati publicæ consentanea utriusque concordia ». — *Leonis XIII enc. Nobilissima Gallorum, 8 febr. 1884*, § *Deinde illa.*

b) Porro, summopere Ecclesiæ interest ut *jura ipsi propria* a potestate civili sint *agnita* et protecta.

Quem scopum si obtinere non potest per usum suæ plenæ et perfectæ potestatis, sapienter ex *novo titulo* sollemnis conventionis tranquillum usum suorum jurium præsertim ab iis Principibus sibi procurare studet qui jurisdictionem ecclesiasticam ex jure quodam divino constitutam non admittunt; aut, privilegiis concessis, *favorem* Principium æcularium, tum catholicorum tum acatholicorum, satagit obtinere. — *Wernz., loc. cit., n. 170.*

Incidunt enim quandoque tempora cum hic quoque concordiæ modus ad *tranquillam libertatem* valet « nimirum si qui Principes

rerum publicarum et Pontifex Romanus de re aliqua separata in idem placitum *consenserint.* Quibus Ecclesia temporibus maternæ pietatis eximia documenta præbet, cum facilitatis indulgentiæque tantum adhibere soleat quantum maxime potest ». — *Leonis XIII enc. Immortale Dei, 1 nov. 1885,* § *Itaque inter.*

§ III. De vi et obligatione Concordatorum

Aliquam obligationem utrique parti contrahenti esse impositam, communis est Doctorum sententia.

Illud enim saltem tenendum est : veram existere obligationem in ipso legislatore *proprias suas leges* servandi, neque temere ab eis recedendi.

Et « decet concessum a Principe beneficium esse mansurum ». — *Reg., 16 juris, in 6°.*

An vero ex Concordatis oriatur in Principe civili et in Romano Pontifice mutua obligatio *stricti juris,* seu justitiæ commutativæ, non meræ gratitudinis, vel obedientiæ, vel religionis aut fidelitatis, valde controvertitur.

156. **I. Regalistæ dicunt inter Statum et Ecclesiam sibi subordinatam verum pactum bilaterale iniri non posse;** ideo Concordatis eatenus tantum vim juridicam tribuunt quatenus sunt leges ab *ipsa potestate civili* promulgatæ ; unde et absque Ecclesiæ consensu illas abrogare potest.

In confutanda hac sententia, quæ juribus Ecclesiæ uti societatis perfectæ aperte contradicit *(cf. n. 19, sq.),* non est immorandum.

Pius IX sequentem propositionem damnavit : « Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas sollemnes conventiones, vulgo Concordata, super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine ejus consensu. » — *Syll. err. 43.*

157. **II. Aliorum sententia est Concordata, ex parte Ecclesiæ, non esse nisi mera privilegia** quæ ab ipsa servanda quidem sunt, sed ex *fidelitate* promittentis. — Dicunt enim :

a) Contractum proprie dictum iniri non posse de

rebus *spiritualibus* vel spiritualibus adnexis, quæ sunt materia ordinaria Concordatorum ;

b) Societatem civilem esse *Ecclesiæ subordinatam*, ideoque inter utramque non posse subsistere *verum pactum* quo potestas Romani Pontificis vere ligetur, quia non est paritas juridica contrahentium ;

c) Pontifices Romanos spiritualem suam potestatem non posse *alienare ;* secus enim hæc in dies per successivas deminutiones *evanesceret :* quod repugnat indefectibilitati Ecclesiæ et immediatæ communicationi auctoritatis quam integram singuli Pontifices a Christo recipiunt. — *Cf. Tarquini, Instit. juris publici, n. 66, sq.*

158. **III. Alii Concordatis vim pactorum proprie bilateralium vindicant,** et argumenta repetunt :

a) *Ex ipso tenore Concordatorum.* — Nam, ex. gr.,

In Concordato inter Leonem X et Franciscum I regem Galliæ, an. 1516, decernitur fore *irritum et inane* quidquid super ejus articulis a quoquam, quavis auctoritate, *etiam per ipsum Pontificem et ejus successores*, scienter aut ignoranter contigerit attentari.

Idem declaravit *Benedictus XIV* in Concordato cum *Ferdinando VI*, rege Hispaniæ, an. 1753.

Et in Concordato *Austriaco*, an. 1855, « *utraque* contrahentium pars spondet *se*, *suosque successores*, omnia et singula de quibus conventum est *sancte servaturos* ». — *Cf. Concord. cum rege Bavariæ, an. 1817.*

b) *Ex modo loquendi Summorum Pontificum*, sive in *Bullis* quibus sollemniter ea pacta confirmantur, sive in Epistolis encyclicis, aut *allocutionibus consistorialibus* quibus sæpe de eorum violatione conqueruntur.

Exemplo sit Bulla Julii III « *Decet* », 14 jan. 1554, ubi verba faciens de Concordatis Germaniæ, hæc habet : « Nos attendentes Concordata prædicta *vim pacti inter partes habere*, et quæ ex pacto constant, *absque partium consensu* abrogari non consuevisse nec debere.... »

In constitutione « *Ecclesia Christi* » qua Pius VII confirmavit Concordatum initum cum *Napoleone I*, hæc etiam habentur : « Omnia in eis contenta ac promissa, sincere et inviolabiliter, *ex Nostra*

ejusque Sedis parte adimpletum et servatum iri, tam Nostro quam Nostrorum successorum nomine, promittimus ac spondemus. » — *Cf. alloc. consist. Pii IX, 1 nov. 1850 ; etc.*

Unde Leo XIII : « Cum pactis conventis inter sacram civilemque potestatem publice aliquid constitutum est, tunc profecto, quod *justitiæ* interest, interest idem rei publicæ concordiam manere integram. » — *Encycl. Nobilissima Gallorum, 8 febr. 1884.*

Idem Pontifex, in sua celebri epistola ad Episcopos et fideles catholicos Galliæ, *16 febr. 1892*, Concordatum appellat « un pacte solennel et *bilatéral*, toujours fidèlement observé de la part du Saint-Siège ». — *Cf. Pii X enc. Vehementer Nos, 11 febr. 1906, § Accedit autem.*

c) *Ex variis declarationibus Curiæ Romanæ*, cum, instantes pro Concordatorum observantia, Ministri Summi Pontificis exposuerunt talium pactorum naturam.

Cf., ex., gr., litt. cardinalis Antonelli ad Delegatum Sardiniæ, 26 jun. *1850*, ubi affirmat non posse *alterutram* partem contrahentem *absque alterius consensu* sollemnem conventionem immutare.

Et, in alia ejusdem cardinalis epistola pro iisdem negotiis, 19 jul. 1850, iterum *mutua utriusque partis obligatio* expressis verbis asseritur, et *sub hoc respectu* Concordata æquiparantur *pactis internationalibus.*

d) *Ex ipso Concordatorum fine.*

Concordata enim instituta sunt ut Ecclesia libera sit ab æmulatione Status civilis, ut dissidia componantur, et pax amico fœdere solidetur. Atqui *Sancta Sedes finem intentum non attingeret*, nec Principes sæculares cum illa pacisci vellent, nisi agnosceretur hæc reciprocitas obligationis ad servandum in praxi modum agendi de quo mutuo consensu conventum est. — *De Angelis, Appendix De Concordatis.* — *Cf. Cavagnis, Instit. juris pub., tom. 3, n. 642, sq.*

159. **IV. Nec deest argumentis adversariorum responsio.** — Etenim :

a) In Concordatis S. Pontifex concedit jura spiritualia Principi, ex. gr. præsentandi Episcopos, non pro compensatione pecuniæ, vel alterius commoditatis mere temporalis, sed *in utilitatem relativam Ecclesiæ*, nempe intuitu protectionis quam spondet Princeps, et quæ,

ratione finis, est aliquid *spirituale*. Ideoque ibi *nulla simoniaca labes* apparet, seu studiosa comparatio boni temporalis.

b) Inter societates quarum una est alteri subordinata non potest quidem esse *v rum pactum* nisi societas superior plena voluntate in obligationem *consentiat*. Sed Ecclesia, tuendæ pacis causa, *utilem judicat hanc sollemnem et ultroneam promissionem*, qua posita et acceptata, nascitur vera obligatio ; nam *voluntate sua* Pontifex non operatur in Concordatis ut *Superior* imperans subdito, sed ut formaliter *contrahens*, sub quo respectu ambo pares sunt coram jure naturæ. — *Cavagnis, loc. cit., n. 676.*

Unde, licet dicatur Concordata ratione *objecti et qualitatis contrahentium* habere rationem privilegii, tamen, ratione *formæ et intentionis contrahentium* sunt veri contractus bilaterales.

c) Potestas Summi Pontificis *non imminuitur* ex obligatione suscepta in Concordatis ; nam potestate sua non se exspol at, sed tantum adsumit obligationem circa *modum* ea utendi.

Porro, quemadmodum si videat in datis circumstantiis usum quorumdam mediorum, quæ non sunt absolute necessaria, esse moraliter impossibilem vel minus opportunum potest ab his adhibendis *abstinere*, item potest, ob bonum et tranquillitatem Ecclesiæ, hanc voluntatem suam *declarare*, imo et *pacto* ad id se obligare. — *Cavagnis, loc. cit. num. 678.*

Ceterum, quum *subaudiatur* semper clausula « donec salus animarum aliud non exigat » *(cf. n. 162)*, si forte progressu temporis disciplina per Concordatum constituta *noxia* evaderet, Romanus Pontifex, cujus summa potestas integra semper manet, necessitatibus Ecclesiæ providebit, non jam u *contrahens*, sed ut *judex* in societate superiori, a nemine corrigendus.

160. **V. Sunt qui mediam viam inire conantur,** et dicunt : de *singulis* Concordatorum articulis dijudicandum esse, spectata eorum materia, utrum rationem habeant contractus synallagmatici vel meri privilegii. — *Cf. Duballet, Cours complet de droit can., tom. 3, num. 1715, sq. ; et Wernz, loc. cit., n. 173.*

Hæc autem distinctio non videtur ad solutionem quæstionis aliquid conferre. — Nam :

a) Profecto omnes concedunt, et ipse Tarquini fatetur *(loc. cit., num. 72)* Concordata, prout de facto inita sunt, sæpe strictam imponere RR. Pontificibus obligationem *justitiæ.*

Habet enim Summus Pontifex, præter jura nativa ipsi divinitus concessa, quædam alia facto aliquo contingente *acquisita*, quæ proprie *alienari* possunt. Ideo, v. gr., nihil obstat ex natura rei quominus Sedes Apostolica dominio proprietatis in certa *bona temporalia* renuntiet.

b) Item omnes admittunt *ordinariam* materiam Concordatorum esse *privilegia* et *indulta* Statui seu Principibus temporalibus ab Apostolica Sede concessa.

c) Verum *quæstio est* utrum in ipsa concessione privilegiorum, ex. gr. quando Principibus jus conceditur Episcopos præsentandi, adsit obligatio quæ *vi pacti bilateralis* et ex justitia ipsam Ecclesiam liget, aut solummodo vi cujusdam decentiæ vel fidelitatis ; et in hoc versatur controversia inter catholicos.

§ IV. De interpretatione et abrogatione concordatorum

161. **I. Orto dubio de vi et ambitu Concordatorum,**

a) Valde optandum est ut per amicabilem *compositionem* controversia sopiatur.

Nam, ex natura rei, unde jus ortum est, inde etiam accipit interpretationem. — *Cf. reg. 1 juris.*

b) Quod si mutua compositione controversia non cesset, *Ecclesiæ* competit potestas *authenticam* proferendi *interpretationem,* cui societas civilis stare debeat.

Ecclesia enim in res spirituales et mixtas, quæ sunt materia ordinaria Concordatorum, retinet *supremam* potestatem legislativam, ipsi *divinitus* concessam, ideoque et supremam *interpretandi* potestatem.

162. **II. Ipsa abrogatio Concordatorum** Ecclesiæ permissa est *iis in casibus* in quibus licet e contractu recedere ; nam certe Concordatum iisdem *tacitis conditionibus* subjacet quibus reliquæ conventiones sunt obnoxiæ. — Unde :

a) Ecclesia Concordatum denuntiare potest : si altera pars *non stet* pactis vel promissionibus ; aut si res plane *mutentur,* ita ut materia fiat sive physice sive moraliter *impossibilis* aut *illicita.*

b) Item, si *bonum publicum Ecclesiæ* non sinat initam conventionem subsistere ; nam, cum Concordata ad bonum societatis ecclesiasticæ sint erecta, Summus Pontifex non potest hanc conditionem excludere.

c) Tand m, si per *errorem* substantialem, per *dolum* et fraudes, per *vim* et *metum* concessiones fuerint extortæ. Et, etiamsi metus non talis sit ut faciat actum *per se* irritum, tamen, cum S. Pontifex non habeat judicem superiorem a quo actus rescindatur, *se ipsum solvere* potest a vinculo per injuriam illato.

d) Porro, sicut *ad Ecclesiam* diximus spectare interpretationem Concordati, ita et de *necessitate abrogationis* ipsa judicat.

Mutuo *consensu* equidem satagit subortas lites componere. Verum, si Auctoritas civilis rationabilem compositionem non admittat, tunc Ecclesia, utpote *juridice superior,* potestate sua utitur. — *Cavagnis, loc. cit., num. 70, sq.*

ARTICULUS III

DE CONCORDATO ANNI 1801 IN GALLIA

163. **I. Celebris inita erat conventio inter Summum Pontificem Pium VII et Gubernium Gallicanum,** quæ per injuriam Auctoritatis civilis hodie *abrogata* est.

« Le Gouvernement de la République française reconnaît que la religion catholique, apostolique et romaine, est la religion de la grande majorité des citoyens français.

» Sa Sainteté reconnaît également que cette même religion a retiré et attend encore en ce moment le plus grand bien et le plus grand éclat de l'établissement du culte catholique en France, et de la profession particulière qu'en font les consuls de la République.

» En conséquence, d'après cette reconnaissance mutuelle, tant pour le bien de la religion que pour le maintien de la tranquillité intérieure, ils sont convenus de ce qui suit :

» *Art. 1.* — La religion catholique, apostolique et romaine sera librement exercée en France ; son culte sera public, en se conformant aux règlements de police que le gouvernement jugera nécessaires pour la tranquillité publique.

» *Art. 2.* — Il sera fait par le Saint-Siège, de concert avec le gouvernement, une nouvelle circonscription des diocèses français.

» *Art. 3.* — Sa Sainteté déclarera aux titulaires des évêchés français qu'Elle attend d'eux avec une ferme confiance, pour le bien de la paix et de l'unité, toute espèce de sacrifices, même celui de leurs sièges. — Après cette exhortation, s'ils se refusaient à ce sacrifice commandé pour le bien de l'Église (refus néanmoins auquel Sa Sainteté ne s'attend pas), il sera pourvu par de nouveaux titulaires au gouvernement des évêchés de la circonscription nouvelle, de la manière suivante :

» *Art. 4.* — Le premier Consul de la République nommera, dans les trois mois qui suivront la publication de la Bulle de Sa Sainteté, aux archevêchés et évêchés de la circonscription nouvelle. Sa Sainteté conférera l'institution canonique suivant les formes établies par rapport à la France avant le changement de gouvernement.

» *Art. 5.* — Les nominations aux évêchés qui vaqueront par la suite seront également faites par le premier Consul, et l'institution canonique sera donnée par le Saint-Siège en conformité de l'article précédent.

» *Art. 6.* — Les évêques, avant d'entrer en fonctions, prêteront directement entre les mains du premier Consul le serment de fidélité qui était en usage avant le changement de gouvernement, exprimé dans les termes suivants :

» *Je jure et promets à Dieu, sur les saints Évangiles, de garder obéissance et fidélité au gouvernement établi par la Constitution de la République française. Je promets aussi de n'avoir aucune intelligence, de n'assister à aucun conseil, de n'entretenir aucune ligue, soit au dedans, soit au dehors, qui soit contraire à la tranquillité publique ; et si, dans mon diocèse ou ailleurs, j'apprends qu'il se trame quelque chose au préjudice de l'État, je le ferai savoir au gouvernement.*

» *Art. 7.* — Les ecclésiastiques du second ordre prêteront le même serment entre les mains des autorités civiles désignées par le gouvernement.

« *Art. 8.* — La formule de prière suivante sera récitée à la fin de l'office divin, dans toutes les églises catholiques de France : *Domine, salvam fac Rempublicam ; Domine, salvos fac Consules.*

» *Art. 9.* — Les évêques feront une nouvelle circonscription des

paroisses de leurs diocèses, qui n'aura d'effet que d'après le consentement du gouvernement.

» *Art. 10.* — Les évêques nommeront aux cures. Leur choix ne pourra tomber que sur des personnes agréées par le gouvernement.

» *Art. 11.* — Les évêques pourront avoir un chapitre dans leur cathédrale, et un séminaire pour leur diocèse, sans que le gouvernement s'oblige à les doter.

» *Art. 12.* — Toutes les églises métropolitaines, cathédrales, paroissiales, ou autres, non aliénées, nécessaires au culte, seront remises à la disposition des évêques.

» *Art. 13.* — Sa Sainteté, pour le bien de la paix et l'heureux rétablissement de la religion catholique, déclare que ni Elle ni ses successeurs ne troubleront en aucune manière les acquéreurs des biens ecclésiastiques aliénés, et qu'en conséquence la propriété de ces mêmes biens, les droits et revenus y attachés, demeureront incommutables entre leurs mains ou celles de leurs ayants cause.

» *Art. 14.* — Le gouvernement assurera un traitement convenable aux évêques et aux curés dont les diocèses et les paroisses seront compris dans la circonscription nouvelle.

» *Art. 15.* — Le gouvernement prendra également des mesures pour que les catholiques français puissent, s'ils le veulent, faire en faveur des églises des fondations.

» *Art. 16.* — Sa Sainteté reconnaît dans le premier Consul de la République française les mêmes droits et prérogatives dont jouissait près d'elle l'ancien gouvernement.

» *Art. 17.* — Il est convenu entre les parties contractantes que, dans le cas où quelqu'un des successeurs du premier Consul actuel ne serait pas catholique, les droits et prérogatives mentionnés dans l'article ci-dessus, et la nomination aux évêchés, seront réglés par rapport à lui par une nouvelle convention.

» Les ratifications seront échangées à Paris dans l'espace de quarante jours.

» Fait à Paris, le 26 messidor de l'an IX de la République française (15 juillet 1801). »

Bulla « *Ecclesia Christi* », *18 kal. sept. 1801*, Pius VII *confirmavit Concordatum*, quod a Gubernio quoque Gallicano publicatum est die 8 apr. 1802 (18 germinal, an X). — *Cf. card. Mathieu, Le concordat de 1801.*

164. **II. Ut nova fieret circumscriptio diœcesium** juxta art. 2 et 3 Concordati,

a) S. Pontifex *expostulavit* ab omnibus Episcopis Galliarum,

sedium quas tenebant *spontaneam* resignationem. — *Litt. Tam multa, 15 aug. 1801.*

Sperabat quidem Pontifex Præsules prompto libentique animo monitis suis obsecuturos esse quibus, ad Ecclesiæ bonum constituendum, tanta animi contentione urgere cogebatur eorum virtutem. *Monebat vero :* « illis renuentibus, ne unitati conservandæ catholicæ Religionis, Ecclesiæ tranquillitati restituendæ, obstacula ulla opponerentur ex parte Sedis Apostolicæ, *ad ea necessario veniendum esse* quibus, et omnia impedimenta tolli, et id tantum boni consequi omnino Religio posset ». — *Bull. Rom. contin., tom. 11, num. 74, § 6.*

b) Porro, non obstantibus quorumdam Episcoporum reclamationibus, Pius VII, per bullam « *Qui Christi Domini* », 29 nov. 1801, *suppressit* et *exstinxit* titulum, denominationem, totumque statum præsentem ecclesiarum Archiepiscopalium et Episcopalium, una cum respectivis earum Capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis ; et de novo *constituit* et *erexit* decem ecclesias Metropolitanas, et quinquaginta ecclesias episcopales. — *Cf. Bull. Rom. contin., loc. cit., n. 92, § 4. sq.*

c) Post Concordatum anni 1817, quod inivit Pius VII cum Ludovico XVIII, *triginta novæ sedes erectæ* sunt. — *Cf. bullam Paternæ caritatis, 6 oct. 1822.*

Hæc conventio nullum alium effectum sortita est ; siquidem, ob graves difficultates ex parte comitiorum Regni, *in cæteris articulis* non fuit *exsecutioni* mandata, imo nec promulgata.

165. **III. Ad procurandam Concordati exsecutionem** deputatus est cardinalis *Caprara* ad primum Galliarum Consulem, cum potestate alios etiam subdelegandi. — *Cf. Litt. Dextera Altissimi, 24 aug. 1801 ; et litt. Cum pro tua, 4 sept. 1801.*

Hanc *missionem* Legati a latere, amplissimasque *facultates* ipsi concessas, confirmat Pontifex eadem sua constitutione « *Qui Christi Domini* ». — *Cf. Bullar. contin., l. c., § 9.*

166. **IV. Cardinalis Caprara, decreto suo « Cum sanctissimus »**, 9 april. 1802, ad obtemperandum mandatis Summi Pontificis :

a) Metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum *titulos*, novarumque Gallicanarum diœcesium *limites* assignavit.

Porro, ut *memoria* saltem retineretur insignium ecclesiarum quæ *exstinctæ* fuerant, Apostolica sibi delegata auctoritate mandavit Archiepiscopis et Episcopis canonice instituendis, ut titulo suæ

ecclesiæ alios quoque *suppressarum* ecclesiarum *titulos* adjungerent. — *Cf. Bullar. contin., l. c., n. 94, § 18, sq.*

b) *Concessit Archiepiscopis et Episcopis Galliarum primo futuris :* ut, posteaquam canonice instituti, ecclesiarum suarum regimen actu consecuti essent, *Capitulum* in metropolitanis vel cathedralibus ecclesiis suis erigere ipsi possent, *juxta formam a sacris canonibus conciliisque præscriptam* et ab Ecclesia hucusque servatam, cum eo dignitatum et canonicorum numero quem, ad earumdem metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicarent. — *Ibid., § 21.*

c) Veteres *parochiales* ecclesias cum suis titulis suppressit, ut inibi animarum cura nonnisi per Parochos seu rectores a novis Antistibus *institutos* exerceri amplius posset. — *Ibid., § 25 et 27.*

d) Erectionem *Seminariorum* Episcopis commendavit, ad erudiendam in pietate, litteris, omnique ecclesiastica disciplina, juventutem quæ clericalis militiæ est viam ingressura, ut quam citissime, et ad normam sacrorum canonum, instituerentur. — *Ibid., 28.*

167. **V. Aliud decretum edidit reductionis festorum,** quo dies, præter Dominicos, in Galliis colendi, ad *quatuor* reducuntur, suntque Nativitas Domini, Ascensio, Assumptio B. M. V. et Festum Sanctorum omnium. — *Datum est eadem die 9 apr. 1802.*

a) « Eam tamen legem adjectam esse voluit (Summus Pontifex), ut in festis diebus, vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil de consueto *divinorum officiorum* sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu innovetur ; sed omnia ea prorsus ratione peragantur qua hactenus consueverunt, *exceptis tamen* festis Epiphaniæ Domini, Sanctissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum Patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ, quæ in *Dominica proxime occurrente* in omnibus ecclesiis celebrabuntur.

b) » *Ad honorem autem SS. Apostolorum et Martyrum*, Sanctitas Sua præcipit : ut, tum in publica, tum in privata horarum canonicarum recitatione, omnes qui ad illas tenentur, in sollemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli, *sanctorum omnium Apostolorum ;* in festivitate vero S. Stephani protomartyris, *omnium sanctorum Martyrum commemorationem faciant ;* quod idem in Missis omnibus iisdem diebus celebrandis agendum erit. » — *Bull. contin., tom. 11, n. 123, § 2 sq.*

168. **VI. Simul cum Concordato, et inconsulto Summo Pontifice, editi sunt 77 articuli sub titulo :** « *Articles organiques de la Convention du 26 messidor an IX, et loi du 18 germinal an X.* »

a) Non pauca in istis *disciplinam canonicam, jura Ecclesiæ ejusque libertatem* offendebant sollemniter tamen assertam in primo Concordati articulo.

b) Ideo contra prædictos articulos *sæpe reclamavit* Sancta Sedes. — *Cf. allocut. consist. Pii VII, 24 maii 1802.*

In bulla « *Quum memoranda* », 10 jun. 1809, iterum significabat Pius VII Articulos sibi ignotos statim improbasse ; « iis siquidem articulis, non solum *exercitium catholicæ religionis*, et penitus *libertas* in maximis potissimisque rebus adimitur quæ, *in ipso Conventionis exordio, ut* ipsius *basis et fundamentum*, verbis asserta, pacta, promissa sollemniter fuèrat ; verum eorum quibusdam etiam haud procul impetitur *Evangelii doctrina* ».

ARTICULUS IV

DE SUBSECUTA SEPARATIONE

169. **I. « La loi de séparation de l'État d'avec l'Église en France,** qui entraîne avec elle la *rupture du Concordat de 1801*, a été promulguée au *Journal officiel de la République* le 11 décembre 1905.

» Les hommes politiques qui l'ont voulue à tout prix n'ont cessé de répéter, dans leurs écrits et leurs discours, au Parlement et au dehors, que cette loi a été rendue inévitable par l'attitude du Saint-Siège.

» L'intérêt qu'ils ont à répandre cette opinion est évident. La France ne voulait pas la séparation ; la séparation, surtout si en pratique elle prend nettement un caractère de persécution, aura des conséquences non moins graves pour la France que pour l'Église : d'où l'opportunité d'en faire retomber, devant l'opinion publique, la responsabilité sur le Saint-Siège.

» Mais, à la lumière des documents et des faits, il ne sera pas difficile de montrer à qui revient effectivement cette responsabilité. »

La démonstration en a été faite dans le « *Livre blanc* que le Saint-Siège a publié en décembre 1905, dont no venons de citer les premières lignes.

Plusieurs parties de cette loi ont été *abrogées* par d ordonnances postérieures, que la résistance des catho ques a rendues nécessaires. Elle contient aussi des d positions *transitoires* qu'il est inutile de mentionner.

C'est pourquoi nous transcrirons seulement les articl qui ont *motivé la réprobation solennelle* du Saint-Siège, ceux qui sont demeurés *applicables* à la situation présent

Nous ajouterons, particulièrement en ce qui regar la *police des cultes*, quelques remarques propres à fai connaître la *jurisprudence actuelle*.

TITRE Ier. — **Principes**

Article premier. — La République assure la liberté de co cience. Elle garantit le libre exercice des cultes sous les seu restrictions édictées ci-après dans l'intérêt de l'ordre public.

Art. 2. — La République ne reconnaît, ne salarie ni ne subve tionne aucun culte. En conséquence, à partir du 1er janvier qui s vra la promulgation de la présente loi, seront supprimées des bu gets de l'État, des départements et des communes, toutes dépen relatives à l'exercice des cultes. Pourront toutefois être inscri auxdits budgets les dépenses relatives à des services d'aumônerie destinées à assurer le libre exercice des cultes dans les établis ments publics tels que lycées, collèges, écoles, hospices, asiles prisons.

Les établissements publics du culte sont supprimés, sous réser des dispositions énoncées à l'article 3.

TITRE II. — **Attribution des biens. Pensions**

Art. 3. — Les établissements dont la suppression est ordonnée p l'article 2 continueront provisoirement de fonctionner, conform ment aux dispositions qui les régissent actuellement, jusqu'à l'att bution de leurs biens aux Associations prévues par le titre IV, au plus tard jusqu'à l'expiration du délai ci-après.

Dès la promulgation de la présente loi, il sera procédé par agents de l'administration des domaines à l'inventaire descriptif estimatif :

1° Des biens mobiliers et immobiliers desdits établissements ;

º Des biens de l'État, des départements et des communes dont mêmes établissements ont la jouissance.

'e double inventaire sera dressé contradictoirement avec les résentants légaux des établissements ecclésiastiques, ou eux nent appelés par une notification faite en la forme administrative.

ˌes agents chargés de l'inventaire auront le droit de se faire comniquer tous titres et documents utiles à leurs opérations.

ʟRT. 4. — Dans le délai d'un an à partir de la promulgation de la sente loi, les biens mobiliers et immobiliers des Menses, Fabri:s, Conseils presbytéraux, Consistoires et autres établissements ılics du culte seront, avec toutes les charges et obligations qui grèvent et avec leur affectation spéciale, transférés par les représtants légaux de ces établissements aux Associations qui, en se formant aux règles d'organisation générale du culte dont elles proposent d'assurer l'exercice, se seront légalement formées, vant les prescriptions de l'article 19, pour l'exercice de ce culte ıs les anciennes circonscriptions desdits établissements.

ʟRT. 5. — Ceux des biens désignés à l'article précédent qui provienıt de l'État et qui ne sont pas grevés d'une fondation pieuse créée térieurement à la loi du 18 germinal an X feront retour à l'État....

ʟRT. 8. — Faute par un établissement ecclésiastique d'avoir, ıs le délai fixé par l'article 4, procédé aux attributions ci-dessus scrites, il y sera pourvu par décret.

ʟ l'expiration dudit délai, les biens à attribuer seront, jusqu'à r attribution, placés sous séquestre.

)ans le cas où les biens attribués en vertu de l'article 4 et du ·agraphe 1er du présent article seront, soit dès l'origine, soit dans suite, réclamés par plusieurs associations formées pour l'exer-ɜ du même culte, l'attribution qui en aura été faite par les représtants de l'établissement, ou par décret, pourra être contestée vant le Conseil d'État statuant au contentieux, lequel prononcera tenant compte de toutes les circonstances de fait....

ʟRT. 9. — A défaut de toute Association pour recueillir les biens ın établissement public du culte, ces biens seront attribués par :ret aux établissements communaux d'assistance ou de bienfaiıce situés dans les limites territoriales de la circonscription :lésiastique intéressée.

Toute action en reprise ou en revendication devra être exercée ns un délai de six mois à partir du jour où le décret aura été éré au *Journal officiel.* L'action ne pourra être intentée qu'en son de donations ou de legs, et seulement par les auteurs et leurs ·itiers en ligne directe.

Cet article 9 a été complété par les articles 1 et 3 de la loi du 13 avril 1908, relative à la dévolution des biens ecclésiastiques. — *Cf. Revue d'organisation et de défense religieuse (que nous citerons par les initiales R. O. D.), année 1908, pag. 259.*

« Toute personne intéressée pourra poursuivre, devant le Conseil d'État, jugeant au contentieux, l'exécution des charges imposées par les décrets d'attribution ». — *Loi du 13 avril 1908, art. 3, § 7.*

TITRE III. — **Des édifices des cultes**

Art. 12. — Les édifices qui ont été mis à la disposition de la nation et qui, en vertu de la loi du 18 germinal an X, servent à l'exercice public des cultes ou au logement de leurs ministres (cathédrales, églises, chapelles, temples, synagogues, archevêchés, évêchés, presbytères, séminaires), ainsi que leurs dépendances immobilières et les objets mobiliers qui les garnissaient au moment où lesdits édifices ont été remis aux cultes, sont et demeurent propriété de l'État, des départements et des communes.

Pour ces édifices, comme pour ceux postérieurs à la loi du 18 germinal an X dont l'État, les départements et les communes seraient propriétaires, y compris les facultés de théologie protestante, il sera procédé conformément aux dispositions des articles suivants.

Art. 13. — Les édifices servant à l'exercice public du culte, ainsi que les objets mobiliers les garnissant, seront laissés gratuitement à la disposition des établissements publics du culte, puis des Associations appelées à les remplacer auxquelles les biens de ces établissements auront été attribués par application des dispositions du titre II.

La cessation de cette jouissance et, s'il y a lieu, son transfert seront prononcés par décret, sauf recours au Conseil d'État statuant au contentieux :

1° Si l'Association bénéficiaire est dissoute ;

2° Si, en dehors des cas de force majeure, le culte cesse d'être célébré pendant plus de six mois consécutifs ;

3° Si la conservation de l'édifice ou celle des objets mobiliers classés en vertu de la loi de 1887 et de l'article 16 de la présente loi est compromise par insuffisance d'entretien et après mise en demeure dûment notifiée du Conseil municipal ou, à son défaut, du préfet ;

4° Si l'Association cesse de remplir son objet, ou si les édifices sont détournés de leur destination ;

5° Si elle ne satisfait pas soit aux obligations de l'article 6 ou du

dernier paragraphe du présent article, soit aux prescriptions relatives aux monuments historiques.

La désaffectation de ces immeubles pourra, dans les cas ci-dessus prévus, être prononcée par décret rendu en Conseil d'État. En dehors de ces cas, elle ne pourra l'être que par une loi.

Les immeubles autrefois affectés aux cultes et dans lesquels les cérémonies du culte n'auront pas été célébrées pendant le délai d'un an antérieurement à la présente loi, ainsi que ceux qui ne seront pas réclamés par une Association cultuelle dans le délai de deux ans après sa promulgation, pourront être désaffectés par décret.

Il en est de même pour les édifices dont la désaffectation aura été demandée antérieurement au 1er juin 1905.

Les établissements publics du culte, puis les Associations bénéficiaires seront tenus des réparations de toute nature ainsi que des frais d'assurance et autres charges afférentes aux édifices et aux meubles les garnissant.

Ce dernier paragraphe a été ainsi modifié par l'article 5 de la loi du 13 avril 1908 : « L'État, les départements et les communes *pourront* engager les dépenses nécessaires pour l'*entretien* et la *conservation* des édifices du culte dont la propriété leur est reconnue par la présente loi. »

Art. 14. — Les archevêchés, évêchés, les presbytères et leurs dépendances, les grands séminaires et facultés de théologie protestante seront laissés gratuitement à la disposition des établissements publics du culte, puis des Associations prévues à l'article 13, savoir : les archevêchés et évêchés pendant une période de deux années ; les presbytères dans les communes où résidera le ministre du culte, les grands séminaires et facultés de théologie protestante, pendant cinq années à partir de la promulgation de la présente loi. — *Cf. Loi du 2 janvier 1907*, *art. 1*, *p. 138.*

TITRE IV. — **Des associations pour l'exercice des cultes**

Art. 18 — Les Associations formées pour subvenir aux frais, à l'entretien et à l'exercice public d'un culte, devront être constituées conformément aux articles 5 et suivants du titre 1er de la loi du 1er juillet 1901. Elles seront, en outre, soumises aux prescriptions de la présente loi.

Art. 19. — Ces Associations devront avoir exclusivement pour objet l'exercice d'un culte et être composées au moins :

Dans les communes de moins de 1,000 habitants, de sept personnes ;

Dans les communes de 1,000 à 20,000 habitants, de quinze personnes ;

Dans les communes dont le nombre des habitants est supérieur à 20,000, de vingt-cinq personnes majeures, domiciliées ou résidant dans la circonscription religieuse.

Chacun de leurs membres pourra s'en retirer en tout temps, après paiement des cotisations échues et de celles de l'année courante, nonobstant toute clause contraire.

Nonobstant toute clause contraire des statuts, les actes de gestion financière et d'administration légale des biens accomplis par les directeurs ou administrateurs seront, chaque année au moins, présentés au contrôle de l'Assemblée générale des membres de l'Association et soumis à son approbation.

Les Associations pourront recevoir, en outre des cotisations prévues par l'article 6 de la loi du 1er juillet 1901, le produit des quêtes et collectes pour les frais du culte, percevoir des rétributions : pour les cérémonies et services religieux même par fondation ; pour la location des bancs et sièges ; pour la fourniture des objets destinés au service des funérailles dans les édifices religieux et à la décoration de ces édifices.

Elles pourront verser, sans donner lieu à perception de droits, le surplus de leurs recettes à d'autres Associations constituées pour le même objet.

Elles ne pourront, sous quelque forme que ce soit, recevoir des subventions de l'État, des départements et des communes. Ne sont pas considérées comme subventions les sommes allouées pour réparations aux monuments classés.

Art. 20. — Ces Associations peuvent, dans les formes déterminées par l'article 7 du décret du 16 août 1901, constituer des Unions ayant une administration ou une direction centrale ; ces Unions seront réglées par l'article 18 et par les cinq derniers paragraphes de l'article 19 de la présente loi.

Art. 21. — Les Associations et les Unions tiennent un état de leurs recettes et de leurs dépenses ; elles dressent chaque année le compte financier de l'année écoulée et l'état inventorié de leurs biens, meubles et immeubles.

Le contrôle financier est exercé sur les Associations et sur les Unions par l'administration de l'enregistrement et par l'inspection générale des finances.

Art. 22. — Les Associations et Unions peuvent employer leurs ressources disponibles à la constitution d'un fonds de réserve suffisant pour assurer les frais et l'entretien du culte et ne pouvant, en

aucun cas, recevoir une autre destination ; le montant de cette réserve ne pourra jamais dépasser une somme égale, pour les Unions et Associations ayant plus de cinq mille francs (5,000 fr.) de revenu, à trois fois, et, pour les autres Associations, à six fois la moyenne annuelle des sommes dépensées par chacune d'elles pour les frais du culte pendant les cinq derniers exercices.

Indépendamment de cette réserve, qui devra être placée en valeurs nominatives, elles pourront constituer une réserve spéciale dont les fonds devront être déposés, en argent ou en titres nominatifs, à la Caisse des dépôts et consignations pour être exclusivement affectés, y compris les intérêts, à l'achat, la construction, à la décoration ou à la réparation d'immeubles ou meubles destinés aux besoins de l'Association ou de l'Union.

Art. 23. — Seront punis d'une amende de seize francs (16 fr.) à deux cents francs (200 fr.) et, en cas de récidive, d'une amende double, les directeurs ou administrateurs d'une Association ou d'une Union qui auront contrevenu aux articles 18, 19, 20, 21 et 22.

Les tribunaux pourront, dans le cas d'infraction au paragraphe 1er de l'article 22, condamner l'Association ou l'Union à verser l'excédent constaté aux établissements communaux d'assistance ou de bienfaisance.

Ils pourront, en outre, dans tous les cas prévus au paragraphe 1er du présent article, prononcer la dissolution de l'Association ou de l'Union.

TITRE V. — **Police des cultes**

Art. 25. — Les réunions pour la célébration d'un culte tenues dans les locaux appartenant à une Association cultuelle, ou mis à sa disposition, sont publiques. Elles sont dispensées des formalités de l'article 8 de la loi du 30 juin 1881, mais restent placées sous la surveillance des autorités dans l'intérêt de l'ordre public. Elles ne peuvent avoir lieu qu'après une déclaration faite dans les formes de l'article 2 de la même loi, et indiquant le local dans lequel elles seront tenues.

Une seule déclaration suffit pour l'ensemble des réunions permanentes, périodiques ou accidentelles qui auront lieu dans l'année.

La loi du 28 mars 1907 a autorisé les réunions publiques, quel qu'en soit l'objet, sans aucune déclaration préalable. — *Cf. n. 178.*

Art. 26. — Il est interdit de tenir des réunions politiques dans les locaux servant habituellement à l'exercice d'un culte.

On ne peut cependant reconnaître un caractère politique à des conférences faites dans une église, et au cours desquelles « *incidemment* il aurait été fait une ou plusieurs allusions, réflexions ou critiques, confinant ou pouvant être rattachées à la politique ». — *Trib. correct. de Chateaudun, 10 juin 1909.*

Art. 27. — Les cérémonies, processions et autres manifestations extérieures d'un culte continueront à être réglées en conformité des articles 95 et 97 de la loi municipale du 5 avril 1884.

S'il appartient au maire, en vertu des dispositions combinées de l'article 97 de la loi du 5 avril 1884 et de l'article 27 de la loi du 9 décembre 1905, de régler les cérémonies, processions et manifestations extérieures du culte, il doit, dans l'accomplissement de sa mission, se conformer à l'article 1er de cette dernière loi qui garantit le *libre exercice* des cultes sous les seules restrictions édictées dans l'intérêt de l'*ordre public*, et ne porter atteinte aux traditions locales que dans la mesure strictement nécessaire au maintien de l'ordre. — *Conseil d'Etat, 12 mai 1911 (R. O. D., VI, 307).*

Doit donc être annulé, comme entaché d'*excès de pouvoir*, l'arrêté municipal qui, contrairement aux traditions locales, et sans qu'aucun motif tiré de la nécessité de maintenir l'ordre public puisse le justifier, interdit toute manifestation extérieure du culte, comme les processions, le port du viatique et les convois funèbres. — *Conseil d'Etat, 27 janvier, 10 et 24 nov. 1911, 9 fév. 1912.*

Les sonneries de cloches seront réglées par arrêté municipal, et, en cas de désaccord entre le maire et le président ou directeur de l'Association cultuelle, par arrêté préfectoral.

Le règlement d'administration publique prévu par l'article 43 de la présente loi déterminera les conditions et les cas dans lesquels les sonneries civiles pourront avoir lieu. — *Cf. n. 1453.*

Art. 28. — Il est interdit, à l'avenir, d'élever ou d'apposer aucun signe ou emblème religieux sur les monuments publics ou en quelque emplacement public que ce soit, à l'exception des édifices servant au culte, des terrains de sépulture dans les cimetières, des monuments funéraires, ainsi que des musées ou expositions.

Cette interdiction ne s'applique pas à l'*entretien* et à la réparation des monuments préexistants. — Conseil d'État, 12 janv. 1912 *(R. O. D., VII, 57).*

Art. 29. — Les contraventions aux articles précédents sont punies des peines de simple police.

Sont passibles de ces peines, dans le cas des articles 25, 26 et 27, ceux qui ont organisé la réunion ou manifestation, ceux qui y ont participé en qualité de ministres du culte et, dans le cas des articles 25 et 26, ceux qui ont fourni le local.

Art. 30. — Conformément aux dispositions de l'article 2 de la loi du 28 mars 1882, l'enseignement religieux ne peut être donné aux enfants âgés de six à treize ans inscrits dans les écoles publiques qu'en dehors des heures de classe.

Il sera fait application aux ministres des cultes qui enfreindraient ces prescriptions, des dispositions de l'article 14 de la loi précitée.

La coïncidence interdite par cet article ne vise pas les exercices et cérémonies du culte, si l'on n'y donne pas l'enseignement religieux par des sermons ou des instructions. — *Cf. Cassat., 9 déc. 1909 et 3 nov. 1911 (R. O. D., vol. V, pag. 19 ; VI, 596).*

De plus, quelle que soit la distance qui sépare l'église de l'école, et quelque temps que puissent mettre les enfants pour se rendre de l'une à l'autre, le ministre du culte qui *commence le catéchisme* à l'heure où *finit la classe,* reste fidèle à l'observation de la loi, et ne saurait être l'objet d'une poursuite, alors même que ce fait aurait pour conséquence d'obliger les enfants à quitter l'école avant la fin des cours, le juge ne pouvant atteindre et punir un fait à raison de ses conséquences, lorsque ce fait ne rentre pas dans les termes de la loi pénale. — *Cassat., 3 juin et 15 juillet 1910 (R. O. D., V, 340 ; VI, 572).*

La jurisprudence de la *Cour de Cassation* applique ce même article à l'enseignement donné au cours d'une *retraite de première communion,* malgré le texte du règlement scolaire cité par le ministre de l'Instruction publique lui-même, à la tribune de la Chambre, dans la séance du 17 janvier 1910, aux termes duquel « pendant la semaine qui précède la première communion, l'institu-

teur autorisera les élèves à quitter l'école aux heures où leurs devoirs religieux les appellent à l'église ».

Mais l'opinion, consacrée par les arrêts des 24 déc. 1909 et 17 nov. 1911, est « certainement erronée », dit M. Taudière. « Outre qu'elle aboutit en fait à des résultats inadmissibles, elle confond, contrairement à la raison et à une jurisprudence bien assise, les *exercices* religieux et l'*enseignement* religieux. Surtout elle sanctionne une prétendue contravention, inexistante en réalité, puisque le curé est frappé pour avoir *détourné* les élèves de la classe que l'instituteur, par ordre de ses supérieurs, *ne devait pas leur faire* dans ces circonstances. Pratiquement, dès lors, il n'y a pour les ministres du culte aucun compte à tenir de cette décision, visiblement inspirée par des considérations étrangères à la notion du droit. » — *Cf. R. O. D., VI, 620, sq. ; VI, 597.*

Art. 31. — Seront punis d'une amende de seize francs (16 fr.) à deux cents francs (200 fr.) et d'un emprisonnement de six jours à deux mois, ou de l'une de ces deux peines seulement, ceux qui, soit par voie de fait, violences ou menaces contre un individu, soit en lui faisant craindre de perdre son emploi ou d'exposer à un dommage sa personne, sa famille ou sa fortune, l'auront déterminé à exercer ou à s'abstenir d'exercer un culte, à faire partie ou à cesser de faire partie d'une Association cultuelle, à contribuer ou à s'abstenir de contribuer aux frais d'un culte.

Le prêtre qui, pour les cérémonies du culte, par exemple pour un mariage, met un fidèle en demeure de choisir entre le tarif double imposé aux non-adhérents et le tarif de faveur accordé à ceux qui contribuent au denier du culte, ne viole en aucune façon l'article 31, d'autant plus que, « la République ne reconnaissant aucun culte », la conséquence évidente en est que la loi ne donne à personne le droit d'exiger des ministres d'un culte l'accomplissement d'une cérémonie quelconque, et qu'ils restent libres, devant la loi civile, sauf obligation contractuelle, de le consentir ou refuser à leur gré, et par conséquent de fixer le prix qu'ils en exigent, et les conditions qu'ils y mettent. — *Cf. Cour d'appel de Caen, 16 juin 1909 (R. O. D., IV, 376).*

Art. 32. — Seront punis des mêmes peines ceux qui auront empêché, retardé ou interrompu les exercices d'un culte par des troubles ou désordres causés dans le local servant à ces exercices.

Art. 33. — Les dispositions des deux articles précédents ne s'appliquent qu'aux troubles, outrages ou voies de fait dont la nature ou les circonstances ne donneront pas lieu à de plus fortes peines d'après les dispositions du Code pénal.

Art. 34. — Tout ministre d'un culte qui, dans les lieux où s'exerce ce culte, aura publiquement, par des discours prononcés, des lectures faites, des écrits distribués ou des affiches apposées, outragé ou diffamé un citoyen chargé d'un service public, sera puni d'une amende de cinq cents francs à trois mille francs (500 fr. à 3,000 fr.) et d'un emprisonnement d'un mois à un an, ou de l'une de ces deux peines seulement.

La vérité du fait diffamatoire, mais seulement s'il est relatif aux fonctions, pourra être établie devant le tribunal correctionnel dans les formes prévues par l'article 52 de la loi du 29 juillet 1881. Les prescriptions édictées par l'article 65 de la même loi s'appliquent aux délits du présent article et de l'article qui suit.

Une *sacristie* devient-elle, au moment où l'on enseigne le *catéchisme* aux enfants, un lieu où *s'exerce le culte* ? — Cette question n'a pas été tranchée par la Cour de Cassation dans son arrêt du 6 nov. 1909, la prescription n'ayant pas permis l'examen de l'affaire au fond. — *Cf. R. O. D., V, 562.*

Pour les délits prévus aux articles 34 et 35, la *prescription* n'est que de « *trois mois* révolus, à compter du jour où ils auront été commis, ou du jour du dernier acte de poursuite, s'il en a été fait ». — *Loi du 29 juillet 1881, art. 65.*

Art. 35. — Si un discours prononcé ou un écrit affiché ou distribué publiquement dans les lieux où s'exerce le culte contient une provocation directe à résister à l'exécution des lois ou aux actes légaux de l'autorité publique, ou s'il tend à soulever ou à armer une partie des citoyens contre les autres, le ministre du culte qui s'en sera rendu coupable sera puni d'un emprisonnement de trois mois à deux ans, sans préjudice des peines de la complicité, dans le cas où la provocation aurait été suivie d'une sédition, révolte ou guerre civile.

Les *manuels scolaires*, inscrits sur la liste régulièrement

dressée par la commission départementale, ont été considérés par divers tribunaux comme imposés par « un acte légal de l'autorité publique ». Mais cette jurisprudence soulève de sérieuses objections.

En effet, le résultat de l'inscription du manuel sur la liste dressée par la commission compétente n'est pas d'*imposer* ce livre, mais d'en *permettre* l'usage. Un instituteur n'a pas le droit d'exiger qu'un enfant soit, au refus de ses parents, muni d'un manuel déterminé. — *Cf. Gazette des Tribunaux, 6 janvier 1911 (R. O. D., VI, 78).*

Art. 36. — Dans le cas de condamnation par les tribunaux de simple police ou de police correctionnelle en application des articles 25 et 26, 34 et 35, l'Association constituée pour l'exercice du culte dans l'immeuble où l'infraction a été commise sera civilement responsable.

TITRE VI. — **Dispositions générales**

Art. 37. — L'article 463 du Code pénal et la loi du 26 mars 1891 sont applicables à tous les cas dans lesquels la présente loi édicte des pénalités.

L'article visé du Code est relatif aux circonstances atténuantes; et la loi du 26 mars 1891 est celle dite de *sursis*.

Art. 38. — Les Congrégations religieuses demeurent soumises aux lois des 1er juillet 1901, 4 décembre 1902 et 7 juillet 1904.

Art. 40. — Pendant huit années à partir de la promulgation de la présente loi, les ministres du culte seront inéligibles au Conseil municipal dans les communes où ils exerceront leur ministère ecclésiastique.

170. **II. Encyclique « Vehementer Nos »,** 11 février 1906, adressée aux Archevêques et Évêques, au clergé et au peuple de France.

Nous donnons ici, dans sa traduction officielle, le texte intégral de ce document dont chaque page est à retenir. Quelques sous-titres ont été ajoutés pour en faciliter la lecture.

Vénérables Frères, bien-aimés Fils, salut et bénédiction apostolique.

Notre âme est pleine d'une douloureuse sollicitude et Notre cœur se remplit d'angoisse quand Notre pensée s'arrête sur vous. Et com-

ment en pourrait-il être autrement, en vérité, au lendemain de la promulgation de la loi qui, en brisant violemment les liens séculaires par lesquels votre nation était unie au Siège apostolique, crée à l'Église catholique en France une situation indigne d'elle et lamentable à jamais !

Politique religieuse qui a préparé la séparation

Événement des plus graves, sans doute, que celui-là ; événement que tous les bons esprits doivent déplorer, car il est aussi funeste à la société civile qu'à la religion ; mais événement qui n'a pu surprendre personne, pourvu que l'on ait prêté quelque attention à la politique religieuse suivie en France dans ces dernières années.

Pour vous, Vénérables Frères, elle n'aura été bien certainement ni une nouveauté ni une surprise, témoins que vous avez été des coups si nombreux et si redoutables tour à tour portés par l'autorité publique à la religion. Vous avez vu violer la sainteté et l'inviolabilité du mariage chrétien par des dispositions législatives en contradiction formelle avec elles ; laïciser les écoles et les hôpitaux : arracher les clercs à leurs études et à la discipline ecclésiastique pour les astreindre au service militaire ; disperser et dépouiller les Congrégations religieuses et réduire la plupart du temps leurs membres au dernier dénuement. D'autres mesures légales ont suivi que vous connaissez tous : on a abrogé la loi qui ordonnait des prières publiques au début de chaque session parlementaire et à la rentrée des tribunaux ; supprimé les signes de deuil traditionnels à bord des navires, le Vendredi Saint ; effacé du serment judiciaire ce qui en faisait le caractère religieux ; banni des tribunaux, des écoles, de l'armée, de la marine, de tous les établissements publics enfin, tout acte ou tout emblème qui pouvait d'une façon quelconque rappeler la religion. Ces mesures et d'autres encore, qui, peu à peu, séparaient de fait l'Église de l'État, n'étaient rien autre chose que des jalons placés dans le but d'arriver à la séparation complète et officielle : leurs promoteurs eux-mêmes n'ont pas hésité à le reconnaître hautement et maintes fois.

Efforts du Saint-Siège pour maintenir l'union

Pour écarter une calamité si grande, le Siège apostolique, au contraire, n'a absolument rien épargné.

Pendant que, d'un côté, il ne se lassait pas d'avertir ceux qui étaient à la tête des affaires françaises, et qu'il les conjurait à plusieurs reprises de bien peser l'immensité des maux qu'amènerait

infailliblement leur politique séparatiste, de l'autre, il multipliait vis-à-vis de la France les témoignages éclatants de sa condescendante affection.

Il avait le droit d'espérer ainsi, grâce aux liens de la reconnaissance, de pouvoir retenir ces politiques sur la pente et de les amener enfin à renoncer à leurs projets.

Mais, attentions, bons offices, efforts, tant de la part de Notre Prédécesseur que de la Nôtre, tout est resté sans effet. Et la violence des ennemis de la religion a fini par emporter de vive force ce à quoi pendant longtemps ils avaient prétendu, à l'encontre de vos droits de nation catholique et de tout ce que pouvaient souhaiter les esprits qui pensent sagement.

C'est pourquoi, dans une heure aussi grave pour l'Église, conscient de Notre charge apostolique, Nous avons considéré comme un devoir d'élever Notre voix et de vous ouvrir Notre âme, à vous, Vénérables Frères, à votre clergé et à votre peuple, vous tous que Nous avons toujours entourés d'une tendresse particulière, mais qu'en ce moment, comme c'est bien juste, Nous aimons plus tendrement que jamais.

L'État ne doit pas être séparé de l'Église

Qu'il faille séparer l'État de l'Église, c'est une thèse absolument fausse, une très pernicieuse erreur.

Basée, en effet, sur ce principe que l'État ne doit reconnaître aucun culte religieux, elle est tout d'abord très gravement injurieuse pour Dieu ; car le Créateur de l'homme est aussi le Fondateur des sociétés humaines, et il les conserve dans l'existence comme il nous y soutient. Nous lui devons donc, non seulement un culte privé, mais un culte public et social pour l'honorer.

En outre, cette thèse est la négation très claire de l'ordre surnaturel. Elle limite en effet l'action de l'État à la seule poursuite de la prospérité publique durant cette vie, qui n'est que la raison prochaine des sociétés politiques ; et elle ne s'occupe en aucune façon, comme lui étant étrangère, de leur raison dernière, qui est la béatitude éternelle proposée à l'homme quand cette vie si courte aura pris fin. Et pourtant l'ordre présent des choses, qui se déroule dans le temps, se trouvant subordonné à la conquête de ce bien suprême et absolu, non seulement le pouvoir civil ne doit pas faire obstacle à cette conquête, mais il doit encore nous y aider.

Cette thèse bouleverse également l'ordre très sagement établi par Dieu dans le monde, ordre qui exige une harmonieuse concorde entre les deux sociétés. Ces deux sociétés, la société religieuse et la

société civile, ont en effet les mêmes sujets, quoique chacune d'elles exerce dans sa sphère propre son autorité sur eux. Il en résulte forcément qu'il y aura bien des matières dont elles devront connaître l'une et l'autre, comme étant de leur ressort à toutes deux. Or, qu'entre l'État et l'Église l'accord vienne à disparaître, et de ces matières communes pulluleront facilement les germes de différends, qui deviendront très aigus des deux côtés ; la notion du vrai en sera troublée et les âmes remplies d'une grande anxiété.

Enfin, cette thèse inflige de graves dommages à la société civile elle-même ; car elle ne peut pas prospérer ni durer longtemps lorsqu'on n'y fait point sa place à la religion, règle suprême et souveraine maîtresse quand il s'agit des droits de l'homme et de ses devoirs.

Aussi les Pontifes romains n'ont-ils pas cessé, suivant les circonstances et selon les temps, de réfuter et de condamner la doctrine de la séparation de l'Église et de l'État. Notre illustre Prédécesseur Léon XIII, notamment, a plusieurs fois et magnifiquement exposé ce que devraient être, suivant la doctrine catholique, les rapports entre les deux sociétés.

La France, moins encore que toute autre nation

Que si, en se séparant de l'Église, un État chrétien, quel qu'il soit, commet un acte éminemment funeste et blâmable, combien n'est-il pas à déplorer que la France se soit engagée dans cette voie, alors que, moins encore que toutes les autres nations, elle n'eût dû y entrer !

La France, disons-Nous, qui, dans le cours des siècles, a été de la part de ce Siège apostolique l'objet d'une si grande et si singulière prédilection ; la France, dont la fortune et la gloire ont toujours été intimement unies à la pratique des mœurs chrétiennes et au respect de la religion !

Le même Pontife Léon XIII avait donc bien raison de dire : « La France ne saurait oublier que sa providentielle destinée l'a unie au Saint-Siège par des liens trop étroits et trop anciens pour qu'elle veuille jamais les briser. De cette union, en effet, sont sorties ses vraies grandeurs et sa gloire la plus pure.... Troubler cette union traditionnelle serait enlever à la nation elle-même une partie de sa force morale et de sa haute influence dans le monde. » — *Allocution aux pèlerins français, 13 avril 1888.*

Un pacte bilatéral rendait ces liens plus indissolubles

Les liens qui consacraient cette union devaient être d'autant plus inviolables qu'ainsi l'exigeait la foi jurée des traités.

Le Concordat passé entre le Souverain Pontife et le Gouvernement français, comme du reste tous les traités du même genre que les États concluent entre eux, était un contrat bilatéral qui obligeait des deux côtés. Le Pontife romain d'une part, le chef de la nation française de l'autre, s'engagèrent donc solennellement, tant pour eux que pour leurs successeurs, à maintenir inviolablement le pacte qu'ils signaient. Il en résultait que le Concordat avait pour règle la règle de tous les traités internationaux, c'est-à-dire le droit des gens, et qu'il ne pouvait en aucune manière être annulé par le fait de l'une seule des deux parties ayant contracté.

Le Saint-Siège a toujours observé avec une fidélité scrupuleuse les engagements qu'il avait souscrits, et de tout temps il a réclamé que l'État fît preuve de la même fidélité. C'est là une vérité qu'aucun juge impartial ne peut nier.

Or, aujourd'hui, l'État abroge de sa seule autorité le pacte solennel qu'il avait signé. Il transgresse ainsi la foi jurée.

Et, pour rompre avec l'Église, pour s'affranchir de son amitié, ne reculant devant rien, il n'hésite pas plus à infliger au Siège apostolique l'outrage qui résulte de cette violation du droit des gens qu'à ébranler l'ordre social et politique lui-même, puisque, pour la sécurité réciproque de leurs rapports mutuels, rien n'intéresse autant les nations qu'une fidélité inviolable dans le respect sacré des traités.

Grandeur de l'injure infligée au Saint-Siège

La grandeur de l'injure infligée au Siège apostolique par l'abrogation unilatérale du Concordat s'augmente encore — et d'une façon singulière — quand on se prend à considérer la forme dans laquelle l'État a effectué cette abrogation.

C'est un principe, admis sans discussion dans le droit des gens et universellement observé par toutes les nations, que la rupture d'un traité doit être préventivement et régulièrement notifiée, d'une manière claire et explicite, à l'autre partie contractante par celle qui a l'intention de dénoncer le traité.

Or, non seulement aucune dénonciation de ce genre n'a été faite au Saint-Siège, mais aucune indication quelconque ne lui a même été donnée à ce sujet. En sorte que le Gouvernement français n'a pas hésité à manquer vis-à-vis du Siège apostolique aux égards ordinaires et à la courtoisie dont on ne se dispense même pas vis-à-vis des États les plus petits.

Et ses mandataires, qui étaient pourtant les représentants d'une nation catholique, n'ont pas craint de traiter avec mépris la dignité

et le pouvoir du Pontife, chef suprême de l'Église, alors qu'ils auraient dû avoir pour cette puissance un respect supérieur à celui qu'inspirent toutes les autres puissances politiques, et d'autant plus grand que, d'une part, cette puissance a trait au bien éternel des âmes et que, sans limites, de l'autre, elle s'étend partout.

Caractères généraux de la loi

Si Nous examinons maintenant en elle-même la loi qui vient d'être promulguée, Nous y trouvons une raison nouvelle de Nous plaindre encore plus énergiquement.

Puisque l'État, rompant les liens du Concordat, se séparait de l'Église, il eût dû, comme conséquence naturelle, lui laisser son indépendance et lui permettre de jouir en paix du droit commun dans la liberté qu'il prétendait lui concéder. Or, rien n'a été moins fait en vérité : nous relevons en effet dans la loi plusieurs mesures d'exception, qui, odieusement restrictives, mettent l'Église sous la domination du pouvoir civil.

Quant à Nous, ce Nous a été une douleur bien amère que de voir l'État faire ainsi invasion dans des matières qui sont du ressort exclusif de la puissance ecclésiastique ; et Nous en gémissons d'autant plus qu'oublieux de l'équité et de la justice, il a créé par là à l'Église de France une situation dure, accablante et oppressive de ses droits les plus sacrés.

Elle est contraire à la constitution de l'Église

Les dispositions de la nouvelle loi sont en effet contraires à la constitution suivant laquelle l'Église a été fondée par Jésus-Christ. L'Écriture nous enseigne, et la tradition des Pères nous le confirme, que l'Église est le corps mystique du Christ, corps régi par des *Pasteurs* et des *Docteurs* (*Ephes.*, IV, 11, *et seq.*), société d'hommes, dès lors, au sein de laquelle des chefs se trouvent qui ont de pleins et parfaits pouvoirs pour gouverner, pour enseigner et pour juger (*Matth.*, XXVIII, 18-20 ; XVI, 18-19 ; XVIII, 17. *Tit.*, II, 15. *II Cor.*, X, 6 ; XIII, 10, *etc.*). Il en résulte que cette Église est par essence une société *inégale*, c'est-à-dire une société comprenant deux catégories de personnes, les Pasteurs et le troupeau, ceux qui occupent un rang dans les différents degrés de la hiérarchie et la multitude des fidèles. Et ces catégories sont tellement distinctes entre elles que dans le corps pastoral seul résident le droit et l'autorité nécessaire pour promouvoir et diriger tous les membres vers la fin de la société ; quant à la multitude, elle n'a pas d'autre devoir que celui de se laisser conduire et, troupeau docile, de suivre ses Pasteurs.

Saint Cyprien, martyr, exprime cette vérité d'une façon admirable quand il écrit : « Notre-Seigneur, dont nous devons révérer et observer les préceptes, réglant la dignité épiscopale et le mode d'être de son Église, dit dans l'Évangile en s'adressant à Pierre : *Ego dico tibi quia tu es Petrus*, etc.... Aussi, à travers les vicissitudes des âges et des événements, l'économie de l'Épiscopat et la constitution de l'Église se déroulent de telle sorte que l'Église repose sur les évêques et que toute sa vie active est gouvernée par eux : *Dominus noster, cujus præcepta metuere et servare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur et dicit Petro : Ego dico tibi quia tu es Petrus, etc.... Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* » Saint Cyprien affirme que tout cela est fondé sur une loi divine, *divina lege fundatum*. — *S. Cypriani epist. 27, alias 28, ad Lapsos* II, *1.*

Contrairement à ces principes, la loi de séparation attribue l'administration et la tutelle du culte public, non pas au corps hiérarchique divinement institué par le Sauveur, mais à une association de personnes laïques. A cette association elle impose une forme, une personnalité juridique, et, pour tout ce qui touche au culte religieux, elle la considère comme ayant seule des droits civils et des responsabilités à ses yeux. Aussi est-ce à cette association que reviendra l'usage des temples et des édifices sacrés, c'est elle qui possédera tous les biens ecclésiastiques meubles et immeubles ; c'est elle qui disposera, quoique d'une manière temporaire seulement, des évêchés, des presbytères et des séminaires ; c'est elle enfin qui administrera les biens, réglera les quêtes et recevra les aumônes et les legs destinés au culte religieux.

Quant au corps hiérarchique des pasteurs, on fait sur lui un silence absolu. Et, si la loi prescrit que les Associations cultuelles doivent être constituées conformément aux règles d'organisation générale du culte dont elles se proposent d'assurer l'exercice, d'autre part, on a bien soin de déclarer que, dans tous les différends qui pourront naître relativement à leurs biens, seul le Conseil d'État sera compétent. Ces Associations cultuelles elles-mêmes seront donc vis-à-vis de l'autorité civile dans une dépendance telle que l'autorité ecclésiastique, et c'est manifeste, n'aura plus sur elles aucun pouvoir.

Combien toutes ces dispositions seront blessantes pour l'Église et contraires à ses droits et à sa constitution divine, il n'est personne qui ne l'aperçoive au premier coup d'œil. Sans compter que la loi

n'est pas conçue sur ce point en des termes nets et précis, qu'elle s'exprime d'une façon très vague et se prêtant largement à l'arbitraire, et qu'on peut, dès lors, redouter de voir surgir, de son interprétation même, de plus grands maux.

Elle entrave sa liberté

En outre, rien n'est plus contraire à la liberté de l'Église que cette loi. En effet, quand, par suite de l'existence des Associations cultuelles, la loi de séparation empêche les pasteurs d'exercer la plénitude de leur autorité et de leur charge sur le peuple des fidèles ; quand elle attribue la juridiction suprême sur ces associations au Conseil d'État et qu'elle les soumet à toute une série de prescriptions en dehors du droit commun qui rendent leur formation difficile et plus difficile encore leur maintien, quand, après avoir proclamé la liberté du culte, elle en restreint l'exercice par de multiples exceptions ; quand elle dépouille l'Église de la police intérieure des temples pour en investir l'État ; quand elle entrave la prédication de la foi et de la morale catholiques et édicte contre les clercs un régime pénal sévère et d'exception ; quand elle sanctionne ces dispositions et plusieurs autres dispositions semblables, où l'arbitraire peut aisément s'exercer, que fait-elle donc sinon placer l'Église dans une sujétion humiliante, et, sous le prétexte de protéger l'ordre public, ravir à des citoyens paisibles, qui forment encore l'immense majorité en France, le droit sacré d'y pratiquer leur propre religion !

Aussi n'est-ce pas seulement en restreignant l'exercice de son culte, auquel la loi de séparation réduit faussement toute l'essence de la religion, que l'État blesse l'Église, c'est encore en faisant obstacle à son influence toujours si bienfaisante sur le peuple et en paralysant de mille manières différentes son action. C'est ainsi, entre autres choses, qu'il ne lui a pas suffi d'arracher à cette Église les Ordres religieux, ses précieux auxiliaires dans le sacré ministère, dans l'enseignement, dans l'éducation, dans les œuvres de charité chrétienne, mais qu'elle la prive encore des ressources qui constituent les moyens humains nécessaires à son existence et à l'accomplissement de sa mission.

Elle viole le droit de propriété

Outre les préjudices et les injures que nous avons relevés jusqu'ici, la loi de séparation viole encore le droit de propriété de l'Église et elle le foule aux pieds. Contrairement à toute justice, elle dépouille cette Église d'une grande partie du patrimoine qui lui

appartient pourtant à des titres aussi multiples que sacrés ; elle supprime et annule toutes les fondations pieuses très légalement consacrées au culte divin ou à la prière pour les trépassés.

Quant aux ressources que la libéralité catholique avait constituées pour le maintien des écoles chrétiennes ou pour le fonctionnement de différentes œuvres de bienfaisance cultuelles, elle les transfère à des établissements laïques où l'on chercherait vainement d'ordinaire le moindre vestige de religion. En quoi elle ne viole pas seulement les droits de l'Église, mais encore la volonté formelle et explicite des donateurs et des testateurs.

Il nous est extrêmement douloureux aussi qu'au mépris de tous les droits la loi déclare propriété de l'État, des départements ou des communes, tous les édifices ecclésiastiques antérieurs au Concordat. Et, si la loi en concède l'usage indéfini et gratuit aux Associations cultuelles, elle entoure cette concession de tant et de telles réserves qu'en réalité elle laisse aux pouvoirs publics la liberté d'en disposer.

Nous avons, de plus, les craintes les plus véhémentes en ce qui concerne la sainteté de ces temples, asiles augustes de la majesté divine, et lieux mille fois chers, à cause de leurs souvenirs, à la piété du peuple français. Car ils sont certainement en danger, s'ils tombent entre des mains laïques, d'être profanés.

Elle blesse la justice

Quand la loi, supprimant le budget des cultes, exonère ensuite l'État de l'obligation de pourvoir aux dépenses cultuelles, en même temps elle viole un engagement contracté dans une convention diplomatique et elle blesse très gravement la justice.

Sur ce point, en effet, aucun doute n'est possible, et les documents historiques eux-mêmes en témoignent de la façon la plus claire : si le Gouvernement français assuma dans le Concordat la charge d'assurer aux membres du clergé un traitement qui leur permît de pourvoir, d'une façon convenable, à leur entretien et à celui du culte religieux, il ne fit point cela à titre de concession gratuite, il s'y obligea à titre de dédommagement, partiel au moins, vis-à-vis de l'Église, dont l'État s'était approprié les biens pendant la première Révolution.

D'autre part aussi, quand, dans ce même Concordat et par amour de la paix, le Pontife romain s'engagea, en son nom et au nom de ses successeurs, à ne pas inquiéter les détenteurs des biens qui avaient été ainsi ravis à l'Église, il est certain qu'il ne fit cette promesse qu'à une condition : c'est que le Gouvernement français s'en-

gagerait à perpétuité à doter le clergé d'une façon convenable et à pourvoir aux frais du culte divin.

Et sera funeste au pays lui-même

Enfin — et comment pourrions-Nous bien Nous taire sur ce point ? — en dehors des intérêts de l'Église qu'elle blesse, la nouvelle loi sera aussi des plus funestes à votre pays.

Pas de doute, en effet, qu'elle ne ruine lamentablement l'union et la concorde des âmes. Et cependant, sans cette union et sans cette concorde, aucune nation ne peut vivre ou prospérer. Voilà pourquoi, dans la situation présente de l'Europe surtout, cette harmonie parfaite forme le vœu le plus ardent de tous ceux en France qui, aimant vraiment leur pays, ont encore à cœur le salut de la patrie. Quant à Nous, à l'exemple de Notre Prédécesseur, et héritier de sa prédilection toute particulière pour votre nation, Nous nous sommes efforcé sans doute de maintenir la religion de vos aïeux dans l'intégrale possession de tous ses droits parmi vous : mais, en même temps et toujours, ayant devant les yeux cette paix fraternelle dont le lien le plus étroit est certainement la religion, Nous avons travaillé à vous raffermir tous dans l'union. Aussi Nous ne pouvons pas voir sans la plus vive angoisse que le Gouvernement français vient d'accomplir un acte qui, en attisant sur le terrain religieux des passions excitées déjà d'une façon trop funeste, semble de nature à bouleverser de fond en comble tout votre pays.

Condamnation solennelle

C'est pourquoi, Nous souvenant de Notre charge apostolique et conscient de l'impérieux devoir qui Nous incombe de défendre contre toute attaque et de maintenir dans leur intégrité absolue les droits inviolables et sacrés de l'Église, en vertu de l'autorité suprême que Dieu Nous a conférée, Nous, pour les motifs exposés ci-dessus, Nous réprouvons et Nous condamnons la loi votée en France sur la séparation de l'Église et de l'État comme profondément injurieuse vis-à-vis de Dieu, qu'elle renie officiellement en posant en principe que la République ne reconnaît aucun culte. Nous la réprouvons et condamnons comme violant le droit naturel, le droit des gens et la fidélité publique due aux traités ; comme contraire à la constitution divine de l'Église, à ses droits essentiels et à sa liberté ; comme renversant la justice et foulant aux pieds les droits de propriété que l'Église a acquis à des titres multiples et, en outre, en vertu du Concordat. Nous la réprouvons et condamnons comme gravement offensante pour la dignité de ce Siège apostolique, pour Notre Per-

sonne, pour l'Épiscopat, pour le clergé et pour tous les catholiques français.

En conséquence, Nous protestons solennellement et de toutes Nos forces contre la proposition, contre le vote et contre la promulgation de cette loi, déclarant qu'elle ne pourra jamais être alléguée contre les droits imprescriptibles et immuables de l'Église pour les infirmer.

Espérances pour l'avenir

Nous devions faire entendre ces graves paroles et vous les adresser à Vous, Vénérables Frères, au peuple de France et au monde chrétien tout entier, pour dénoncer le fait qui vient de se produire.

Assurément, profonde est notre tristesse, comme Nous l'avons déjà dit, quand par avance Nous mesurons du regard les maux que cette loi va déchaîner sur un peuple si tendrement aimé par Nous. Et elle Nous émeut plus profondément encore la pensée des peines, des souffrances, des tribulations de tout genre qui vont vous incomber à Vous aussi, Vénérables Frères, et à votre clergé tout entier.

Mais, pour Nous garder, au milieu de sollicitudes si accablantes, contre toute affliction excessive et contre tous les découragements, Nous avons le ressouvenir de la Providence divine, toujours si miséricordieuse, et l'espérance mille fois vérifiée que jamais Jésus-Christ n'abandonnera son Église, que jamais il ne la privera de son indéfectible appui.

Aussi sommes-Nous bien loin d'éprouver la moindre crainte pour cette Église. Sa force est divine, comme son immuable stabilité : l'expérience des siècles le démontre victorieusement. Personne n'ignore, en effet, les calamités innombrables et plus terribles les unes que les autres qui ont fondu sur elle pendant cette longue durée : et, là où toute institution purement humaine eût dû nécessairement s'écrouler, l'Église a toujours puisé dans ses épreuves une force plus vigoureuse et une plus opulente fécondité.

Quant aux lois de persécution dirigées contre elle — l'histoire nous enseigne, et dans des temps assez rapprochés la France elle-même nous le prouve — forgées par la haine, elles finissent toujours par être abrogées avec sagesse, quand devient manifeste le préjudice qui en découle pour les États.

Plaise à Dieu que ceux qui, en ce moment, sont au pouvoir en France suivent bientôt sur ce point l'exemple de ceux qui les y précédèrent ! Plaise à Dieu qu'aux applaudissements de tous les gens de bien, ils ne tardent pas à rendre à la religion, source de civili-

sation et de prospérité pour les peuples, avec l'honneur qui lui est dû, la liberté.

Devoirs des pasteurs

En attendant, et aussi longtemps que durera une persécution oppressive, « revêtus des armes de lumière » (*Rom.*, XIII, 12), les enfants de l'Église doivent agir de toutes leurs forces pour la vérité et pour la justice ; c'est leur devoir toujours, c'est leur devoir aujourd'hui plus que jamais.

Dans ces saintes luttes, Vénérables Frères, vous qui devez être les maîtres et les guides de tous les autres, vous apporterez toute l'ardeur de ce zèle vigilant et infatigable dont, de tout temps, l'épiscopat français a fourni, à sa louange, des preuves si connues de tous. Mais, par-dessus tout, Nous voulons — car c'est une chose d'une importance extrême — que dans tous les projets que vous entreprendrez pour la défense de l'Église vous vous efforciez de réaliser la plus parfaite union de cœur et de volonté.

Nous sommes fermement résolu à vous adresser en temps opportun des instructions pratiques, pour qu'elles vous soient une règle de conduite sûre au milieu des grandes difficultés de l'heure présente. Et Nous sommes certain d'avance que vous vous y conformerez très fidèlement.

Poursuivez cependant l'œuvre salutaire que vous faites ; ravivez le plus possible la piété parmi les fidèles ; promouvez et vulgarisez de plus en plus l'enseignement de la doctrine chrétienne ; préservez toutes les âmes qui vous sont confiées des erreurs et des séductions qu'aujourd'hui elles rencontrent de tant de côtés ; instruisez, prévenez, encouragez, consolez votre troupeau ; acquittez-vous enfin vis-à-vis de lui de tous les devoirs que vous impose votre charge pastorale.

Dans cette œuvre, vous aurez, sans aucun doute, comme collaborateur infatigable votre clergé. Il est riche en hommes remarquables par leur piété, leur science, leur attachement au Siège apostolique, et Nous savons qu'il est toujours prêt à se dévouer sans compter, sous votre direction, pour le triomphe de l'Église et pour le salut éternel du prochain.

Bien certainement aussi, les membres de ce clergé comprendront que, dans cette tourmente, ils doivent avoir au cœur les sentiments qui furent jadis ceux des apôtres ; ils se réjouiront d'avoir été jugés dignes de souffrir des opprobres pour le nom de Jésus : *Gaudentes... quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.*, V, 41). Ils revendiqueront donc vaillammment les droits et la liberté

de l'Église, mais sans offenser personne. Bien plus, soucieux de garder la charité, comme le doivent surtout des ministres de Jésus-Christ, ils répondront à l'iniquité par la justice, aux outrages par la douceur et aux mauvais traitements par des bienfaits.

Devoirs des fidèles

Et maintenant, c'est à vous que Nous Nous adressons, catholiques de France ; que Notre parole vous parvienne à tous comme un témoignage de la très tendre bienveillance avec laquelle Nous ne cessons pas d'aimer votre pays, et comme un réconfort au milieu des calamités redoutables qu'il va vous falloir traverser.

Vous savez le but que se sont assigné les sectes impies qui courbent vos têtes sous leur joug, car elles l'ont elles-mêmes proclamé avec une cynique audace : « décatholiciser » la France. Elles veulent arracher de vos cœurs, jusqu'à la dernière racine, la foi qui a comblé vos pères de gloire, la foi qui a rendu votre patrie prospère et grande parmi les nations, la foi qui vous soutient dans l'épreuve, qui maintient la tranquillité et la paix à votre foyer et qui vous ouvre la voie vers l'éternelle félicité. C'est de toute votre âme, vous le sentez bien, qu'il vous faut défendre cette foi.

Mais ne vous y méprenez pas : travail et efforts seraient inutiles si vous tentiez de repousser les assauts qu'on vous livrera, sans être fortement unis. Abdiquez donc tous les germes de désunion, s'il en existait parmi vous. Et faites le nécessaire pour que, dans la pensée comme dans l'action, votre union soit aussi ferme qu'elle doit l'être parmi des hommes qui combattent pour la même cause surtout quand cette cause est de celles au triomphe de qui chacun doit volontiers sacrifier quelque chose de ses propres opinions.

Si vous voulez, dans la limite de vos forces, et comme c'est votre devoir impérieux, sauver la religion de vos ancêtres des dangers qu'elle court, il est de toute nécessité que vous déployiez, dans une large mesure, vaillance et générosité. Cette générosité, vous l'aurez, Nous en sommes sûr ; et, en vous montrant ainsi charitables vis-à-vis de ses ministres, vous inclinerez Dieu à se montrer de plus en plus charitable vis-à-vis de vous.

Quant à la défense de la religion, si vous voulez l'entreprendre d'une manière digne d'elle, la poursuivre sans écarts et avec efficacité, deux choses importent avant tout : vous devez d'abord vous modeler si fidèlement sur les préceptes de la loi chrétienne que vos actes et votre vie tout entière honorent la foi dont vous faites profession ; vous devez ensuite demeurer très étroitement unis avec ceux à qui il appartient en propre de veiller ici-bas sur la religion :

avec vos prêtres, avec vos évêques, et surtout avec ce Siège apostolique qui est le pivot de la foi catholique et de tout ce qu'on peut faire en son nom.

Ainsi armés pour la lutte, marchez sans crainte à la défense de l'Église ; mais ayez bien soin que votre confiance se fonde tout entière sur le Dieu dont vous soutiendrez la cause, et, pour qu'il vous secoure, implorez-le sans vous lasser.

Pour Nous, aussi longtemps que vous aurez à lutter contre le danger, Nous serons de cœur et d'âme au milieu de vous ; labeurs, peines, souffrances, Nous partagerons tout avec vous ; et, adressant en même temps au Dieu qui a fondé l'Église et qui la conserve Nos prières les plus humbles et les plus instantes, Nous le supplierons d'abaisser sur la France un regard de miséricorde, de l'arracher aux flots déchaînés autour d'elle, et de lui rendre bientôt, par l'intercession de Marie Immaculée, le calme et la paix.

Comme présage de ces bienfaits célestes et pour vous témoigner Notre prédilection toute particulière, c'est de tout cœur que Nous vous donnons Notre bénédiction apostolique, à vous, Vénérables Frères, à votre Clergé et au Peuple français tout entier.

Donné à Rome, auprès de Saint-Pierre, le 11 février de l'année 1906, de Notre Pontificat la troisième.

PIUS PP. X.

Dans le *Consistoire du 21 février 1906*, le Pape, parlant aux Cardinaux de l'injure faite à l'Église, confirma, par des paroles très expressives, ses précédentes déclarations.

171. **III. Réponse de l'Épiscopat français.** — A l'Encyclique « *Vehementer Nos* » condamnant la loi de séparation, l'assemblée des évêques français répondit par une adresse à S. S. Pie X, dont voici quelques extraits :

Gratias agamus Domino Deo nostro ! N'est-ce pas le sentiment qui jaillit de toutes nos âmes au moment où les portes de ce palais se ferment sur la première assemblée des évêques de France depuis près d'un siècle, et n'est-ce pas par un cri unanime de reconnaissance que nous voudrons saluer cette heure, désormais historique, qui rend à l'Église de France une de ses plus chères libertés ?

Depuis le commencement du siècle dernier, ce droit de réunion, qui est de l'essence de toute société régulière, nous était enlevé ; une loi, injustement greffée sur un contrat, nous tenait impuissants dans nos solitudes et nous interdisait de mettre en commun nos lumières et nos forces....

Ce bonheur de prier et de délibérer ensemble n'est-il pas comme une compensation ménagée par la Providence à tant d'épreuves qui nous menacent et ont déjà commencé à nous étreindre ? L'isolement était dur dans les jours calmes de la paix ; mais, comme il eût été cruel dans les jours de persécution et de luttes, et il nous est doux de laisser échapper de nos poitrines d'évêques et de frères le cri du Psalmiste : *Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* !

Nous allons délibérer, puisque vous l'avez voulu, Très Saint Père, et, au milieu de nos discussions fraternelles, dans le choc des idées très variées qui seront émises, nous aurons toujours les regards tournés vers l'auguste et l'infaillible gardien de la vérité ! Nous exprimerons nos idées personnelles, mais en les sacrifiant d'avance à la sentence de Pierre, qui sera pour nous un commandement divin.

L'ordre de nos travaux place en première ligne l'étude du document pontifical, vrai monument de la sagesse divine et humaine tout ensemble, qui juge et condamne la loi de séparation. Déjà dans toutes les chaires des églises de France a été lu ce solennel exposé qui qualifie doctrinalement une loi impie et condamne irrévocablement des attentats prétendus légaux ; déjà la voix des évêques s'est fait entendre sur tous les points de notre pays, dans un concert respectueux d'éloges et de remerciements, pour acclamer comme il convenait une doctrine à la fois si ferme et si sûre. Mais ici nous sommes l'épiscopat, nous parlons en corps et nos voix s'élèvent avec la plus harmonieuse unanimité pour proclamer avec plus de force, avec des énergies accumulées, le respect et l'amour que nous professons isolément pour le Vicaire de Jésus-Christ, notre bien-aimé pontife et père Pie X.

Merci, Très Saint Père, de cette parole qui retentit, grave, solennelle et puissante ; merci à Votre Sainteté d'avoir signalé les erreurs, caractérisé les inconvenances, condamné les injustices, et suspendu, jusqu'à ce qu'elle la prohibe peut-être, l'application de la funeste loi...

Avec vous, Très Saint Père, nous condamnons les faux principes de la séparation possible de l'Église et de l'État ; avec vous nous subissons, dans un sentiment d'indignation toute filiale, l'inconvenante et criminelle audace d'un pouvoir qui, voulant déchirer un contrat conclu avec l'Église, le fait seul, sans avis préalable, sans communication d'aucune sorte donnée au chef de l'Église. Avec vous et comme vous, nous protestons contre l'usurpation sacrilège des biens ecclésiastiques, des églises, des fondations sacrées ; contr

la prétention du pouvoir civil de réglementer seul les questions d'administration des biens ecclésiastiques, et de fixer seul les conditions dans lesquelles devront fonctionner les organes de cette administration.

Pour tout résumer d'un mot, nous blâmons tout ce que Votre Sainteté blâma, nous condamnons tout ce qu'elle condamna, et, les yeux tournés vers Rome, mère et maîtresse de toutes les Églises, nous attendrons, dans la pénitence et dans la prière, que le mot de l'avenir nous soit donné par Pierre ; et alors, comme évêques catholiques et comme Français, nous saurons obéir....

Nous attendons tout de votre paternelle bonté, Très Saint Père, nous crions tous à l'avance, dans l'union de nos âmes épiscopales :

« Vive le Christ ! Vive son Vicaire bien-aimé, doux, fort, grand et généreux, le pape Pie X ! »

172. **IV. Encyclique « Gravissimo officii »** de Pie X aux Archevêques et Évêques de France, 10 août 1906. — *Traduction officielle.*

L'encyclique « *Vehementer Nos* » avait condamné la loi de séparation, et la parole des Évêques français avait fait écho à celle du Pape. Mais, pour éviter les conséquences désastreuses auxquelles aboutissait le rejet absolu de la loi, particulièrement en ce qui concernait les biens ecclésiastiques et l'usage des édifices consacrés au culte, n'était-il pas permis d'essayer une organisation de la vie religieuse qui se soumettrait à certaines prescriptions légales, en maintenant les règles du droit ecclésiastique ?

Cette deuxième lettre de Pie X répond à ces préoccupations et tranche, d'une façon définitive, l'angoissante question des *Associations cultuelles.*

Vénérables Frères, salut et bénédiction apostolique.

Nous venons Nous acquitter aujourd'hui d'une très grave obligation de Notre charge, obligation assumée à votre égard lorsque Nous annonçâmes, après la promulgation de la loi de rupture entre la République française et l'Église, que Nous indiquerions, en temps opportun, ce qui Nous paraîtrait devoir être fait pour défendre et conserver la religion dans votre patrie.

Nous avons laissé se prolonger jusqu'à ce jour l'attente de vos désirs, en raison non seulement de l'importance de cette grave

question, mais encore et surtout de la charité toute particulière qui Nous lie à vous et à tous vos intérêts, à cause des inoubliables services rendus à l'Église par votre nation.

Après avoir donc condamné, comme c'était Notre devoir, cette loi inique, Nous avons examiné avec le plus grand soin si les articles de ladite loi nous laisseraient quelque moyen d'organiser la vie religieuse en France de façon à mettre hors d'atteinte les principes sacrés sur lesquels repose la Sainte Église. A cette fin, il Nous a paru bon de prendre également l'avis de l'épiscopat réuni, et de fixer, pour votre assemblée générale, les points qui devraient être le principal objet de vos délibérations. Et maintenant, connaissant votre manière de voir ainsi que celle de plusieurs cardinaux, après avoir mûrement réfléchi, et imploré, par les plus ferventes prières, *le Père des lumières*, Nous voyons que Nous devons pleinement confirmer de Notre autorité apostolique la délibération presque unanime de votre assemblée.

C'est pourquoi, relativement aux associations cultuelles, telles que la loi les impose, Nous décrétons qu'elles ne peuvent absolument pas être formées sans violer les droits sacrés qui tiennent à la vie elle-même de l'Église.

Mettant donc de côté ces associations, que la conscience de Notre devoir Nous défend d'approuver, il pourrait paraître opportun d'examiner s'il est licite d'essayer, à leur place, quelque autre genre d'association à la fois légale et canonique, et préserver ainsi les catholiques de France des graves complications qui les menacent.

A coup sûr, rien ne Nous préoccupe, rien ne Nous tient dans l'angoisse autant que ces éventualités ; et plût au ciel que Nous eussions quelque faible espérance de pouvoir, sans heurter les droits de Dieu, faire cet essai et délivrer ainsi nos fils bien-aimés de la crainte de tant et si grandes épreuves.

Mais, comme cet espoir Nous fait défaut, la loi restant telle quelle, Nous déclarons qu'il n'est point permis d'essayer cet autre genre d'association tant qu'il ne constera pas, d'une façon certaine et légale, que la divine constitution de l'Église, les droits immuables du Pontife romain et des évêques, comme leur autorité sur les biens nécessaires à l'Église, particulièrement sur les édifices sacrés, seront irrévocablement, dans lesdites associations, en pleine sécurité ; vouloir le contraire, Nous ne le pouvons pas sans trahir la sainteté de Notre charge, sans amener la perte de l'Église de France.

Il vous reste donc à vous, Vénérables Frères, de vous mettre à l'œuvre et de prendre tous les moyens que le droit reconnaît à tous

les citoyens, pour disposer et organiser le culte religieux. Nous ne vous ferons jamais, en chose si importante et si ardue, attendre Notre concours. Absent de corps, Nous serons avec vous par la pensée, par le cœur, et Nous vous aiderons, en toute occasion, de Nos conseils et de Notre autorité.

Ce fardeau que Nous vous imposons, sous l'inspiration de Notre amour pour l'Église et pour votre patrie, prenez-le courageusement et confiez tout le reste à la bonté prévoyante de Dieu, dont le secours, au moment voulu, Nous en avons la ferme confiance, ne manquera pas à la France.

Le Pape prévoit ensuite et dénonce les récriminations des ennemis de l'Église, auxquelles il répondra bientôt dans son encyclique du 6 janvier 1907.

173. **V. Lettre des Cardinaux, Archevêques et Evêques de France,** au clergé et aux fidèles de leurs diocèses, rédigée en assemblée plénière à Paris, le 7 sept. 1906. — *Extraits.*

Les évêques de France se déclarent « étroitement unis autour du Souverain Pontife au milieu des douloureuses épreuves du temps présent, n'ayant avec lui qu'un cœur et qu'une âme pour aimer l'Église et la France ».

Nous avons tous reçu, avec une profonde reconnaissance, la Lettre Encyclique que Notre Très Saint Père le Pape Pie X nous a adressée pour nous diriger dans la situation si grave où se trouve l'Église de France....

Nous nous sommes empressés de vous communiquer la parole du Vicaire de Jésus-Christ. Elle cause, dans le monde entier, une impression profonde. Nous l'avons acceptée avec une filiale obéissance....

Vos prêtres ne font qu'un avec leurs évêques dans la soumission absolue et généreuse au Pontife suprême, et se déclarent hautement prêts à tous les sacrifices pour continuer de se dévouer à vos âmes....

Nous joignons, N. T. C. F., nos protestations à celles du Vicaire de Jésus-Christ. Non, ce ne sont pas des intérêts politiques qui nous préoccupent. Depuis bien des années, nous nous sommes conformés aux directions du Saint-Siège, qui nous a demandé de nous réunir dans la seule pensée de défendre la religion catholique en acceptant la constitution que la France s'est donnée....

Nous le répétons tous aujourd'hui et nous redisons d'une voix unanime : Ce que nous demandons, c'est que l'on ne veuille pas, contrairement à la volonté de la France, faire des lois antichrétiennes la constitution même de la République....

Nous voulons espérer encore que la guerre religieuse sera épargnée à notre pays. Les catholiques français demandent : qu'au nom d'une loi qui prétend « assurer la liberté de conscience et garantir le libre exercice des cultes », on ne leur impose pas, pour la pratique de leur religion, une constitution que leur conscience leur défend d'accepter, que l'on se souvienne qu'en aucun cas et dans aucun pays l'organisation légale du culte catholique ne saurait être réglée que d'accord avec le chef suprême de l'Église ; que, si l'on veut à tout prix séparer l'Église de l'État, on nous laisse du moins jouir des biens qui nous appartiennent et des libertés de droit commun, comme en d'autres pays vraiment libres. Nous ne pouvons croire que de telles réclamations ne soient pas entendues....

Si l'on tentait d'établir, contrairement à la volonté du Chef de l'Église, des associations qui ne pourraient avoir de catholique que le nom, nul de vous, sous quelque prétexte que ce fût, ne consentirait à s'y enrôler.

Vos pasteurs sont résolus à subir les spoliations et la pauvreté plutôt que de trahir leur devoir : vous comprendrez que tous les fidèles ont l'obligation de conscience de leur venir en aide et de contribuer, chacun selon ses ressources, à l'entretien du culte divin et de ses ministres.

174. **VI. Loi du 2 janvier 1907**, concernant l'exercice public des cultes.

Les associations cultuelles n'ayant pas été admises par le clergé catholique, il en est résulté une période de confusion au cours de laquelle il était difficile de déterminer le régime applicable au culte catholique. — *Cf. circ. minis. du 1er déc. 1906.*

Cette situation a été réorganisée par la loi du 2 janvier 1907.

Article premier. — Dès la promulgation de la présente loi, l'État, les départements et les communes recouvreront à titre définitif la libre disposition des archevêchés, évêchés, presbytères et séminaires qui sont leur propriété et dont la jouissance n'a pas été réclamée par une association constituée dans l'année qui a

suivi la promulgation de la loi du 9 décembre 1905, conformément aux dispositions de ladite loi.

Cesseront de même, s'il n'a pas été établi d'associations de cette nature, les indemnités de logement incombant aux communes à défaut de presbytère.

La location des édifices ci-dessus, dont les départements ou les communes sont propriétaires, devra être approuvée par l'administration préfectorale. En cas d'aliénation par le département, il sera procédé comme dans les cas prévus par l'article 48, § 1er de la loi du 10 août 1871.

Art. 2. — Les biens des établissements ecclésiastiques qui n'ont pas été réclamés par des associations constituées dans l'année qui a suivi la promulgation de la loi du 9 décembre 1905, conformément aux dispositions de ladite loi, seront attribués à titre définitif, dès la promulgation de la présente loi, aux établissements communaux d'assistance ou de bienfaisance dans les conditions déterminées par l'article 9, premier paragraphe, de ladite loi, sans préjudice des attributions à opérer par application des articles 7 et 8, en ce qui concerne les biens grevés d'une affectation étrangère à l'exercice du culte.

Art. 3. — A l'expiration du délai d'un mois à partir de la promulgation de la présente loi, seront de plein droit supprimées les allocations concédées, par application de l'article 11 de la loi du 9 décembre 1905, aux ministres du culte qui continueront à exercer leurs fonctions dans les circonscriptions ecclésiastiques où n'auront pas été remplies les conditions prévues soit par la loi du 9 décembre 1905, soit par la présente loi, pour l'exercice public du culte, après infraction dûment réprimée.

La déchéance sera constatée par arrêté du ministre des Finances, rendu sur le vu d'un extrait du jugement ou de l'arrêt qui lui est adressé par les soins du ministre de la Justice.

Art. 4. — Indépendamment des associations soumises aux dispositions du titre IV de la loi du 9 décembre 1905, l'exercice public d'un culte peut être assuré tant au moyen d'associations régies par la loi du 1er juillet 1901 (art. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 12 et 17) que par voie de réunions tenues sur initiatives individuelles en vertu de la loi du 30 juin 1881 et selon les prescriptions de l'article 25 de la loi du 9 décembre 1905.

Art. 5. — A défaut d'associations cultuelles, les édifices affectés à l'exercice du culte, ainsi que les meubles les garnissant, continueront, sauf désaffectation dans les cas prévus par la loi du 9 décembre 1905, à être laissés à la disposition des fidèles et des ministres du culte pour la pratique de leur religion.

La jouissance gratuite en pourra être accordée soit à des associations cultuelles constituées conformément aux articles 18 et 19 de la loi du 9 décembre 1905, soit à des associations formées en vertu des dispositions précitées par la loi du 1er juillet 1901 pour assurer la continuation de l'exercice public du culte, soit aux ministres du culte, dont les noms devront être indiqués dans les déclarations prescrites par l'article 25 de la loi du 9 décembre 1905.

La jouissance ci-dessus prévue desdits édifices et des meubles les garnissant sera attribuée, sous réserve des obligations énoncées par l'article 13 de la loi du 9 décembre 1905, au moyen d'un acte administratif dressé par le préfet pour les immeubles placés sous séquestre et ceux qui appartiennent à l'État et aux départements, par le maire pour les immeubles qui sont la propriété des communes.

Les règles susénoncées s'appliqueront aux édifices affectés au culte qui, ayant appartenu aux établissements ecclésiastiques, auront été attribués par décret aux établissements communaux d'assistance ou de bienfaisance par application de l'article 9 § 1er de la loi du 9 décembre 1905.

Art. 6. — Les dispositions de la loi du 9 décembre 1905 et des décrets portant règlement d'administration publique pour son exécution seront maintenues en tout ce qu'elles n'ont pas de contraire à la présente loi.

175. VII. Loi du 30 juin 1881, sur la liberté de réunion, visée par l'article 4 de la loi du 2 janvier 1907.

Article premier. — Les réunions publiques sont libres. — Elles peuvent avoir lieu sans autorisation préalable, sous les conditions prescrites par les articles suivants.

Les articles relatifs à la *déclaration* préalable ont été abrogés par la loi du 28 mars 1907.

Art. 6. — Les réunions ne peuvent être tenues sur la voie publique ; elles ne peuvent se prolonger au delà de onze heures du soir ; cependant, dans les localités où la fermeture des établissements publics a lieu plus tard, elles pourront se prolonger jusqu'à l'heure fixée pour la fermeture de ces établissements.

Art. 8. — Chaque réunion doit avoir un Bureau composé de trois personnes au moins. Le Bureau est chargé de maintenir l'ordre, d'empêcher toute infraction aux lois, de conserver à la réunion le caractère qui lui a été donné par la déclaration, d'interdire tout discours contraire à l'ordre public et aux bonnes mœurs ou contenant provocation à un acte qualifié crime ou délit.

A défaut de désignation par les signataires de la déclaration, les membres du Bureau seront élus par l'assemblée.

Les membres du Bureau et, jusqu'à la formation du Bureau, les signataires de la déclaration sont responsables des infractions aux prescriptions des articles 6 et 8 de la présente loi.

Art. 9. — Un fonctionnaire de l'ordre administratif ou judiciaire peut être délégué : à Paris, par le préfet de police, et dans les départements par le préfet, le sous-préfet ou le maire, pour assister à la réunion. — Il choisit sa place.

Il n'est rien innové aux dispositions de l'article 3 de la loi des 16-24 août 1790, de l'article 9 de la loi des 19-22 juillet 1791 et des articles 9 et 15 de la loi du 18 juillet 1837.

Toutefois, le droit de dissolution ne devra être exercé par le représentant de l'autorité que s'il en est requis par le Bureau ou s'il se produit des collisions et voies de fait.

Art. 10. — Toute infraction aux dispositions de la présente loi sera punie de peines de simple police, sans préjudice des poursuites pour crimes et délits qui pourraient être commis dans les réunions.

Art. 11. — L'article 463 du Code pénal est applicable aux contraventions prévues par la présente loi. L'action publique et l'action privée se prescrivent par six mois.

176. **VIII. Loi du 1er juillet** 1901, relative au contrat d'association. — *Articles visés par la loi du 2 janvier 1907.*

Article premier. — L'Association est la convention par laquelle deux ou plusieurs personnes mettent en commun d'une façon permanente leurs connaissances ou leur activité dans un but autre que de partager des bénéfices. Elle est régie, quant à sa validité, par les principes généraux du droit applicables aux contrats et obligations.

Art. 2. — Les associations de personnes pourront se former librement sans autorisation ni déclaration préalable, mais elles ne jouiront de la capacité juridique que si elles se sont conformées aux dispositions de l'article 5.

Art. 3. — Toute Association fondée sur une cause ou en vue d'un objet illicite, contraire aux lois, aux bonnes mœurs, ou qui aurait pour but de porter atteinte à l'intégrité du territoire national et à la forme républicaine du gouvernement, est nulle et de nul effet.

Art. 4. — Tout membre d'une Association qui n'est pas formée pour un temps déterminé peut s'en retirer en tout temps, après

paiement des cotisations échues et de l'année courante, nonobstant toute clause contraire.

Art. 5. — Toute Association qui voudra obtenir la capacité juridique prévue par l'article 6 devra être rendue publique par les soins de ses fondateurs.

La déclaration préalable en sera faite à la préfecture du département ou à la sous-préfecture de l'arrondissement où l'Association aura son siège social. Elle fera connaître le titre et l'objet de l'Association, le siège de ses établissements et les noms, professions et domiciles de ceux qui, à un titre quelconque, sont chargés de son administration ou de sa direction. Il en sera donné récépissé.

Deux exemplaires des statuts seront joints à la déclaration.

Les Associations seront tenues de faire connaître dans les trois mois tous les changements survenus dans leur administration ou direction, ainsi que toutes les modifications apportées à leurs statuts.

Ces modifications et changements ne sont opposables aux tiers qu'à partir du jour où ils auront été déclarés.

Les modifications et changements seront en outre consignés sur un registre spécial, qui devra être présenté aux autorités administratives ou judiciaires chaque fois qu'elles en feront la demande.

Art. 6. — Toute Association régulièrement déclarée peut, sans aucune autorisation spéciale, ester en justice, acquérir à titre onéreux, posséder et administrer, en dehors des subventions de l'État, des départements et des communes :

1° Les cotisations de ses membres ou les sommes au moyen desquelles ces cotisations ont été rédimées, ces sommes ne pouvant être supérieures à cinq cents francs (500 fr.) ;

2° Le local destiné à l'administration de l'Association et à la réunion de ses membres ;

3° Les immeubles strictement nécessaires à l'accomplissement du but qu'elle se propose.

Art. 7. — En cas de nullité prévue par l'article 3, la dissolution de l'Association sera prononcée par le tribunal civil, soit à la requête de tout intéressé, soit à la diligence du ministère public.

En cas d'infraction aux dispositions de l'article 5, la dissolution pourra être prononcée à la requête de tout intéressé ou du ministère public.

Art. 8. — Seront punis d'une amende de seize à deux cents francs (16 à 200 fr.), et, en cas de récidive, d'une amende double, ceux qui auront contrevenu aux dispositions de l'article 5.

Seront punis d'une amende de seize à cinq mille francs (16 à

5,000 fr.), et d'un emprisonnement de six jours à un an, les fondateurs, directeurs ou administrateurs de l'Association qui se serait maintenue ou reconstituée illégalement après le jugement de dissolution.

Seront punies de la même peine toutes les personnes qui auront favorisé la réunion de l'Association dissoute, en consentant l'usage d'un local dont elles disposent.

Art. 9. — En cas de dissolution volontaire, statutaire ou prononcée par justice, les biens de l'Association seront dévolus conformément aux statuts, ou, à défaut de disposition statutaire, suivant les règles déterminées en Assemblée générale.

Art. 12. — Les Associations composées en majeure partie d'étrangers, celles ayant des administrateurs étrangers ou leurs sièges à l'étranger, et dont les agissements seraient de nature soit à fausser les conditions normales du marché des valeurs ou des marchandises, soit à menacer la sûreté intérieure ou extérieure de l'État dans les conditions prévues par les articles 75 à 101 du Code pénal, pourront être dissoutes par décret du président de la République, rendu en Conseil des ministres.

Les fondateurs, directeurs ou administrateurs de l'Association qui se serait maintenue ou reconstituée illégalement après le décret de dissolution seront punis des peines portées par l'article 8, § 2.

Art. 17. — Sont nuls tous actes entre vifs et testamentaires, à titre onéreux ou gratuit, accomplis soit directement, soit par personne interposée ou toute autre voie indirecte, ayant pour objet de permettre aux Associations légalement ou illégalement formées de se soustraire aux obligations des articles 2, 6, 9, 11, 13, 14 et 16.

On remarquera que la loi du 2 janvier n'a pas visé les articles 10 et 11 de la loi du 1er juillet 1901, qui donnent aux associations de tout genre la possibilité d'être reconnues d'utilité publique, et, par voie de conséquence, de recevoir des dons et des legs ; tandis que la mention expresse de l'article 12 concernant les associations ayant leurs sièges à l'étranger est en même temps une injure et une menace à l'égard des catholiques. — *Cf. R. O. D., tom. V, pag. 435 sq.*

177. **IX. Encyclique « Une fois encore »,** au clergé et au peuple français, 6 janvier 1907. — *Texte original.*

Quelques jours après la promulgation de la loi du 2 jan-

vier 1907, le Souverain Pontife élevait de nouveau la voix pour réfuter les accusations calomnieuses dont la conduite du Saint-Siège avait été l'objet, et protester hautement contre la spoliation dont l'Église de France était la victime.

Vénérables Frères, bien-aimés Fils, salut et bénédiction apostolique.

Une fois encore, les graves événements qui se précipitent en votre noble pays Nous amènent à adresser la parole à l'Église de France pour la soutenir dans ses épreuves et pour la consoler dans sa douleur. C'est, en effet, quand les fils sont dans la peine que le cœur du père doit plus que jamais s'incliner vers eux. C'est, par conséquent, lorsque Nous vous voyons souffrir, que, du fond de Notre âme paternelle, les flots de tendresse doivent jaillir avec plus d'abondance et aller vers vous plus réconfortants et plus doux.

Ces souffrances, Vénérables Frères et bien-aimés Fils, ont un écho douloureux dans toute l'Église catholique en ce moment ; mais nous les ressentons d'une façon bien plus vive encore et Nous y compatissons avec une tendresse qui, grandissant avec vos épreuves, semble s'accroître chaque jour.

A ces tristesses cruelles, le Maître a mêlé, il est vrai, une consolation on ne peut plus précieuse à Notre cœur. Elle Nous est venue de votre inébranlable attachement à l'Église, de votre fidélité indéfectible à ce Siège Apostolique et de l'union forte et profonde qui règne parmi vous.

De cette fidélité et de cette union, Nous en étions sûr d'avance, car Nous connaissions trop la noblesse et la générosité du cœur français pour avoir à craindre qu'en plein champ de bataille la désunion pût se glisser dans vos rangs. Nous n'en éprouvons pas moins une joie immense au spectacle magnifique que vous donnez actuellement ; et, en vous en louant hautement devant l'Église tout entière, Nous en bénissons du fond du cœur le Père des miséricordes, auteur de tous les biens.

C'est contre Dieu que la lutte est engagée

Le recours à ce Dieu infiniment bon est d'autant plus nécessaire que, loin de s'apaiser, la lutte s'accentue et va sans cesse s'étendant. Ce n'est plus seulement la foi chrétienne qu'on veut à tout prix déraciner du milieu des cœurs, c'est encore toute croyance qui, élevant l'homme au-dessus des horizons de ce monde, reporte naturellement son regard lassé vers le ciel.

L'illusion, en effet, n'est plus possible. On a déclaré la guerre à tout ce qui est surnaturel, parce que, derrière le surnaturel, Dieu se trouve : et que ce qu'on veut rayer du cœur et de l'esprit de l'homme, c'est Dieu.

Cette lutte sera acharnée et sans répit de la part de ceux qui la mènent. Qu'au fur et à mesure qu'elle se déroulera, des épreuves plus dures que celles que vous avez connues jusqu'ici vous attendent, c'est possible, et même probable. La sagesse commande donc à chacun de vous de s'y préparer. Vous le ferez simplement, vaillamment et avec confiance, sûrs que, quelle que soit la violence de la bataille, finalement la victoire restera entre vos mains.

Double union nécessaire à la victoire

Le gage de cette victoire sera votre union, union entre vous d'abord, union avec le Siège Apostolique ensuite. Cette double union vous rendra invincibles, et contre elles tous les efforts se briseront.

Nos ennemis ne s'y sont pas mépris, du reste. Dès la première heure, et avec une sûreté de vue très grande, ils ont choisi leur objectif : en premier lieu vous séparer de Nous et de la Chaire de Pierre, puis semer la division parmi vous. Depuis ce moment, ils n'ont pas changé de tactique ; ils y sont revenus sans cesse et par tous les moyens : les uns avec des formules enveloppantes et pleines d'habileté, les autres avec brutalité et cynisme. Promesses captieuses, primes déshonorantes offertes au schisme, menaces et violences, tout a été mis en jeu et employé. Mais votre clairvoyante fidélité a déjoué toutes ces tentatives.

Calomnies répandues contre l'Église

S'avisant alors que le meilleur moyen de vous séparer de Nous c'était de vous ôter toute confiance dans le Siège Apostolique, ils n'ont pas hésité, du haut de la tribune et dans la presse, à jeter le discrédit sur Nos actes, en méconnaissant et parfois même en calomniant nos intentions.

L'Église ne cherche pas la guerre

L'Église, a-t-on dit, cherche à susciter la guerre religieuse en France et elle y appelle la persécution violente de tous ses vœux. — Étrange accusation qu'une accusation pareille !

Fondée par Celui qui est venu dans ce monde pour le pacifier et pour réconcilier l'homme avec Dieu, messagère de paix sur cette terre, l'Église ne pourrait vouloir la guerre religieuse qu'en répu-

diant sa mission sublime et en y mentant aux yeux de tous. A cette mission de douceur patiente et d'amour, elle reste au contraire et restera toujours fidèle.

D'ailleurs, le monde entier sait aujourd'hui, à ne plus s'y tromper, que si la paix des consciences est rompue en France ce n'est pas du fait de l'Église, mais du fait de ses ennemis. Les esprits impartiaux, même lorsqu'ils ne partagent pas notre foi, reconnaissent que, si on combat sur le terrain religieux dans votre patrie bien-aimée, ce n'est point parce que l'Église y a levé l'étendard la première, mais c'est parce qu'on lui a déclaré la guerre à elle-même.

Cette guerre, depuis vingt-cinq ans surtout, elle ne fait que la subir. Voilà la vérité. Les déclarations mille fois faites et refaites dans la presse, dans les congrès, dans les convents maçonniques, au sein du Parlement lui-même, le prouvent, aussi bien que les attaques qu'on a progressivement et méthodiquement menées contre elle. Ces faits sont indéniables, et contre eux aucune parole ne pourra jamais prévaloir.

L'Église ne veut donc pas la guerre, la guerre religieuse moins encore que les autres, et affirmer le contraire c'est la calomnier et l'outrager.

Elle ne désire pas la persécution

Elle ne souhaite pas davantage la persécution violente. Cette persécution, elle la connaît pour l'avoir soufferte dans tous les temps et sous tous les cieux. Plusieurs siècles passés par elle dans le sang lui donnent donc le droit de dire, avec une sainte fierté, qu'elle ne la craint pas et que toutes les fois que ce sera nécessaire elle saura l'affronter. Mais la persécution, en soi, c'est le mal, puisqu'elle est l'injustice et qu'elle empêche l'homme d'adorer Dieu en liberté.

L'Église ne peut donc pas la souhaiter, même en vue du bien que, dans sa sagesse infinie, la Providence en tire toujours.

En outre, la persécution n'est pas seulement le mal, elle est encore la souffrance, et c'est une raison nouvelle pour laquelle, par pitié pour ses enfants, l'Église, qui est la meilleure des mères, ne la désire jamais.

Du reste, cette persécution à laquelle on lui reproche de vouloir pousser et qu'on se déclare bien décidé à lui refuser, on la lui inflige en réalité. N'a-t-on pas, tout dernièrement encore, expulsé de leurs évêchés les Évêques, même les plus vénérables et par l'âge et par les vertus, chassé les séminaristes des grands et petits séminaires, commencé à bannir les curés de leurs presbytères ? Tout l'univers catholique a vu ce spectacle avec tristesse, et, sur le nom qu'il convenait de donner à de pareilles violences, il n'a pas hésité.

Elle n'a pas abandonné ses biens

En ce qui touche les biens ecclésiastiques qu'on Nous accuse d'avoir abandonnés, il importe de remarquer que ces biens étaient pour une partie le patrimoine des pauvres et le patrimoine, plus sacré encore, des trépassés. Il n'était donc pas plus permis à l'Église de les abandonner que de les livrer ; elle ne pouvait que se les laisser arracher par la violence.

Personne ne croira, du reste, qu'elle ait délibérément abandonné, sinon sous la pression des raisons les plus impérieuses, ce qui lui avait été ainsi confié et ce qui lui était si nécessaire pour l'exercice du culte, pour l'entretien des édifices sacrés, pour la formation de ses clercs et pour la subsistance de ses ministres. — C'est perfidement mise en demeure de choisir entre la ruine matérielle et une atteinte consentie à sa constitution, qui est d'origine divine, qu'elle a refusé, au prix même de la pauvreté, de laisser toucher en elle à l'œuvre de Dieu. On lui a donc pris ses biens, elle ne les a pas abandonnés.

Par conséquent, déclarer les biens ecclésiastiques vacants à une époque déterminée si, à cette époque, l'Église n'a pas créé dans son sein un organisme nouveau ; soumettre cette création à des conditions en opposition certaine avec la constitution divine de cette Église, mise ainsi dans l'obligation de les repousser ; attribuer ensuite ces biens à des tiers, comme s'ils étaient devenus des biens sans maître, et, finalement, affirmer qu'en agissant ainsi on ne dépouille pas l'Église, mais qu'on dispose seulement de biens abandonnés par elle : ce n'est pas simplement raisonner en sophiste, c'est ajouter la dérision à la plus cruelle des spoliations.

Mais elle a été spoliée

Spoliation indéniable, du reste, et qu'on chercherait en vain à pallier en affirmant qu'il n'existait aucune personne morale à qui ces biens pussent être attribués ; car l'État est maître de conférer la personnalité civile à qui le bien public exige qu'elle soit conférée, aux établissements catholiques comme aux autres, et, dans tous les cas, il lui aurait été facile de ne pas soumettre la formation des associations cultuelles à des conditions en opposition directe avec la constitution divine de l'Église qu'elles étaient censées devoir servir.

Or, c'est précisément ce que l'on a fait relativement aux associations cultuelles. La loi les a organisées de telle sorte que ses dispositions à ce sujet vont directement à l'encontre de droits qui, découlant de sa constitution, sont essentiels à l'Église, notamment

en ce qui touche la hiérarchie ecclésiastique, base inviolable donnée à son œuvre par le Divin Maître lui-même. De plus, la loi confère à ces associations des attributions qui sont de l'exclusive compétence de l'autorité ecclésiastique, soit en ce qui concerne l'exercice du culte, soit en ce qui concerne la possession et l'administration des biens. Enfin, non seulement ces associations cultuelles sont soustraites à la juridiction ecclésiastique, mais elles sont rendues justiciables de l'autorité civile. Voilà pourquoi Nous avons été amenés dans Nos précédentes Encycliques à condamner ces associations cultuelles, malgré les sacrifices matériels que cette condamnation comportait.

On Nous a accusé encore de parti pris et d'inconséquence. Il a été dit que Nous avions refusé d'approuver en France ce qui avait été approuvé en Allemagne.

Mais ce reproche manque autant de fondement que de justice. Car, quoique la loi allemande fût condamnable sur bien des points et qu'elle n'ait été que tolérée à raison de maux plus grands à écarter, cependant les situations sont tout à fait différentes et cette loi reconnaît expressément la hiérarchie catholique, ce que la loi française ne fait point.

La déclaration annuelle ne pouvait être acceptée

Quant à la déclaration annuelle exigée pour l'exercice du culte, elle n'offrait pas toute la sécurité légale qu'on était en droit de désirer.

Néanmoins, — bien qu'en principe les réunions des fidèles dans les églises n'aient aucun des éléments constitutifs propres aux réunions publiques et qu'en fait il soit odieux de vouloir les leur assimiler, — pour éviter de plus grands maux, l'Église aurait pu être amenée à tolérer cette déclaration. Mais, en statuant que le « curé ou le desservant ne serait plus dans son église qu'un occupant sans titre juridique ; qu'il serait sans droit pour faire aucun acte d'administration », on a imposé aux ministres du culte, dans l'exercice même de leur ministère, une situation tellement humiliée et vague que, dans de pareilles conditions, la déclaration ne pouvait plus être acceptée.

Examen de la nouvelle loi

Reste la loi récemment votée par les deux Chambres.

Au point de vue des biens ecclésiastiques, cette loi est une loi de spoliation, une loi de confiscation, et elle a consommé le dépouillement de l'Église. Quoique son Divin Fondateur soit né pauvre dans

une crèche et soit mort pauvre sur une croix, quoiqu'elle ait connu elle-même la pauvreté dès son berceau, les biens qu'elle avait entre les mains ne lui en appartenaient pas moins en propre, et nul n'avait le droit de l'en dépouiller. Cette propriété, indiscutable à tous les points de vue, avait été encore officiellement sanctionnée par l'État ; il ne pouvait par conséquent pas la violer.

Au point de vue de l'exercie du culte, cette loi a organisé l'anarchie ; ce qu'elle instaure surtout en effet, c'est l'incertitude et le bon plaisir. Incertitude si les édifices du culte, toujours susceptibles de désaffectation, seront mis ou non, en attendant, à la disposition du clergé et des fidèles ; incertitude s'ils leur seront conservés ou non, et pour quel laps de temps ; arbitraire administratif réglant les conditions de la jouissance, rendue éminemment précaire ; pour le culte, autant de situations diverses en France qu'il y a de communes ; dans chaque paroisse, le prêtre mis à la discrétion de l'autorité municipale, et, par conséquent, le conflit à l'état possible organisé d'un bout à l'autre du pays. Par contre, l'obligation de faire face à toutes les charges même les plus lourdes ; et, en même temps, limitation draconienne en ce qui concerne les ressources destinées à y pourvoir.

Aussi, née d'hier, cette loi a-t-elle déjà soulevé d'innombrables et dures critiques de la part d'hommes appartenant indistinctement à tous les partis politiques et à toutes les opinions religieuses, et ces critiques seules suffiraient à la juger.

Sa réprobation

Il est aisé de constater par ce que Nous venons de vous rappeler, Vénérables Frères et bien-aimés Fils, que cette loi aggrave la loi de séparation ; et Nous ne pouvons dès lors que la réprouver.

Le texte imprécis et ambigu de certains des articles de cette loi met dans une nouvelle lumière le but poursuivi par nos ennemis. Ils veulent détruire l'Église et déchristianiser la France, ainsi que Nous l'avons déjà dit, mais sans que le peuple y prenne trop garde et qu'il puisse, pour ainsi dire, faire attention. Si leur entreprise était vraiment populaire, comme ils le prétendent, ils ne balanceraient pas à la poursuivre, visière relevée, et à en prendre hautement toute la responsabilité. Mais, cette responsabilité, loin de l'assumer, ils s'en défendent, ils la repoussent et, pour mieux y réussir, ils la rejettent sur l'Église, leur victime. De toutes les preuves, c'est la plus éclatante que leur œuvre néfaste ne répond pas aux vœux du pays.

C'est en vain, du reste, qu'après Nous avoir mis dans la nécessité

cruelle de repousser les lois qu'ils ont faites, — voyant les maux qu'ils ont attirés sur la patrie, et sentant la réprobation universelle monter comme une lente marée vers eux, — ils essaient d'égarer l'opinion publique et de faire retomber la responsabilité de ces maux sur Nous. Leur tentative ne réussira pas.

Le Pape ne pouvait agir autrement

Quant à Nous, Nous avons accompli Notre devoir, comme tout autre Pontife Romain l'aurait fait.

La haute charge dont il a plu au Ciel de Nous investir, malgré Notre indignité, comme du reste la foi du Christ elle-même, foi que vous professez avec Nous, Nous dictait Notre conduite. Nous n'aurions pu agir autrement, sans fouler aux pieds Notre conscience, sans forfaire au serment que Nous avons prêté en montant sur la Chaire de Pierre, et sans violer la Hiérarchie catholique, base donnée à l'Église par Notre-Seigneur Jésus-Christ.

Nous attendons sans crainte, par conséquent, le verdict de l'histoire. Elle dira que, les yeux immuablement fixés sur les droits supérieurs de Dieu à défendre, Nous n'avons pas voulu humilier le pouvoir civil, ni combattre une forme de gouvernement, mais sauvegarder l'œuvre intangible de Notre-Seigneur et Maître Jésus-Christ. — Elle dira que Nous vous avons défendus, de toute la force de Notre immense tendresse, ô bien-aimés Fils ; que ce que Nous avons réclamé et réclamons pour l'Église, dont l'église de France est la fille aînée et une partie intégrante, c'est le respect de sa hiérarchie, l'inviolabilité de ses biens et la liberté ; que, si l'on avait fait droit à Notre demande, la paix religieuse n'aurait pas été troublée en France, et que, le jour où on l'écoutera, cette paix si désirable y renaîtra. — Elle dira enfin que si, sûr d'avance de votre générosité magnanime, Nous n'avons pas hésité à vous dire que l'heure des sacrifices avait sonné, c'est pour rappeler au monde, au nom du Maître de toutes choses, que l'homme doit nourrir ici-bas des préoccupations plus hautes que celles des contingences périssables de cette vie, et que la joie suprême, l'inviolable joie de l'âme humaine sur cette terre c'est le devoir surnaturellement accompli coûte que coûte, et par là même, Dieu honoré, servi et aimé malgré tout.

Confiant que la Vierge Immaculée, Fille du Père, Mère du Verbe, Épouse du Saint-Esprit, vous obtiendra de la Très Sainte et Adorable Trinité des jours meilleurs, comme présage de l'accalmie qui suivra la tempête, Nous en avons la ferme espérance, c'est du fond de l'âme que Nous vous accordons Notre Bénédiction Apostolique, à

Vous, Vénérables Frères, ainsi qu'à votre clergé et au peuple français tout entier.

Donné à Rome, près de Saint-Pierre, le jour de l'Épiphanie, 6 janvier de l'an 1907, de Notre Pontificat le quatrième.

PIUS PP. X.

178. **X. Loi du** 28 **mars** 1907, relative aux réunions publiques.

Dans leur troisième assemblée, du 15 janvier 1907, les Évêques français, voulant « mettre tout en œuvre pour maintenir jusqu'à la dernière heure l'exercice du culte public » dans les églises, et s'appuyant sur l'article 5 de la loi du 2 janvier 1907, proposèrent un *contrat de jouissance gratuite* des édifices cultuels, entouré de certaines garanties, dont les unes concernaient « la permanence et la sécurité morale du service religieux dans les églises concédées en jouissance », et les autres avaient trait à « la sauvegarde des principes de la hiérarchie ».

Ces contrats *ne furent pas agréés* par le gouvernement. D'ailleurs, il semble qu'on ne doive pas regretter l'échec de cette combinaison qui condamnait le curé à une situation humiliante, et lui imposait de très lourdes charges.

Aucun contrat ne fut donc passé. La loi du 2 janvier 1907 accordait aux fidèles et aux ministres des cultes la *libre disposition* des édifices cultuels : ils se contentèrent de ce *régime de fait* qui leur était acquis, et continuèrent à tenir leurs réunions sans vouloir se soumettre à la *déclaration préalable* dont la nécessité était maintenue par l'article 4 de la même loi.

Enfin, cette attitude fut rendue légale par la *loi du 28 mars 1907,* dont voici les deux premiers articles :

Article premier. — Les réunions publiques, quel qu'en soit l'objet, pourront être tenues *sans déclaration préalable.*

Art. 2. — Sont abrogées, en ce qu'elles ont de contraire à la présente loi, les dispositions des lois des 30 juin 1881, 9 décembre 1905 et 2 janvier 1907.

179. **XI. Nos réunions cultuelles au point de vue de la loi civile** ne sont donc que des réunions publiques

exemptées de toute déclaration préalable par la loi du 28 mars 1907, et dispensées, en outre, par la loi du 2 janvier 1907, art. 4 (*visant l'art. 25 de la loi du 9 déc. 1905*), de la constitution d'un bureau, mais soumises, pour tout le reste, à la loi du 30 juin 1881, et aux interdictions, pénalités ou protections spéciales prévues par la loi du 9 décembre 1905. — *Cimetier, L'exercice public du culte catholique, chap. 1.* — *Cf. Crouzil, De la police du culte.*

a) Aux termes de l'article 5, § 1, de la loi du 2 janvier 1907, à défaut d'associations cultuelles, les édifices affectés à l'exercice du culte, ainsi que les meubles les garnissant, *continueront* à être laissés à la disposition des fidèles et des ministres du culte pour la pratique de *leur religion.*

La *religion* visée par ce texte est celle qui était pratiquée dans les édifices cultuels, lors de la promulgation de la loi précitée, comme l'indiquent les termes employés qui impliquent la *continuité* de la situation antérieure.

1° Dès lors, en vertu d'une *servitude d'affectation cultuelle* créée par la loi, les édifices qui étaient, lors de sa promulgation, consacrés au culte catholique, ont pour destination *exclusive* de servir à l'exercice du culte *catholique* pratiqué suivant les *règles de cette religion,* c'est-à-dire sous la direction d'un prêtre désigné par l'Évêque qui aura été désigné lui-même par le Pape, chef de l'Église catholique. — *Cf. Trib. civil de Périgueux, 17 déc. 1909* (*R. O. D., V, 113*).

2° Pour les mêmes raisons, un prêtre *révoqué* par l'autorité épiscopale de ses fonctions de curé, est tenu de laisser la jouissance de l'église au successeur désigné par l'Évêque. Il n'appartient pas, en effet, aux tribunaux d'apprécier les mesures prises à l'égard d'un prêtre par ses chefs hiérarchiques. — *Cour d'appel de Riom, 1er mars 1909; Cass. 6 fév. 1912* (*R. O. D., IV, 179 et VII, 83*).

Et l'autorité judiciaire n'est pas compétente pour rechercher si l'autorité diocésaine s'est ou non conformée aux règles canoniques concernant la nomination des ministres du culte. — *Cour d'appel de Pau, 15 mars 1911* (*R. O. D., VI,* 240).

3° Donc, seuls peuvent prétendre à la jouissance gratuite d'une église précédemment consacrée au culte catholique, et qui n'a pas été désaffectée, les *fidèles de ladite religion* et le *prêtre* régulièrement investi par l'*autorité diocésaine*, à l'exclusion notamment de toutes autres personnes qui invoqueraient l'existence d'une association cultuelle *non reconnue* par ladite autorité diocésaine. La jurisprudence est aujourd'hui bien établie à ce sujet. — *Cf., ex. gr., trib. civ. de Carcassonne, 23 juin 1910* (*R. O. D., VI, 32*).

En conséquence, les associations cultuelles *réprouvées par l'Église* n'ont aucun droit ou privilège au regard même de la *loi civile.*

b) L'usage des édifices cultuels, attribué aux curés et aux fidèles, n'étant pas un simple fait, mais un *droit* reconnu par le législateur (*loi du 2 janvier 1907, art. 5*), on ne peut appeler les ministres du culte « *de simples occupants sans titre juridique* ».

Cette expression, adoptée par M. Briand dans sa circulaire ministérielle du 1er décembre 1906, a été reconnue inexacte par les tribunaux. — *Cour d'appel de Bourges, 16 juin 1909 ; de Pau, 30 juin 1909 et 27 juin 1910.* — *Cf. Tissier* (*R. O. D., V, 350*).

1° En effet, quoique la disposition des édifices, laissée au ministre du culte, exclue toute idée d'aliénation ou d'administration, quoiqu'elle ne lui accorde ni un droit d'usufruit, comme l'avaient auparavant les Fabriques, ni un droit d'usage ou d'habitation dans les termes de l'article 625 du Code civil, il n'en a pas moins un droit *sui generis* résultant de la loi elle-même, qui lui confère nécessairement une action judiciaire pour le faire respecter. — *Trib. civ. de Gaillac, 15 nov. 1910* (*R. O. D., VI, pag. 173*).

2° Les ministres du culte, même après la séparation, ne peuvent donc être *légalement ignorés.*

« Sans doute, les curés n'exercent plus de *fonctions publiques ;* mais la *loi* les désigne pour leur *assurer* l'usage des églises ; les *tribunaux* ne peuvent pas plus les

ignorer quand il s'agit de faire respecter le libre exercice du culte et l'affectation légale des églises, qu'ils ne le peuvent s'il s'agit de réprimer les infractions par eux commises dans l'exercice de leurs fonctions ». — *Tissier* (*R. O. D., V, 350*). — *Cf. Moye, ibid., 353.*

c) Le législateur ayant déclaré, en termes très précis, qu'il entendait maintenir l'exercice de chaque culte dans les mêmes conditions qu'avant la séparation (*Cf. loi du 2 janvier 1907, art. 5*), les ministres du culte catholique possèdent tous les *droits* qui leur sont *nécessaires* pour assurer le libre exercice de ce culte dans les lieux où il est pratiqué.

Ils sont *seuls* à les posséder, et ils ont le *droit exclusif* de régler l'ordre des cérémonies, de se servir des objets affectés au culte, de nommer et de diriger le personnel nécessaire à l'exercice de ce culte.

Donc, l'autorité municipale ne saurait user d'un droit de réglementation qu'aucun texte de loi ne lui attribue. — *Cassation, 1er déc. 1910* (*R. O. D., VI, 25*).

Et le curé d'une paroisse serait recevable à exercer contre le maire une action en dommages-intérêts à raison de l'usage abusif des objets affectés au culte catholique. — *Tribunal civil d'Angoulême, 22 juin 1910* (*R. O. D., tom. V, pag. 460*).

d) Les réunions cultuelles étant, par la loi du 2 janvier 1907, art. 4, dispensées de la constitution d'un bureau, il n'est pas douteux que l'exercice du culte ait pour conséquence l'attribution aux curés de la *police* des temples.

1° Il appartient, en effet, à ces derniers de régler la tenue des offices religieux et de prendre, par suite, toutes les mesures et dispositions propres à garantir le bon ordre dans les églises. — *Cour d'appel de Pau, 6 mars 1909* (*R. O. D., IV, 373*).

2° Il faut donc que le curé puisse *interdire* les actes qui lui paraissent incompatibles avec l'exercice régulier et paisible de son ministère ; il faut qu'il fasse *respecter son*

pouvoir de réglementation à l'égard des fidèles ; il faut enfin qu'il puisse en *déléguer* l'exercice à ses subordonnés.

3° Il aura donc le droit absolu de faire *expulser* tout perturbateur.

Il pourra également porter plainte contre lui, puisque le *libre exercice* du culte est *garanti* par la loi de 1905 qui a, dans l'article 32, édicté des peines contre les auteurs de troubles ou désordres dans le local servant aux exercices du culte.

4° Au *maire* appartiendra la police des faits qui sont de nature à compromettre la *tranquillité publique ;* mais il ne peut se substituer au ministre du culte qu'à raison de circonstances exceptionnelles. — *Cf. Loi municipale du 5 avril 1884, art. 97.*

e) Quoique, en théorie, il n'appartienne pas au curé de faire des *actes de gestion,* en pratique on est nécessairement conduit à lui reconnaître la faculté de passer à cet effet les contrats indispensables.

On ne saurait, par exemple, lui contester le droit d'assurer le chauffage et l'éclairage, de traiter pour cela avec les fournisseurs, de faire procéder aux réparations et installations nécessaires. — *Rivet* (*R. O. D., VI, 167*).

CAPUT VIII

DE JUDICIARIA ECCLESIÆ POTESTATE

Nempe : de judiciorum ecclesiasticorum natura et variis speciebus ; — de potestate judicandi quam habet Ecclesia ; — ejusdemque potestatis objecto.

ARTICULUS I

DE JUDICIORUM ECCLESIASTICORUM NATURA ET VARIIS SPECIEBUS

180. **I. Nomine judicii ecclesiastici intelligitur** « controversiæ in re de qua Ecclesia jus habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio ». — *Cod., c. 1552, § 1.*

a) *Causa* dicitur ipsa res seu jus controversum quod deducitur in judicium ; et hæc causæ deductio plerumque *litis* nomine appellatur.

Instantia est exercitium actionis, quod litis contestatione incipit, et usque ad sententiam definitivam durat.

b) *Judex* est persona ad justitiam reddendam legitime constituta, cujus decreto res absolvenda et definienda est.

Præfata judicis potestas, ut non inanis remaneat, est *imperio mixta*, quatenus adjunctam habet facultatem necessariam ad judiciorum expeditionem et sententiarum exsecutionem.

c) *Actor* ille est qui intentat actionem de commodo obtinendo, aut de pœna infligenda. — In criminilabus speciatim *Accusator* nuncupatur, vel *Procurator fiscalis.*

d) *Reus*, e contra, vocatur ille a quo res de qua disceptatio est, sive commodum sive pœna, ab actore postulatur apud judicem.

e) *Causæ disceptatio* ad essentiam judicii forensis omnino pertinere censenda est. Requiritur nempe ut proferantur rationes actoris ad probandam suæ postulationis justitiam, et fiat reo respondendi seseque defendendi facultas.

Si autem reus, ad judicium vocatus, sit *contumax*, id est venire

recuset, hac ipsa agendi ratione implicite respondet, et fatetur sese omni efficaci defensionis medio destitui : quæ responsio, ad requisitam, ex parte rei, causæ disceptationem, plane sufficit.

f) Præter conditiones ad constituendum judicium proprie dictum necessarias, quæ *substantiales* dici solent, aliæ conditiones seu formalitates *a lege positiva* utiliter præcipi possunt, etiam ita ut, si omittantur, irritum ac nullius effectus declaretur judicium.

181. **II. Judicium dividitur :**

a) Ratione *finis,* in *contentiosum* et *criminale.*

Judicium est *contentiosum* si pro objecto habeat « personarum physicarum vel moralium jura persequenda aut vindicanda, vel earumdem personarum facta juridica declaranda ».

Est autem *criminale* si respiciat « delicta in ordine ad pœnam infligendam vel declarandam ». — *Cod., c. 1552,* § *2.*

b) Ratione *formæ,* judicium ecclesiasticum : aliud est *ordinarium* quod et *solemne* ac *plenarium* dicitur, in quo nempe omnes solemnitates servantur, sive *substantiales* sive *accidentales.* — Aliud est *extraordinarium,* in quo necesse non est *omnes* has solemnitates servare, ipso jure concedente ut in *certis causis* breviori peculiarique norma procedatur.

Normæ in ordinariis processibus servandæ, in libro IV novi Codicis descriptæ sunt. — *Cf. Tract. de judiciis.* — Porro :

182. **III. Peculiares normæ in certis quibusdam judiciis servandæ sunt,** nempe : in judicio criminali ; in causis matrimonialibus ; in causis contra Sacram Ordinationem ; in causis beatificationis servorum Dei et canonizationis Beatorum.

Et, cum valde optandum sit ut lites inter fideles evitentur, si quæstio fiat de bonis temporalibus, controversia dirimi potest per *transactionem* aut *compromissum* in arbitros. — *Cf. can. 1925, sq.*

183. **IV. In nonnullis quoque expediendis negotiis vel sanctionibus pœnalibus applicandis,** modus procedendi *specialis* adhibendus est, scilicet : in remotione aut

translatione parochorum ; in puniendis clericis non residentibus, aut concubinariis, vel parochis negligentibus ; et in infligenda suspensione ex informata conscientia.

a) « In his processibus adhibeatur semper *Notarius* qui scripto consignet acta, quæ ab omnibus subscribi debent et in archivo servari. » — *Cod., c. 2142.*

b) « Quoties *monitiones* præscribuntur, hæ fieri debent : vel oretenus coram Cancellario aliove officiali Curiæ aut duobus testibus, vel per epistolam ad normam can. 1719 » scilicet « commendatam et cum syngrapha receptionis ».

« Peractæ monitionis ejusque tenoris documentum authenticum in actis servetur. » — *Cod., c. 2143,* § *1 et 2.*

« Qui impedit quominus monitio ad se perveniat, habeatur pro monito. » — *Cod., c. 2143,* § *3.*

c) « Examinatores et Consultores ac Notarius debent, interposito ab initio processus *jurejurando,* servare *secretum* circa omnia quæ ratione sui muneris noverint, ac præsertim circa documenta occulta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum ac motiva. » — *Cod., can. 2144,* § *1.*

Si huic præscripto minime paruerint, « non solum a munere amoveri debent, sed alia etiam condigna pœna ab Ordinario, servatis servandis, plecti poterunt ; ac præterea damna, si qua inde secuta sint, sarcire tenentur ». — *Ibid.,* § *2.*

d) « In iis processibus *summarie* procedendum est ; at duo vel tres *testes,* sive ex officio arcessiti sive a parte inducti, audiri non prohibentur, nisi Ordinarius, auditis parochis consultoribus seu examinatoribus, existimaverit partes eos inducere ad moras nectendas.

» Testes et periti, nisi *jurati,* ne admittantur. » — *Cod., can. 2145.*

e) « A definitivo decreto unicum datur juris remedium, idest *recursus* ad Sedem Apostolicam.

» Quo in casu, ad Sanctam Sedem omnia acta processus *transmittenda* sunt.

» *Pendente recursu,* Ordinarius parœciam vel bene-

ficium quo clericus privatus sit, alii stabiliter conferre valide nequit. » — *Cod., c. 2146.*

ARTICULUS II

DE EXISTENTIA POTESTATIS JUDICIARIÆ IN ECCLESIA

Ecclesia *jure proprio* seu *divino* judiciariam habet potestatem. — Quod probatur :

184. **I. Ex Sacra Scriptura.**

a) Etenim hæc potestas *directe* in pluribus locis asseritur. — Sint ad exemplum :

« Adversus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus. » — *I Tim.*, v, *19.*

« Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » — *Matth.*, XVIII, *15.*

In quibus reperiuntur omnia judicii in foro externo et contentioso essentialia, nempe : *reus, accusator, judex, sententia,* et demum *coercitio* seu pœna, eaque gravissima, scilicet ejectio ab Ecclesia.

b) Plures insuper textus Scripturæ Sacræ probant a Christo datam fuisse Apostolis ac eorum successoribus veram potestatem regnum Dei, id est Ecclesiam, regendi et gubernandi. — *Matth.*, XVI, *19;* XVIII, *18*; XXVIII, *18, sq*; — *Heb.*, XIII, *17* ; — *I Cor.*, IV, *21* ; — *II Thess.*, III, *14; etc.*

Jam vero, ejusmodi potestas necessario *includit potestatem judiciariam.* Ille enim non habet populum regendi veram potestatem, qui nequit lites ortas componere ; nec justa est coercitio nisi certum et probatum sit crimen, quæ probatio plerumque nonnisi per judicium proprie dictum haberi potest. — *Cf. Bouix, De judiciis, tom. 1, pag. 29, sq.*

185. **II. Ex perpetua Ecclesiæ praxi.**

Nam *jus canonicum,* a primordiis Ecclesiæ ad nos

usque conflatum, magna ex parte respicit *judicia ecclesiastica* recte ordinanda. — Atqui, Ecclesia circa objectum et extensionem suæ potestatis est *infallibilis*, ita ut jus alienum uti proprium usurpare non possit.

186. **III. Ratione theologica.**

Christus Ecclesiam suam instituit in *societatem perfectam*, quæ ideo jure polleat exigendi a suis quidquid est necessarium ad finis consecutionem. — *Cf. n. 18 et 19.*

Atqui, pro humani intellectus diversitate, perversarumque cupiditatum æstu, in omni societate perfecta, præter potestatem legislativam, qua media ad obtinendum societatis finem apta designantur, necessaria quoque est potestas quæ judicet de vera justaque *mediorum applicatione*, hoc est, tum de *vero sensu legum*, tum de *sociorum actionibus* utrum legibus sint conformes nec ne, ita ut media per potestatem legiferam proposita rite applicentur. — Et hæc potestas, cui omnes parere teneantur, potestas *judiciaria* appellatur. — *Cf. Leonis XIII encycl. Immortale Dei, § Tam ingenti.*

ARTICULUS III

DE OBJECTO JUDICIARIÆ POTESTATIS ECCLESIÆ

187. **I. Causæ spirituales ad forum ecclesiasticum exclusive et proprio jure pertinent.**

Spirituales causæ dicuntur illæ quæ ex *objecto suo* sacræ sunt, seu versantur circa *rem sacram* et *spiritualem*, id est, circa fidem et doctrinam fidei et morum, circa sacramenta, sacramentalia, ritus sacros, vota, juramenta, dies festos, preces sacras, indulgentias, censuras, sacram disciplinam, etc.

Spiritualium etiam causarum nomine veniunt illæ quæ, licet *intrinsece* spirituales non sint, eo quod earum objectum *in se* dumtaxat consideratum sit quid *temporale*, spiritualibus tamen adnectuntur, et, *ratione hujus adnexionis*, spiritualibus adnumerari debent, cujusmodi sunt, ex gr., causæ circa beneficia ecclesiastica, reditus ecclesiasticos, etc.

a) Has omnes suæ jurisdictioni subjacere, Ecclesia, generali sua praxi, disciplina et legislatione declaravit. — *Cf. Cod., c. 1553.* — Porro, Ecclesia in determinando objecto suæ jurisdictionis errare non potest.

b) Præterea, in iis omnibus quæ *finem suum proprium* spectant, Ecclesia omnino *independens* est a qualibet alia societate. — Atqui, potestas Ecclesiæ judiciaria, dum in causis spiritualibus se explicat, media usurpat quæ proprie finem suum respiciunt. — Ergo hujusmodi causæ *exclusive* jurisdictioni ecclesiasticæ subjiciuntur.

Ideo, Imperatorem alloquens : « Tibi Deus, aiebat *Osius Cordubensis*, imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit ». — *Cf. Syllab.*, § *5 et 6.*

Jura igitur Ecclesiæ invaderet civilis Auctoritas, sacros ministros puniendo ob indebitam denegationem sacramentorum, vel ob pravum sacri ministerii exercitium.

c) Igitur Ecclesia jure proprio et exclusivo item cognoscit « de violatione legum ecclesiasticarum, deque omnibus in quibus inest *ratio peccati*, quod attinet ad *culpæ* definitionem et *pœnarum* ecclesiasticarum irrogationem ». — *Cod., c. 1553,* § *1, n. 2.*

188. **II. Res mixtæ, seu mixti fori, vocantur :**

a) Quæ nec ad ecclesiasticas nec ad civiles absolute possunt referri, sed tales sunt ut, *partim* ad unam, *partim* ad alteram potestatem, *pro diversa ratione,* referantur. — Pro his regula est : utramque curare quod suum est.

Hujus generis sunt, ex. gr., *causæ matrimoniales*, prout *substantiam* vinculi conjugalis attingunt, vel solummodo *effectus civiles* qui matrimonio connectuntur.

Sub *priori respectu*, matrimonium recensetur inter res *spirituales*, quia est contractus divina institutione ad dignitatem sacramenti sublimatus. — Idcirco concilium Tridentinum definivit causas matrimoniales *ad judices ecclesiasticos* spectare. — *Sess. 24, De sacram. matrim., can. 12.* — *Cf. Syllab.*, § *8*, *passim.*

Sub *altero* autem *respectu*, matrimonium est res *temporalis ;* quapropter judicis sæcularis est lites exortas dirimere quæ super dote, donatione propter nuptias, hæreditaria successione et similibus moventur.

b) Res *mixti fori* quoque dicuntur quæ, vel ex privilegio, vel expressa tacitave alterius potestatis concessione, vel diuturna consuetudine, utrique potestati *communes* evaserunt, ita ut detur locus *præventioni*, scilicet alterutri liceat priori loco negotium occupare. — *Cf. Cod., c. 1553, § 2.*

c) Exorto *dubio* de competentia, res amico fœdere componitur ; secus, summo jure prævalens auctoritas Ecclesiæ supremum ferre debet de controversia judicium.

d) Actor qui causas mixti fori ad judicem *ecclesiasticum* deductas ad forum *sæculare* judicandas defert « congruis pœnis puniri potest, et privatur jure contra eamdem personam de eadem re et de connexis causam agendi in foro ecclesiastico ». — *Cod., c. 1554.*

189. **III. Causæ temporales clericorum,** sive civiles, sive criminales, ad forum ecclesiasticum spectant, vi *immunitatis*, ut aiunt, *personalis*, seu *privilegii fori*.

Equidem clerici, *qua cives*, debent legibus civilibus obtemperare quæ non repugnant sacris canonibus et officio clericali ; sed, si contra eas *deliquerint*, debent in foro ecclesiastico conveniri, et, non a laico, sed a Superiore ecclesiastico judicari et puniri. — *Cf. n. 441.*

a) Certum est *Ecclesiam semper sibi vindicasse* judiciariam potestatem in causas clericorum civiles et criminales, ut constat ex Conciliorum et Romanorum Pontificum decretis, et praxi Ecclesiæ.

Concilium Lateranense V, sess. 9, declarat : « a jure, tam divino quam humano, laicis potestatem nullam in ecclesiasticas personas attributam esse ».

Et *Concilium Tridentinum* hortatur Principes ne sinant violari « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam ». — *Sess. 25, cap. 20, De reform.*

Ideo *Pius IX* sequentem propositionem damnavit : « Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Sede Apostolica ». — *Syll., err. 31.* — *Cf. can. 1553, § 1, n° 3.*

b) Ex citatis Conciliorum decretis apparet immunitatem hanc clericorum a foro civili, quæ ipso *jure naturali*

suadetur, quoad substantiam institui *jure divino*, et *jure ecclesiastico* in ultima specie determinari.

Non igitur immerito Pius IX sequentem propositionem damnavit : « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit ». — *Syll., err. 30.*

c) Hoc fori privilegium ita adhæret personis clericorum ut eo, *ne volentes* quidem, ipsi *abdicare* se possint.

Quod sapientissime constitutum est, ut ordinis dignitati consuleretur. — Non enim peculiare privilegium est quod *privatam* attingit personam unius alteriusve clerici, sed ad commodum decusque pertinet *ordinis ecclesiastici universi*. — *Cf. n. 107.*

d) Ob urgentes circumstantias, ob specialem conditionem locorum et temporum, potest Romanus Pontifex, vel *tolerare*, vel etiam *permittere* ut causæ clericorum a laicis personis, *quibusdam in locis* et *certis sub conditionibus*, cognoscantur et definiantur. — *Cf. n. 441.*

Quæ permissio, si de christianis personis sermo sit, considerari potest ceu *species delegationis ecclesiasticæ* quæ, ex Privilegio Pontificis, etiam a laicis potest exerceri. — *Santi in tit. De foro competenti, n. 30.*

CAPUT IX

DE COACTIVA ECCLESIÆ POTESTATE

Ubi : de natura delicti ejusque imputabilitate ; — de natura pœnarum, earumque divisione ; — de Superiore potestatem coactivam habente ; — de subjecto coactivæ potestati obnoxio ; — et de pœnarum remissione.

ARTICULUS I

DE NATURA DELICTI EJUSQUE IMPUTABILITATE

190. **I. Nomine delicti, jure ecclesiastico, intelligitur** « externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica, saltem indeterminata ». — *Cod., c. 2195.*

a) « Delictum quod unice lædit *Ecclesiæ legem*, natura sua, *sola ecclesiastica auctoritas* persequitur, requisito interdum, ubi eadem auctoritas necessarium vel opportunum judicaverit, auxilio brachii sæcularis ;

» Delictum quod unice lædit *legem societatis civilis*, jure proprio, salvo præscripto can. 120 (de fori privilegio), punit civilis auctoritas, licet etiam Ecclesia sit in illud competens ratione peccati ;

» Delictum quod lædit *utriusque societatis* legem, ab utraque potestate puniri potest. » — *Cod., c. 2198.*

b) « *Qualitas* delicti desumenda est ex objecto legis ; *quantitas* vero dimetienda, non solum ex diversa gravitate legis læsæ, sed etiam ex majore minoreve imputabilitate aut damno illato. » — *Cod., c. 2196.*

c) « Nisi ex adjunctis aliud appareat, quæ dicuntur de delictis applicantur etiam violationibus *præcepti* cui pœnalis sanctio adnexa sit. » — *Cod., c. 2195, § 2.*

191. **II. Delictum est :**

a) « *Publicum*, si jam divulgatum est, aut talibus

contigit seu versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri ;

b) » *Notorium notorietate juris*, post sententiam judicis competentis quæ in rem judicatam transierit, aut post confessionem delinquentis in judicio factam ;

c) » *Notorium notorietate facti*, si publice notum sit, et in talibus adjunctis commissum ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit ;

d) » *Occultum*, quod non est publicum ; *occultum materialiter*, si lateat delictum ipsum ; *occultum formaliter*, si ejusdem imputabilitas ». — *Cod., c. 2197.*

192. **III. Imputabilitas delicti pendet** « ex *dolo* delinquentis vel ex ejusdem *culpa* in ignorantia legis violatæ aut in omissione debitæ diligentiæ ;

» Quare omnes causæ quæ *augent, minuunt, tollunt* dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem. » — *Cod., c. 2199.*

a) Dolus heic est « *deliberata* voluntas violandi legem ; eique opponitur, ex parte *intellectus*, defectus cognitionis et, ex parte *voluntatis*, defectus libertatis ». — *Cod., can. 2200, § 1.*

b) « Posita externa legis violatione, dolus in *foro externo* præsumitur donec contrarium probetur. » — *Cod., ibid., § 2.*

193. **IV. Ex dictis sequentia colliguntur :**

a) Delicti sunt *incapaces* « qui actu carent usu rationis ». — *Cod., c. 2201, § 1.*

Item « habitualiter *amentes*, licet quandoque lucida intervalla habeant, vel in certis quibusdam ratiocinationibus vel actibus sani videantur, delicti tamen incapaces præsumuntur ». — *Ibid., § 2.*

b) Delictum in *ebrietate voluntaria* commissum « aliqua imputabilitate non vacat ; sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum *quæsita* sit ;

» Violata autem lege in *ebrietate involuntaria*, imputabilitas exsulat omnino si ebrietas usum rationis adimat ex toto ; minuitur, si ex parte tantum.

» Idem dicatur de aliis similibus mentis perturbationibus. » — *Ibid.*, § *3.*

c) *Debilitas mentis* « delicti imputabilitatem minuit, sed non tollit omnino ». — *Ibid.*, § *4.*

d) *Minor ætas*, nisi aliud constet, « minuit delicti imputabilitatem, eoque magis quo ad infantiam propius accedit ». — *Cod.*, *c. 2204.*

e) Causa *legitimæ tutelæ* contra injustum aggressorem, « si debitum servetur moderamen, delictum omnino aufert ; secus imputabilitatem tantummodo minuit, sicut etiam causa provocationis ». — *Cod.*, *c. 2205*, § *4.*

f) *Vis physica* « quæ omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit ». — *Ibid.*, § *1.*

194. **V. Violatio legis ignoratæ :**

a) « Nullatenus imputatur si ignorantia fuerit *inculpabilis ;* secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiæ ipsius culpabilitate ». — *Cod.*, *2202*, § *1.*

b) « Ignorantia *solius pœnæ* imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit. » — *Ibid.*, § *2.*

c) « Quæ de ignorantia statuuntur, valent quoque de inadvertentia et errore. » — *Ibid.*, § *3.*

195. **VI. Si quis legem violaverit ex omissione debitæ diligentiæ,** « imputabilitas minuitur pro modo a prudenti judice ex adjunctis determinando ;

a) » Quod si rem *prævideril*, et nihilominus cautiones ad eam evitandam omiserit quas diligens quivis adhibuisset, culpa est proxima dolo ». — *Cod.*, *c. 2203*, § *1.*

b) Casus autem *fortuitus* qui prævideri, vel cui prævisо occurri nequit, « a qualibet imputabilitate eximit ». — *Ibid.*, § *2.*

196. **VII. Metus gravis, etiam relative tantum, necessitas, imo et grave incommodum :**

a) « Plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, *penitus* tollunt.

b) » Si vero actus sit intrinsece malus, aut vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticæ auctoritatis, vel in animarum damnum, causæ, de quibus supra delicti imputabilitatem *minuunt* quidem, sed non auferunt. » — *Cod., can. 2205, § 2 et 3.*

197. **VIII. Passio,** « si fuerit voluntarie et *deliberate* excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget ;

» Secus eam *minuit* plus minusve pro diverso passionis æstu ;

» Et omnino *tollit* si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum præcedat et impediat ». — *Codicis can. 2206.*

198. **IX. Præter alia adjuncta aggravantia, delictum augetur :**

a) « Pro majore *dignitate* personæ quæ delictum committit, aut quæ delicto offenditur ;

b) » Ex *abusu auctoritatis* vel officii ad delictum patrandum ». — *Cod., c. 2207.*

c) Item « qui *pluries deliquerit,* etiam diverso in genere, suam auget culpabilitatem ». — *Cod., c. 2208, § 2.*

d) *Recidivus,* sensu juris pœnalis, est « qui, post condemnationem, rursus committit delictum *ejusdem generis,* et in talibus rerum ac præsertim temporis adjunctis, ut ejusdem *pertinacia* in mala voluntate prudenter conjici possit ». — *Ibid., § 1.*

199. **X. Quod ad cooperationem attinet :**

a) « Qui communi delinquendi consilio *simul physice concurrunt* in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adjuncta alicujus culpabilitatem augeant vel minuant.

b) » In delicto quod sua natura *complicem postulat,* unaquæque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adjunctis aliud appareat.

c) » Non solum *mandans,* qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem *indu-*

cunt vel in hanc quoquo modo *concurrunt*, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset.

d) » Si vero eorum concursus *facilius* tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert.

e) » Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna *retractatione* abduxerit *plene*, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi exsecutor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit ;

» Si non abduxerit plene, retractatio *minuit*, sed non aufert culpabilitatem.

» Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium *negligendo*, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum.

f) » Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio, aliive actus delictum jam *plene absolutum* subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe pœna in lege plectantur ;

» Sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem. » — *Can. 2209.*

200. **XI. Delicti conatum committit** « quicumque actus posuerit vel prætermiserit qui ad exsecutionem delicti natura sua *conducunt*, sed delictum *non consummaverit*, sive quia consilium suum deseruit, sive quia delictum propter insufficientiam vel ineptitudinem mediorum perficere non potuit ». — *Cod., c. 2212,* § *1.*

a) « Cum omnes actus positi vel omissi sunt qui ad exsecutionem delicti natura sua conducunt et ad delictum perficiendum sufficiunt, si ex alia causa, præter voluntatem agentis, effectum sortiti non sint, delicti conatus dicitur proprio nomine delictum *frustratum.* » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Conatui delicti accedit actio illius qui alium ad delictum committendum inducere studuerit, sed inefficaciter. » — *Ibid.,* § *3.*

c) « Si conatus delicti *peculiari pœna* in lege mulctetur, verum constituit delictum. » — *Ibid.*, § *4.*

201. **XII. Delicti conatus suam habet imputabilitatem,** « eo majorem quo magis ad consummationem accedit, quanquam minorem præ delicto consummato ». — *Cod., can. 2213,* § *1.*

a) Delictum *frustratum* « magis culpabile est quam simplex delicti conatus ». — *Ibid.*, § *2.*

b) « Ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab *incepta* delicti exsecutione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit. » — *Ibid.*, § *3.*

c) Delictum frustratum aut conatus delicti, « nisi tanquam distincta delicta lege plectantur, possunt *congrua pœna* pro gravitate puniri ». — *Cod., c. 2235.*

202. **XIII. Ex delicto oritur :**

a) « Actio *pœnalis* ad pœnam declarandam vel infligendam, et ad satisfactionem petendam ;

b) » Actio *civilis* ad reparanda damna, si cui delictum damnum intulerit ». — *Cod., c. 2210.*

Porro, omnes qui in delictum concurrunt, « obligatione tenentur *in solidum* expensas et damna resarciendi quæ ex delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a judice pro rata damnati ». — *Cod., can. 2211.*

ARTICULUS II

DE NATURA PŒNARUM EARUMQUE DIVISIONE

203. **I. Pœna ecclesiastica est** « privatio alicujus boni, ad delinquentis *correctionem* et delicti *punitionem*, a legitima auctoritate inflicta ». — *Cod., c. 2215.*

a) Ideo pœnæ ecclesiasticæ, ratione *finis proximi*, dividuntur in *medicinales* et *vindicativas*, prout habent, pro *immediato* et *proximo fine*, vel delinquentis emendationem, vel animadversionem in reum ut satisfactio detur ordini publico et homines timore castigationis a violandis legibus deterreantur.

In Ecclesia, delinquentes plectuntur quoque « remediis pœnalibus et pœnitentiis ». — *Cod., c. 2216.*

b) Ratione *modi quo incurritur,* pœna dicitur « *latæ sententiæ,* si pœna *determinata* ita sit addita legi vel præcepto ut contrahatur ipso facto commissi delicti ; *ferendæ sententiæ,* si ab ipso judice vel Superiore infligi debeat ». — *Cod., c. 2217.*

204. **II. Pœna latæ sententiæ,** sive medicinalis sive vindicativa, « delinquentem qui delicti sibi sit conscius, *ipso facto* in utroque foro tenet ». — *Cod., c. 2232, § 1.*

a) Ante sententiam tamen *declaratoriam,* « a pœna observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine *infamia* nequit ;

» Et, in *foro externo,* ab eo ejusdem pœnæ observantiam exigere nemo potest nisi delictum sit notorium ». — *Cod., ibid.*

b) Sententia declaratoria « pœnam *retrotrahit* ad momentum commissi delicti ». — *Ibid., § 2.*

c) Pœnam latæ sententiæ declarare « generatim committitur prudentiæ Superioris ; sed, sive *ad instantiam partis* cujus interest, sive *bono communi* ita exigente, sententia declaratoria dari debet ». — *Cod., c. 2223, § 4.*

205. **III. Pœna ferendæ sententiæ,** quæ etiam *comminatoria* vocatur, non contrahitur statim a peccato commisso, sed accedente tantum sententia judicis *condemnatoria.*

a) Qualis autem sit pœna, an scilicet *latæ,* an vero *ferendæ sententiæ,* pendet a voluntate infligentis, ideoque ex ejus verbis debet dignosci.

b) « Pœna intelligitur semper *ferendæ sententiæ* nisi in lege *expresse* dicatur eam esse *latæ sententiæ,* vel *ipso facto* seu *ipso jure* contrahi, vel nisi alia similia verba adhibeantur. » — *Cod., c. 2217, § 2.* — *Cf. Reg. 30 et 49 juris in 6°.*

206. **IV. Ratione modi quo pœnæ statuuntur,** aliæ dicuntur *a jure* latæ, aliæ vero *ab homine.*

a) *A jure*, « si pœna determinata in *ipsa lege* statuatur, sive latæ sententiæ sit, sive ferendæ » ;

b) *Ab homine*, « si feratur per modum *præcepti peculiaris*, vel per *sententiam judicialem* condemnatoriam, etsi in jure statuta ». — *Cod., c. 2217, § 1, n. 3.*

Quare pœna *ferendæ sententiæ*, legi addita, « ante sententiam condemnatoriam est *a jure tantum*, postea *a jure* simul et *ab homine*, sed consideratur tanquam *ab homine* ». — *Ibid.*

207. **V. Ratione objecti,** pœnæ dividuntur in *spirituales* et *temporales* ; quæ *determinatæ* sunt vel *indeterminatæ*.

a) *Spirituales* sunt illæ quæ privant participatione sacrorum, ut Sacramentis, officiis divinis, suffragiis Ecclesiæ, exercitio sacrorum Ordinum ; item inhabilitates ad officia et beneficia, eorumdemque privatio ; depositio, degradatio, etc.

b) Pœnæ *temporales* sunt, ex. g., mulctæ pecuniariæ, afflictationes corporales, incarceratio, etc.

c) Pœna dicitur *determinata* « si in ipsa lege vel præcepto taxative statuta sit ; *indeterminata*, si prudenti arbitrio judicis ecclesiastici relicta sit, sive præceptivis sive facultativis verbis ». — *Cod., c. 2217, § 1.*

ARTICULUS III

DE SUPERIORE COACTIVAM POTESTATEM HABENTE

208. **I. « Nativum et proprium Ecclesiæ jus est,** independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos pœnis tum *spiritualibus* tum *temporalibus*. » — *Cod., c. 2214, § 1.*

a) Equidem Ecclesia jure divino potestatem habet *leges* ferendi et *judicandi*. Porro, potestas judiciaria, ut sit *efficax*, comitem habere debet *vim coactivam*, qua debitis pœnis plectantur et coerceantur omnes illi qui malitiosi sunt vel contumaces, ut media proposita per leges rite adhibeant, sententiis judicum obtemperent, nec possint societatis finem aut mediorum œconomiam

quoad alios impedire. — *Cf. Matth.*, xviii, *15* ; — *I Tim.*, v, *19* ; — *II Cor.*, x, *6* ; — *I Cor.*, v, *5* ; — *I Tim.*, i, *20* ; *etc.* — *Cf. Leonis XIII enc. Immortale Dei* ; — *et Syllab.*, *num. 24.*

b) Et coercere potest pœnis etiam *temporalibus*. Nam pœnæ spirituales *parum movere* solent homines carnales, quia, licet revera graviores sint, earum nocumentum non ita sensibiliter percipitur, isti autem vulgares homines maxime sensu ducuntur et coguntur. Et hoc præcipue locum habet respectu *hæreticorum* qui, cum fidem abjecerint, quasi nihil reputant hujusmodi pœnas. — *Cf. Suarez, De Fide, disput. 20, sect. 3, n. 11.*

c) Jus *gladii* utrum sit Ecclesiæ abjudicandum, disputant Auctores. — *Cf. Cavagnis, Inst. jur. publ., n. 307, sq. ; et Tarquini, Instit. jur. publ., lib. 1, n. 46.*

Ad factum quod attinet, nullo tempore reperitur Ecclesia sententiam mortis aut membrorum mutilationis *per seipsam* proferens aut exsequens, ex quo adagium in jure receptum est : « *Ecclesia abhorret a sanguine* ». Id expresse judicibus ecclesiasticis *interdixit*, voluitque ut, si clericus flagitium morte dignum patraverit, debeat a judice ecclesiastico degradari, et postea *sæculari brachio tradi*, ut per laicam potestatem debita ipsi sanguinis pœna infligatur. — *Cf. cap. 9, Ne clerici vel monachi.*

209. **II. Qui pollent potestate leges ferendi vel præcepta imponendi** « possunt quoque legi vel præcepto pœnas adnectere ». — *Cod., c. 2220, § 1.*

Imo, *legislativam* habentes potestatem « possunt, intra limites suæ jurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam, ob peculiaria rerum adjuncta, legem tam divinam quam ecclesiasticam *a Superiore potestate latam*, in territorio vigentem, congrua pœna munire, aut pœnam lege statutam aggravare ». — *Cod. can. 2221.*

210. **III. Qui judicialem tantum potestatem habent** « possunt solummodo pœnas legitime statutas, ad normam juris *applicare* ». — *Cod., c. 2220, § 1.*

Vicarius generalis ex ipso suo munere judicialem potes-

tatem non habet ; ideoque, nisi ob peculiares rationes, de quibus in can. 1573, § 1, constitutus quoque sit *Officialis*, non potest absque speciali mandato pœnas infligere. — *Ibid.*, § *2.*

211. **IV. In pœnis applicandis :**

a) « Judex nequit pœnam determinatam *augere*, nisi extraordinaria adjuncta aggravantia id exigant. » — *Cod., can. 2223*, § *1.*

b) Si lex in statuenda pœna ferendæ sententiæ *facultativis verbis* utatur, « committitur prudentiæ et conscientiæ judicis eam infligere, vel, si pœna fuerit determinata, temperare ». — *Ibid.*, § *2.*

c) Si vero utatur *verbis præceptivis*, « ordinarie pœna infligenda est ; sed conscientiæ et prudentiæ judicis vel Superioris committitur :

1° » Pœnæ applicationem *ad tempus* magis opportunum *differre*, si ex præpropera rei punitione majora mala eventura prævideantur ;

2° » A pœna infligenda *abstinere*, si reus fuerit perfecte emendatus et scandalum reparaverit, aut sufficienter punitus sit, vel puniendus prævideatur pœnis auctoritate civili sancitis ;

3° » Pœnam determinatam *temperare*, vel loco ipsius aliquod remedium pœnale adhibere, aut aliquam pœnitentiam injungere, si detur circumstantia imputabilitatem notabiliter minuens, vel habeatur quidem rei emendatio aut inflicta a civili auctoritate castigatio, sed judex vel Superior opportunam præterea ducat mitiorem aliquam punitionem ». — *Ibid.*, § *3.*

d) Si pœna declaretur vel infligatur per *sententiam judicialem*, « serventur canonum præscripta circa sententiæ judicialis pronuntiationem.

» Si vero pœna latæ vel ferendæ sententiæ inflicta sit ad modum *præcepti particularis*, scripto aut coram duobus testibus ordinarie declaretur vel irrogetur, indicatis pœnæ causis, salvo præscripto can. 2193 » de suspensione ex informata conscientia. — *Cod., c. 2225.* — *Cf. n. 274.*

212. **V. Nisi prius monitus fuerit cum comminatione pœnæ latæ vel ferendæ sententiæ in casu transgressionis,** et nihilominus legem violaverit, reus puniri nequit. — *Cod., c. 2222, § 1.* — Attamen :

a) « Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus Superior potest illius transgressionem, etiam sine prævia pœnæ comminatione, aliqua justa pœna punire si *scandalum* forte datum aut specialis transgressionis *gravitas* id ferat. » — *Ibid.*

b) Pariter idem legitimus Superior, licet *probabile* tantum sit delictum fuisse commissum, aut delicti certe commissi pœnalis actio *præscripta* sit, « non solum jus, sed etiam officium habet non promovendi clericum de cujus idoneitate non constat, et, *ad scandalum evitandum*, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii, aut etiam eundem ab officio, ad normam juris, amovendi ; quæ omnia in casu non habent rationem pœnæ ». — *Cod., can. 2222, § 2.*

213. **VI.** « **Ordinarie tot pœnæ quot delicta.** » — *Cod., can. 2224, § 1.*

a) Si tamen, propter numerum delictorum, *nimius* esset pœnarum infligendarum cumulus, prudenti judicis arbitrio relinquitur « aut pœnam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua pœnitentia vel remedio pœnali, aut pœnas intra æquos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum ». — *Ibid., § 2.*

b) Si pœna constituta sit tum in *conatum* delicti tum in delictum *consummatum*, « hoc admisso, infligi tantum debet pœna in consummatum delictum statuta ». — *Ibid., § 3.*

ARTICULUS IV

DE SUBJECTO COACTIVÆ POTESTATI OBNOXIO

214. **I. Pœnæ adnexæ legi aut præcepto obnoxius est** « qui lege aut præcepto tenetur, nisi expresse eximatur ». — *Cod., c. 2226, § 1.*

a) Licet lex pœnalis posterior obroget anteriori, « si tamen delictum, quando lex posterior lata est, *jam commissum* erat, applicanda est lex reo favorabilior ». — *Ibid.*, § *2.*

b) Quod si lex posterior *tollat* legem vel pœnam tantum, « hæc statim cessat, nisi agatur de censuris jam contractis ». — *Ibid.*, § *3.*

c) « Pœna reum *ubique terrarum* tenet, etiam resoluto jure Superioris, nisi aliud expresse caveatur. » — *Ibid.*, § *4.*

215. **II. Licet omnes subsint legi communi,**

a) Pœna nonnisi a Romano Pontifice *infligi* aut *declarari* potest « in Patres Cardinales, Legatos Sedis Apostolicæ, et in Episcopos, etiam titulares ». — *Cod., can. 2227,* § *1.*

b) « Nisi expresse nominentur, *S. R. E. Cardinales* sub lege pœnali non comprehenduntur, nec *Episcopi* sub pœnis latæ sententiæ suspensionis et interdicti. » — *Ibid.*, § *2.*

216. **III. Ut pœna canonica infligi possit,** requiritur justa causa, *delictum* nempe :

a) *Externum ;* — nam Ecclesia non judicat de internis nisi in foro pœnitentiali.

Omissio actus externi a lege præscripti, habetur ut opus externum, et pœnis subjacet. — *Cap. Quantæ, 47, De sent. excommunicationis.*

Posset Ecclesia actum externum, aliunde in se malum, pœnis plectere sub conditione solius malitiæ quæ *ab interno* procederet. Ex. gr., posset ferri excommunicatio, vel alia pœna, in eos tantum qui *scienter*, aut *temere*, aut ex *præsumptione* aliquid egerint.

Ratio est quia, cum actus sit *aliunde malus*, ac merito possit pœnis plecti, nulla injustitia est quod non puniatur nisi sit certis conditionibus vestitus. — *Cf. n. 220, b.*

b) *Proprium, saltem aliquo modo ;* — quia « non debet aliquis alterius odio prægravari ». — *Reg. 22 juris in 6°.*

1° Diximus « *saltem aliquo modo* » — Nam, propter crimen a majori parte *communitatis*, vel a capite ipsius commissum, tota

communitas potest subjici interdicto, vel suis privilegiis spoliari. Et sic etiam innocentes puniuntur, sed *non immerito*, etenim delictum communitatis omnibus membris proprium esse censetur.

2° Imo, aliquando etiam *propter alterius delictum* certi actus pœna nullitatis, in detrimentum innocentis, plectuntur. Ex. gr. promotio ad *beneficium* per alterius *simoniam* merito fit irrita, non quidem in punitionem promoti, cum sit innocens, sed in odium horrendi criminis simoniæ, quod alioquin non satis efficaciter comprimeretur. — *Cf. n. 1391, e.*

Ex his intelligitur sensus regulæ 23 juris, in 6° : « Sine culpa, *nisi subsit causa*, non est aliquis puniendus ».

c) « In suo genere *perfectum*, secundum proprietatem verborum legis. » — *Cod., c. 2228.*

Nam leges pœnales sunt stricte interpretandæ, juxta regulam 15 juris in 6° : « *Odia restringi ... convenit* ». Scilicet requiritur, ad pœnam incurrendam, ut *completus* sit ille *effectus* quem legislator *intendit* sub pœna prohibere. — Unde :

1° Si verba diligenter inspecta significant prohiberi *ultimum effectum*, ex. gr. homicidium, pœna non incurritur nisi effectu illo ultimo secuto, scilicet morte.

2° Quando vero sub censura prohibetur principaliter *ipsa actio* vel *conatus :* tunc, ea posita, statim incurritur pœna, etiam effectu non secuto.

3° Pœna non afficit *mandantes*, *consulentes*, etc., nisi lex aut præceptum *expresse* vel *tacite* eos comprehendat.

Si vero pœna fuerit expresse contra eos lata : ex probabiliori sententia, pœnam non incurrunt si mandatum vel consilium *revocaverint* ante exsecutionem. — Excipe tamen si pœna infligatur præcise *propter mandatum* vel *consilium.*

217. **IV. In pœnis decernendis « servetur æqua proportio cum delicto,** habita ratione *imputabilitatis, scandali* et *damni.*

a) » Quare *attendi debent,* non modo objectum et gravitas legis, sed etiam ætas, scientia, institutio, sexus, conditio, status mentis delinquentis, dignitas personæ quæ delicto offenditur aut quæ delictum committit, finis intentus, locus et tempus quo delictum commissum est, num ex passionis impetu vel ob gravem metum delinquens egerit, num eum delicti pœnituerit, ejusdem

que malos effectus evitare ipse studuerit, aliaque similia. » — *Cod., c. 2218, § 1.*

b) Non solum quæ ob *omni imputabilitate* excusant, sed etiam quæ a *gravi,* « excusant pariter a qualibet pœna, tum latæ tum ferendæ sententiæ, etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur ». — *Ibid., § 2.*

c) Qui *plura delicta* commisit, « non modo gravius puniri, sed, si prudenti judicis arbitrio res id ferat, subjici etiam debet vigilantiæ vel alii remedio pœnali ». — *Cod., c. 2234.*

218. **V. Nulla pœna infligi potest « nisi certo constet delictum commissum fuisse** et non esse legitime præscriptum ». — *Cod., c. 2233, § 1.*

Licet id legitime constet, si agatur de infligenda *censura,* « reus reprehendatur ac *moneatur* ut a contumacia recedat *(cf. n. 226),* dato, si prudenti ejusdem judicis vel Superioris arbitrio casus id ferat, congruo ad resipiscentiam tempore ;

» Contumacia persistente, censura infligi potest ». — *Ibid., § 2.*

219. **VI. Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint,** licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus supra *(cf. n. 199)* « tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem pœna ;

» Ceteri vero non item, sed *alia justa pœna,* pro prudenti Superioris arbitrio, puniendi sunt, nisi lex peculiarem pœnam in ipsos constituat ». — *Cod., c. 2231.*

220. **VII. Ob defectum cognitionis vel deliberationis :**

a) « A nullis latæ sententiæ pœnis » ignorantia *affectata* sive legis sive solius pœnæ excusat, licet lex verba de quibus infra contineat. — *Cod., c. 2229, § 1.*

b) Si lex habeat verba : *præsumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit,* aliave similia quæ plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, « quælibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intel-

lectus sive ex parte voluntatis, eximit a pœnis latæ sententiæ ». — *Ibid.*, § *2*.

c) Si lex verba illa non habeat :

1° « Ignorantia legis aut etiam solius pœnæ, si fuerit *crassa* vel *supina*, a nulla pœna latæ sententiæ eximit ; si non fuerit crassa vel supina, excusat a *medicinalibus*, non autem a *vindicativis* latæ sententiæ pœnis ;

2° » Ebrietas, omissio debitæ diligentiæ, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis deminutione, actio sit adhuc *graviter culpabilis*, a pœnis latæ sententiæ non excusant ;

3° » *Metus gravis*, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticæ auctoritatis vel in publicum animarum damnum, a pœnis latæ sententiæ nullatenus eximit ». — *Ibid.*, § *3*.

d) Verumtamen, « licet reus censuris latæ sententiæ ad normam § 3, n. 1 non teneatur, id tamen non impedit quominus, si res ferat, *congrua alia pœna* vel pœnitentia affici queat ». — *Ibid.*, § *4*.

221. **VIII. Impuberes** « excusantur a pœnis latæ sententiæ, et potius punitionibus *educativis* quam censuris aliisve pœnis gravioribus vindicativis corrigantur.

» Puberes vero qui eos ad legem violandam *induxerint*, vel cum eis in delictum *concurrerint*, ipsi quidem pœnam lege statutam incurrunt ». — *Cod., c. 2230.*

ARTICULUS V

DE PŒNARUM REMISSIONE

222. **I.** « **Ab eo tantum qui pœnam tulit, vel ab ejus competente Superiore aut successore,** vel ab eo cui hæc potestas *commissa* est », concedi potest remissio pœnæ : sive per *absolutionem* si agatur de censuris, sive per *dispensationem* si de pœnis vindicativis. — *Cod., c. 2236,* § *1.*

a) Qui potest a lege *eximere* « potest quoque pœnam legi adnexam remittere ». — *Ibid.*, § *2*.

b) Judex qui ex officio applicat pœnam a Superiore constitutam, « eam *semel applicatam* remittere nequit ». — *Ibid.*, § *3.*

c) Pœnæ remissio *vi* aut *metu gravi* extorta « ipso jure irrita est ». — *Cod., c. 2238.*

223. **II. Pœnas latæ sententiæ jure communi statutas remittere potest Ordinarius :**

a) In casibus *publicis*, « exceptis : 1° casibus ad forum contentiosum deductis ; 2° censuris Sedi Apostolicæ reservatis ; 3° pœnis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuæ, infamiæ juris, privationis juris patronatus et privilegii seu gratiæ a Sede Apostolica concessæ ». — *Cod., c. 2237,* § *1.*

b) In casibus vero *occultis*, idem Ordinarius, per se vel per alium, potest easdem remittere, exceptis tantum censuris *specialissimo* vel *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservatis, firmo præscripto can. 2254 et 2290 de casibus urgentioribus *(cf. n. 263 et 268).* — *Ibid.*, § *2.*

224. **III. Quod ad modum remissionis attinet :**

a) « Pœna valide remitti potest *præsenti* vel *absenti*, *absolute* vel *sub conditione*, in foro *externo* vel *interno* tantum. » — *Cod., c. 2239,* § *1.*

b) « Licet pœna etiam *oretenus* remitti possit, si tamen scripto inflicta fuerit, expedit ut etiam ejus remissio *scriptis* concedatur. » — *Ibid.*, § *2.*

CAPUT X

DE VARIIS PŒNARUM GENERIBUS

Ubi : de pœnis medicinalibus seu de censuris ; — de pœnis vindicativis ; — de suspensione infligenda ex informata conscientia ; — de remediis pœnalibus et pœnitentiis.

ARTICULUS I

DE CENSURIS IN GENERE

225. **I. Censura est :** pœna *medicinalis* « qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur ». — *Cod., c. 2241,* § *1.* — Dicitur :

a) « *Pœna medicinalis* » — quia finis *primarius* censurarum est emendatio peccatorum. — *Cap. 1, De sententia excommunicationis, in 6°.*

Attamen, etsi de correctione delinquentis desperetur, potest censura, quatenus rationem *pœnæ vindicativæ* habet, ferri tum in ultionem delicti, tum ne pravorum communicatione ceteri inficiantur : quia, cessante correctionis fine, non cessant eo ipso alii fines. — *Salmantic., De censuris, cap. 1, num. 10.*

b) « *Homo baptizatus* » — Qui enim salutaris Baptismatis lavacro non est ablutus, *extra Ecclesiam* manet, ideoque ejus potestati non est obnoxius.

c) « *Delinquens* » — nam, cum censura sit *pœna,* ea punitur tantummodo *delictum,* et quidem « externum grave, consummatum ». — *Cod., c. 2242,* § *1.* — *Cf. n. 216.*

« Potest autem ferri censura etiam in delinquentes *ignotos.* » — *Cod., loc. cit.*

Ideo censura differt ab *irregularitate* quæ primario habet rationem *impedimenti* ad Ordines suscipiendos, et contrahi potest *absque ulla culpa,* ob aliquem animi vel corporis defectum.

d) « *Et contumax* » — id est monitionibus Ecclesiæ non obtemperans, quia censura est pœna *medicinalis*, requirens prævias monitiones, sive *a judice* sive saltem *a lege* factas.

e) « *Quibusdam bonis spiritualibus, vel spiritualibus adnexis privatur* » — Porro, in canonibus qui sequuntur :

1° Nomine *divinorum officiorum* intelliguntur « functiones potestatis ordinis quæ, de instituto Christi vel Ecclesiæ, ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt » ;

2° Nomine autem *actuum legitimorum ecclesiasticorum* significantur : « munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum ; partes agere judicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris justitiæ et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis ; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis ; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis ; jus patronatus exercere ». — *Cod., c. 2256.*

f) « *Donec a contumacia recedens absolvatur* » — Nam, cum censura sit pœna *medicinalis*, eo ipso est vinculum *dissolubile*, et per absolutionem solvendum statim ac reus emendatus fuerit.

Ideo suspensio et interdictum, si ferantur propter delictum *mere præteritum*, aut infligantur *in perpetuum*, vel *ad tempus determinatum*, non rationem *censuræ* habent, sed *pœnæ vindicativæ* naturam induunt.

226. **II. Contumacia, in subjecta materia,** est *pervicacia* in delictuosa voluntate. — Hinc :

a) Si agatur de censuris *ferendæ sententiæ*, contumax est qui, « non obstantibus *monitionibus* de quibus in can. 2233, § 2 *(cf. n. 218)*, a delicto non desistit, vel patrati delicti pœnitentiam cum debita damnorum et scandali reparatione agere detrectat ». — *Cod., c. 2242, § 2.*

b) Ad incurrendam vero censuram *latæ sententiæ*, « sufficit transgressio legis vel præcepti cui sit adnexa

latæ sententiæ pœna, nisi reus legitima causa ab hac excusetur ». — *Ibid.*

Pro censuris enim *latæ sententiæ*, nulla monitio specialis præmittenda est, quandoquidem *lex ipsa* continuo admonet, et satis contumax est qui legi præcipiendi et admonenti obtemperare recusat. — *Cf. cap. 26, De appellat.*

c) Contumaciam *desiisse* dicendum est « cum reum vere delicti commissi pœnituerit, et simul congruam *satisfactionem* pro damnis et scandalo dederit, aut saltem serio promiserit ». — *Cod., c. 2242, § 3.*

Judicare autem utrum pœnitentia vera sit, satisfactio congrua, aut ejusdem promissio seria necne, « illius est a quo censuræ absolutio petitur ». — *Ibid.*

227. **III. Censuræ aliæ sunt reservatæ, aliæ non reservatæ,** prout Superior earum absolutionem sibi reservavit, vel ordinariis ministris ab iis absolvere permisit.

a) Censura *ab homine* est reservata « ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, ejusve Superiori competenti, vel successori aut delegato ».

b) Ex censuris vero *a jure* reservatis « aliæ sunt reservatæ *Ordinario*, aliæ *Apostolicæ Sedi* ». — *Cod., can. 2245, § 2.*

E reservatis Apostolicæ Sedi, « aliæ sunt reservatæ *simpliciter*, aliæ *speciali modo*, aliæ *specialissimo modo* ». — *Ibid., § 3.*

c) Censura *latæ sententiæ* non est reservata « nisi in lege vel præcepto id expresse dicatur ; et in *dubio*, sive juris sive facti, reservatio non urget ». — *Ibid., § 4.*

d) Absolvere præsumentes *sine debita facultate* ab excommunicatione latæ sententiæ *specialissimo* vel *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservata « incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam ». — *Cod., c. 2338, § 1.*

228. **IV. « Ne reservetur censura nisi attenta peculiari gravitate delictorum** et necessitate aptius providendi disciplinæ ecclesiasticæ et medendi conscientiis fidelium. »

Et « reservatio *strictam* recipit interpretationem ». — *Cod., c. 2246, § 1 et 2.*

a) « Reservatio censuræ impedientis receptionem Sacramentorum importat reservationem *peccati* cui censura adnexa est ;

» Verum si quis a censura excusatur, vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat. » — *Ibid., § 3.*

b) Si censura *Sedi Apostolicæ* reservata sit, « *Ordinarius* nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre ». — *Cod., c. 2247, § 1.*

c) Reservatio censuræ *in particulari territorio* « vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur ;

» Censura vero *ab homine* est ubique locorum reservata, ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit ». — *Ibid., § 2.*

d) Si confessarius, *ignorans reservationem*, pœnitentum a censura ac peccato absolvat, « absolutio censuræ valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicæ reservata ». — *Ibid., § 3.*

229. **V. In eodem subjecto multiplicari possunt censuræ,** non solum diversæ sed etiam ejusdem speciei. — *Cod., c. 2244, § 1.*

a) Censura *latæ sententiæ* multiplicatur :

« 1° Si *diversa delicta*, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur ;

» 2° Si idem delictum, censura punitum, *pluries repetatur* ita ut plura sint delicta distincta ;

» 3° Si delictum, *diversis censuris* a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur ». — *Ibid., § 2.*

b) Censura *ab homine* multiplicatur « si plura præcepta vel plures sententiæ vel plures distinctæ partes ejusdem præcepti aut sententiæ *suam quæque censuram* infligant ». — *Ibid., § 3.*

230. **VI. Appellatio :**

a) A censuris *inflictis* per sententiam *judicialem* in *devolutivo* tantum datur, quia istæ « statim ac latæ fuerint, exsecutionem secumferunt ». — *Cod., c. 2243,* § *1.*

b) Item a censuris ad modum *præcepti* inflictis « datur recursus, sed in *devolutivo* tantum ». — *Ibid.*

c) Appellatio vero vel recursus a sententia *judiciali*, vel præcepto *comminante* censuras etiam latæ sententiæ nondum contractas :

1° « Nec sententiam aut præceptum nec censuras suspendunt si agatur de re in qua *jus non admittit* appellationem vel recursum cum affectu *suspensivo ;*

2° » Secus censuras *suspendunt*, firma tamen *obligatione servandi* id quod sententia aut præcepto *mandatur*, nisi reus appellationem vel recursum interposuerit, non solum a pœna, sed ab ipsa quoque sententia vel præcepto ». — *Ibid.,* § *2.* — *Cf. n. 279.*

ARTICULUS II

IN CENSURIS IN SPECIE

Censuræ sunt : 1° Excommunicatio ; 2° Interdictum ; 3° Suspensio.

« *Excommunicatio* afficere potest tantum personas physicas ; et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint ; — *interdictum* et *suspensio*, etiam communitatem, ut personam moralem ; — *excommunicatio* et *interdictum*, etiam laicos ; — *suspensio*, clericos tantum ; — *interdictum*, etiam locum ;

» *Excommunicatio* est semper censura ; — *interdictum* et *suspensio* possunt esse vel censuræ vel pœnæ vindicativæ, sed in dubio præsumuntur censuræ. » — *Cod., c. 2255.*

Censuræ, præsertim latæ sententientiæ, maxime excommunicatio, « ne infligantur nisi sobrie et magna cum circumspectione ». — *Cod., can. 2241,* § *2.* — *Cf. Trid., XXV, 3, de ref. ;* — *et S. C. S. Offic., 13 jul. 1916 (Acta, VIII, 313).*

§ I. De excommunicatione

231. **I. Excommunicatio est** « censura qua quis *excluditur* a communione fidelium, cum *effectibus* qui in

sequentibus canonibus enumerantur, quique separari nequeunt ». — *Cod., c. 2257, § 1.*

a) « Dicitur quoque *anathema*, præsertim si cum *sollemnitatibus* infligatur quæ in Pontificali Romano describuntur. » — *Ibid., 2.*

b) Hinc patet excommunicationem esse omnium censurarum *gravissimam*, per quam fidelis, non hoc vel illo spirituali bono privatur, sed tanquam putridum membrum ab Ecclesia *abscinditur*, atque a fidelium communione et consortio separatur. — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 10, cap. 1.*

232. **II.** « **Excommunicati alii sunt vitandi, alii tolerati.** » — *Cod., c. 2258, § 1.*

Nemo est *vitandus* « nisi fuerit *nominatim* a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit *publice denuntiata*, et in decreto vel sententia *expresse dicatur* ipsum vitari debere », salvo præscripto de injuria reali in personam Romani Pontificis *(cf. n. 440, a).* — *Cod., can. 2258, § 2.*

233. **III. « Excommunicatus quilibet caret jure assistendi divinis officiis,** non tamen *prædicationi* verbi Dei. » — *Cod., c. 2259, § 1.*

a) « Si *passive* assistat *toleratus*, non est necesse ut expellatur ; si *vitandus*, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo ;

b) » Ab assistentia vero *activa*, quæ aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur, non solum vitandus, sed etiam *quilibet excommunicatus* post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut alioquin notorie excommunicatus. » — *Ibid., § 2.*

c) Et, nisi ante mortem aliqua dederit pœnitentiæ signa, *sepultura ecclesiastica* privatur excommunicatus post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. — *Cf. Cod., c. 1240, § 1, n. 2.*

Etenim « sacris est canonibus institutum ut, quibus non communicavimus vivis, *non communicemus defunctis*, et ut careant ecclesiastica sepultura qui prius erant ab ecclesiastica unitate præ-

cisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint ». — *Cap. 12, De sepulturis.*

234. **IV.** « **Nec potest excommunicatus Sacramenta recipere**; imo, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, nec *Sacramentalia.* » — *Cod., c. 2260, § 1.*

Minister qui ausus fuerit Sacramenta administrare illis qui jure, sive divino sive ecclesiastico, eadem recipere prohibentur, « *suspendatur* ab administrandis Sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum, aliisque pœnis pro gravitate culpæ puniatur, firmis peculiaribus pœnis in aliqua hujus generis delicta jure statutis ». — *Cod., c. 2364.*

235. **V.** « **Prohibetur excommunicatus licite Sacramenta et Sacramentalia conficere et ministrare,** salvis exceptionibus quæ sequuntur. » — *Cod., c. 2261, § 1.*

a) Fideles possunt « ex qualibet justa causa ab excommunicato Sacramenta et Sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint; et tunc excommunicatus *requisitus* potest eadem ministrare, neque ulla tenetur obligatione causam a requirente percontandi ». — *Ibid., § 2.*

b) Sed ab excommunicatis *vitandis*, necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, « fideles in solo *mortis* periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem ad normam can. 882, 2252 *(cf. n. 261)*, tum etiam, si alii desint ministri, cetera Sacramenta et Sacramentalia ». — *Ibid., § 3.*

c) Eadem repetenda sunt de actibus *jurisdictionis*, tam fori externi quam fori interni, positis ab excommunicato. — *Cf. Cod., c. 2264.*

236. **VI. Excommunicatus** « **non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiæ precum** ». — *Cod., c. 2262, § 1.*

Non prohibentur tamen « *fideles* privatim pro eo orare, nec *sacerdotes* Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare, sed, si sit vitandus, pro ejus conversione tantum ». — *Ibid., § 2.*

237. **VII.** « **Removetur excommunicatus ab actibus legitimis ecclesiasticis** intra fines suis in locis jure definitos. » — *Cod., c. 2263. — Cf. n. 225, d.*

Nequit « in *causis ecclesiasticis* agere nisi ad normam can. 1654 », nempe ad impugnandam justitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis. Et « prohibetur *ecclesiasticis officiis* seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui ». — *Ibid.*

238. **VIII.** « **Dignitates, officia, beneficia,** pensiones ecclesiasticas, aliudve munus in Ecclesia » *consequi* nequit excommunicatus quilibet.

Item « prohibetur jure eligendi, præsentandi, nominandi ». — *Cod., c. 2265, § 1, n. 1 et 2.*

a) Attamen actus positus contra hæc præscripta « non est *nullus* nisi positus fuerit ab excommunicato vitando vel ab alio excommunicato *post sententiam* declaratoriam vel condemnatoriam ». — *Ibid., § 2.*

b) Quod si hæc sententia lata fuerit :

1° Excommunicatus nequit præterea « *gratiam ullam Pontificiam* valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat ». — *Ibid.*

2° Etiam « *fructibus* dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris si quod habeat in Ecclesia », privatus manet. — *Cod., c. 2266.*

3° Imo, *vitandus* privatur « ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere ». — *Ibid.*

c) Et quilibet excommunicatus « promoveri nequit ad *ordines* ». — *Cod., c. 2265, § 1, n. 3.*

239. **IX.** « **Communionem in profanis cum excommunicato vitando** fideles vitare debent, nisi agatur de conjuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi *rationabilis causa* excuset. » — *Cod., c. 2267.*

Olim violatio hujus prohibitionnis inducebat *excommunicationem minorem* quæ hodie, a tempore constitutionis « *Apostolicæ Sedis* » Pii IX, non subsistit.

240. **X. Ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam :**

a) Clerici vel laici « impendentes quodvis *auxilium* vel favorem excommunicato vitando, *in delicto* propter quod excommunicatus fuit » ;

b) Itemque « clerici scienter et sponte *in divinis* cum eodem communicantes, et ipsum in divinis officiis recipientes ». — *Cod., c. 2338, § 2.*

241. **XI. Si quis obdurato animo per annum insorduerit in censura excommunicationis,** « est de hæresi suspectus ». — *Cod., c. 2340, § 1.*

Si clericus in censura *suspensionis* per semestre perseveraverit, « graviter moneatur ; et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, *privetur* beneficiis aut officiis si qua in Ecclesia forte habeat ». — *Ibid., § 2.*

§ II. De interdicto

242. **I. Interdictum est** « censura qua fideles, in communione Ecclesiæ permanentes, rebus *prohibentur* sacris quæ in sequentibus canonibus enumerantur ». — *Cod., can. 2268, § 1.*

a) Prohibitio fit : vel *directe* per interdictum *personale,* cum personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur ; vel *indirecte* per interdictum *locale,* cum certis in locis eorum dispensatio vel perceptio vetatur. — *Ibid., § 2.*

b) Effectus in singulis hujus censuræ speciebus *separari* queunt ; sed, nisi ex lege, præcepto, sententia, aliud constet, *omnes* comprehenduntur.

c) Interdictum *locale* ferri potest : vel in aliquod territorium, vel in ecclesiam seu oratorium, cappellam, altare, cœmeterium ; *personale :* vel in aliquem populum, vel in aliquam personarum communitatem seu collegium, vel in singulas personas.

d) « Interdictum *personale* sequitur personas ubique ; *locale* non urget extra locum interdictum ; sed, in loco interdicto, *omnes,* etiam exteri aut exempti, secluso privilegio, illud servare debent. » — *Cod., c. 2269, § 2.*

e) « Generale interdictum, tam locale in territorium

diœcesis, reipublicæ, quam personale in populum diœcesis, reipublicæ, ferri tantum potest a *Sede Apostolica* vel de ejus mandato ;

» Interdictum vero generale in *parœciam* vel parœciæ populum, et particulare sive locale sive personale, etiam *Episcopus* ferre potest. » — *Cod., c. 2269,* § *1.*

f) « Interdictum locale, sive generale sive particulare, non vetat *morientibus* Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis, ministrare ; sed prohibet *in loco* quodlibet divinum officium vel sacrum ritum », salvis exceptionibus de quibus infra. — *Cod., c. 2270,* § *1.*

g) « In die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi et Beatæ Mariæ Virginis in cælum assumptæ, interdictum locale *suspenditur,* et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio. » — *Ibid.,* § *2.*

h) « Scienter *celebrantes* vel celebrari facientes divina in locis interdictis, vel *admittentes* ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, *interdictum ab ingressu ecclesiæ* ipso jure contrahunt, donec, arbitrio ejus cujus sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint. » — *Cod., c. 2338,* § *3.*

243. **II. Si interdictum fuerit locale generale, et interdicti decreto aliud non caveatur expresse :**

a) « Permittitur *clericis,* dummodo non sint ipsi *personaliter* interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacunque ecclesia aut oratorio privatim obire, januis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis ». — *Cod., c. 2271, n. 1.*

b) « In ecclesia vero cathedrali, ecclesiis parœcialibus, vel in ecclesia quæ unica sit in oppido, in iisque solis, *permittuntur :* unius Missæ celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiæ, pœnitentiæ, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiæ, vetita tamen

quavis sollemnitate, benedictio aquæ baptismalis et sacrorum oleorum, prædicatio verbi Dei.

» In his tamen sacris functionibus *prohibetur cantus et pompa* in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium ; sacrum autem Viaticum ad infirmos *privatim* deferatur. » — *Ibid., num. 2.*

244. **III. In interdictio locali particulari :**

a) « Si interdictum fuerit *altare* vel *sacellum* alicujus ecclesiæ, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur.

b) » Si interdictum fuerit *cœmeterium,* fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu.

c) » Si latum fuerit in *certam ecclesiam* vel oratorium :

» 1° Si ecclesia fuerit *capitularis,* nec interdictum sit Capitulum, valet præscriptum can. 2271, n. 1, nisi interdicti decretum præcipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia aut oratorio ;

» 2° Si fuerit *parœcialis,* servetur præscriptum cit. can. 2271, n. 2, nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat. » — *Cod., c. 2272.*

d) « Interdicta *civitate,* interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis ; interdicta *ecclesia,* interdicta sunt sacella contigua, non vero cœmeterium ; interdicto *sacello,* non est interdicta integra ecclesia ; nec, interdicto *cœmeterio,* interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in cœmeterio erecta. » — *Cod., c. 2273.*

245. **IV. Si communitas seu collegium delictum perpetraverit,**

a) « Interdictum ferri potest, vel in *singulas* personas delinquentes, vel in *communitatem,* uti talem, vel in personas delinquentes *et* in communitatem.

b) » Si *primum*, servetur præscriptum can. 2275 de personaliter interdictis *(cf. n. 247) ;*

» Si *alterum*, communitas seu collegium nequit jus ullum spirituale exercere quod ei competat ;

» Si *tertium*, effectus cumulantur. » — *Cod., c. 2274.*

246. **V. Qui causam dederunt interdicto locali, aut interdicto in communitatem seu collegium,** « sunt ipso facto *personaliter* interdicti ». — *Cod., c. 2338, § 4.*

Sed « qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest *quin eidem causam dederit*, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere ad normam canonum præcedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione ». — *Cod., c. 2276.*

247. **VI. Personaliter interdicti :**

a) « Nequeunt *divina officia* celebrare, eisve, excepta prædicatione verbi Dei, assistere ;

» *Passive* assistentes non est necesse ut expellantur ; sed ab assistentia *activa*, quæ aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, aut alioquin notorie interdicti ;

b) » Prohibentur *Sacramenta* et *Sacramentalia* ministrare, conficere et recipere, ad normam can. 2260, § 1 et 2261 » de excommunicatis *(cf. n. 234 et 235) ;*

c) « Præscripto can. 2265 etiam ipsi adstringuntur » ad cujus normam nequeunt dignitates, officia, beneficia, aliudve *munus* in Ecclesia consequi *(cf. n. 238) ;*

d) *Sepultura* quoque *ecclesiastica* privantur, « nisi ante mortem aliqua dederint pœnitentiæ signa ». — *Cod., can. 2275.*

248. **VII. Interdictum ab ingressu ecclesiæ** secumfert « prohibitionem ne quis in ecclesia *divina officia* celebret, vel eisdem assistat, aut *ecclesiasticam sepulturam* habeat ;

» Si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec,

si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur ». — *Cod., can. 2277.*

§ III. De suspensione

249. **I. Suspensio est** « censura qua *clericus officio* vel *beneficio*, vel *utroque* prohibetur ». — *Cod., can. 2278, § 1.*

« Etiam suspensionis effectus separari queunt ; sed, nisi aliud constet, in *suspensione generaliter lata* comprehenduntur *omnes* effectus qui in canonibus hujus articuli enumerantur ; contra, in suspensione ab *officio* vel a *beneficio*, omnes tantum effectus alterutrius speciei. » — *Ibid., § 2.*

250. **II. Suspensio ab officio simpliciter,** nulla adjecta limitatione, « vetat omnem actum, tum potestatis *ordinis* et *jurisdictionis*, tum etiam meræ *administrationis* ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii ». — *Cod., c. 2279, § 1.*

251. **III. Si suspensioni limitatio adjiciatur,** « suspensio :

» 1° *A jurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis jurisdictionis, pro utroque foro, tam ordinariæ quam delegatæ ;

» 2° *A divinis*, omnem actum potestatis ordinis quam quis, sive per sacram ordinationem, sive per privilegium obtinet ;

» 3° *Ab ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptæ per ordinationem ;

» 4° *A sacris ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptæ per ordinationem in sacris ;

» 5° *A certo et definito ordine exercendo*, omnem actum ordinis designati ; suspensus autem prohibetur insuper eundem ordinem conferre, et superiorem recipere, receptumque post suspensionem exercere ;

» 6° *A certo et definito ordine conferendo*, ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem ;

» 7° *A certo et definito ministerio*, ex. gr., audiendi con-

fessiones, vel *officio*, ex. gr., cum cura animarum, omnem actum ejusdem ministerii vel officii ;

» 8° *Ab ordine pontificali*, omnem actum potestatis ordinis episcopalis ;

» 9° *A pontificalibus*, exercitium actuum pontificalium ad normam can. 337, § 2 » *(cf. n. 760)*. — *Cod., can. 2279, § 2.*

252. **IV. Suspensio a beneficio** « privat *fructibus* beneficii, excepta habitatione in ædibus beneficialibus, non autem jure administrandi bona beneficialia, nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat ». — *Cod., c. 2280, § 1.*

Si, quamvis censura obstet, beneficiarius fructus percipiat, « fructus *restituere* debet, et ad hanc restitutionem cogi potest canonicis quoque, si opus sit, sanctionibus ». — *Ibid., § 2.*

253. **V. Irretitus aliqua suspensione :**

a) « Prohibetur jure eligendi, præsentandi, nominandi » ; nec potest « consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas, *aliudve munus* in Ecclesia ».

Attamen actus positus contra hoc præscriptum non est *nullus* « nisi positus fuerit post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ». — *Cod., c. 2283.*

b) « Promoveri nequit ad *ordines*. » Et, si incursa fuerit censura suspensionis quæ vetat administrationem *Sacramentorum* et *Sacramentalium*, « servetur decretum can. 2261 ». — *Cf. n. 235.*

c) Si incursa fuerit censura suspensionis quæ prohibet *actum jurisdictionis* in foro seu interno seu externo, « actus est *invalidus* ; ex. gr., absolutio sacramentalis, si lata sit sententia condemnatoria vel declaratoria, aut Superior expresse declaret se ipsum jurisdictionis potestatem revocare.

» Secus est *illicitus* tantum, nisi a fidelibus petitus fuerit ad normam can. 2261, § 2 », id est ex qualibet justa causa. — *Cod., c. 2284.*

254. **VI. Si clericus in diœcesi Superioris suspendentis plura habeat officia vel beneficia,** « suspensio *generaliter* lata, vel suspensio *ab officio* aut *a beneficio*, afficit *omnia* officia aut beneficia, nisi aliud appareat ». — *Cod., c. 2281.*

a) « *Loci Ordinarius* nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio quod in *aliena diœcesi* reperiatur ;

b) » Sed suspensio latæ sententiæ, *jure communi irrogata*, afficit *omnia* officia vel beneficia, in *quacumque* diœcesi possideantur. » — *Cod., c. 2282.*

255. **VII. Si communitas seu collegium clericorum delictum commiserit :**

a) « Suspensio ferri potest, vel in *singulas* personas delinquentes, vel in *communitatem* uti talem, vel in personas delinquentes *et* communitatem.

b) » Si *primum*, serventur hujus articuli canones. — Si *alterum*, communitas prohibetur exercitio jurium spiritualium quæ ipsi, uti communitati, competunt. — Si *tertium*, effectus cumulantur. » — *Cod., c. 2285.*

ARTICULUS III

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS

256. **I. Quælibet censura, semel contracta,** « **tollitur tantum legitima absolutione** ». — *Cod., c. 2248, § 1.*

a) » Absolutio *denegari nequit* cum primum delinquens a contumacia *recesserit.*

» A censura autem absolvens potest, si res ferat, pro patrato delicto congruam *vindicativam* pœnam aut *pœnitentiam* infligere. » — *Ibid., § 2.*

b) Censura per absolutionem sublata « *non reviviscit* nisi in casu quo onus impositum sub pœna *reincidentiæ* impletum non fuerit ». — *Ibid., § 3.*

257. **II. Potest quis ab una censura absolvi, remanentibus aliis,** « si pluribus censurarum vinculis detineatur ». — *Cod., c. 2249, § 1.*

a) Ideo « petens absolutionem debet *casus omnes* indicare ; secus absolutio valet tantum pro casu expresso;

b) » Quod si absolutio, quamvis particularis petitio facta sit, fuerit *generalis,* valet quoque pro reticitis *bona fide,* excepta censura specialissimo modo Sedi Apostolicæ reservata, non autem pro reticitis *mala fide* ». — *Ibid., § 2.*

258. **III. Potest absolvi a peccatis, firma remanente censura,** absolvenda in foro non sacramentali :

a) Censuratus rite dispositus et a contumacia recedens, « si agatur de censura quæ *non impedit* sacramentorum receptionem ;

b) » Si vero agatur de censura quæ *impedit* sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis nisi prius a censura absolutus fuerit ». — *Cod., can. 2250, § 1 et 2.*

259. **IV. Absolutionis forma :**

a) In foro *sacramentali* est ipsa quæ præmittitur *consuetæ formæ* absolutionis peccatorum, in libris ritualibus præscriptæ.

b) In foro *non sacramentali,* absolutio « *quolibet* modo dari potest; sed, ad *excommunicationis* absolutionem, regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam ». — *Cod., c. 2250, § 3.*

260. **V. Utrumque forum afficit absolutio censuræ** ab eo qui potestatem habet, « si detur *in foro externo* ».

a) Si detur *in foro interno,* « absolutus, remoto scandalo, potest uti talem se habere etiam in actibus fori externi ;

b) » Sed, nisi concessio absolutionis probetur, aut saltem legitime præsumatur in foro externo, censura potest a Superioribus *fori externi,* quibus reus parere debet, *urgeri,* donec absolutio in eodem foro habita fuerit ». — *Cod., can. 2251.*

261. **VI. In mortis periculo :**

a) Quilibet sacerdos, specialis facultatis expers, potest quoslibet pœnitentes rite dispositos a quibusvis censuris absolvere. — *Cf. Cod., c. 882 ; — et n. 972.*

b) Sed qui in dicto casu a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura *ab homine* vel a censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicæ reservata, « tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub pœna reincidentiæ : ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine : ad S. Pœnitentiariam, vel ad Episcopum aliumve facultate præditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a jure ; eorumque mandatis parendi ». — *Cod., c. 2252. — Cf. num. 263.*

262. **VII. Extra mortis periculum possunt absolvere :**

a) A censura non reservata, « in foro sacramentali quilibet confessarius ; extra forum sacramentale quicunque jurisdictionem in foro externo habeat in reum » ;

b) A censura *ab homine,* « ille cui censura reservata est ; ipse autem potest absolutionem concedere etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit » ;

c) A censura *a jure reservata,* « ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores, aut competentes Superiores, aut delegati ». — Quare :

1° A censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario,* « quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos » ;

2° A reservata *Sedi Apostolicæ,* « hæc aliive qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint, sive generalem si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem si *reservata speciali modo,* sive denique specialissimam si *reservata specialissimo modo* ». — *Cod., c. 2253.*

263. **VIII. In casibus urgentioribus,** « si nempe censuræ latæ sententiæ exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiæ, aut si durum sit pœnitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat :

a) » Tunc *quilibet confessarius* in *foro sacramentali* ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, *injuncto onere* recurrendi, sub pœna reincidentiæ, intra mensem, saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Pœnitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem præditum facultate, et standi ejus mandatis ». — *Cod., c. 2254, § 1.*

b) « Nihil impedit quominus pœnitens, etiam post acceptam ut supra absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, *alium* adeat confessarium *facultate præditum,* ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem ; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus. » — *Ibid., § 2.*

c) « Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit *moraliter impossibilis,* tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censuræ de qua in can. 2367 (ubi de absolvente *complicem* in peccato turpi), potest absolutionem concedere *sine onere* de quo supra, injunctis tamen de jure injungendis, et imposita congrua pœnitentia et satisfactione pro censura, ita ut pœnitens, nisi intra congruum tempus, a confessario præfiniendum, pœnitentiam egerit ac *satisfactionem* dederit, *recidat* in censuram. » — *Ibid., § 3.*

d) Recursus ad S. Sedem (seu ad *S. Pœnitentiariam*) fit sequenti modo :

Exponitur stylo simplici, idiomate vulgari, vel melius latino, substantia facti cum adjunctis quæ ad rem faciunt, omisso semper vero pœnitentis nomine. — *Cf. n. 545, sq.*

En formulæ exemplum : « *Beatissime Pater, — Titius sacerdos (vel parochus) unam pœnitentem (vel duas, tres, etc.), complicem in peccato turpi, semel (vel bis, ter, etc.), sacrilege absolvit (vel absolvere simulavit). Deinde, quamvis excommunicatione scienter irretitus, per quindecim dies Missam celebrare et sacramenta ministrare perrexit. Nunc vero, delictorum suorum sincere pœnitens, et, remota peccati occasione, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio.*

» *Responsum, precor, dirigatur ad me subscriptum,*
» *Humillimum servum N. N.* » *(nomen et cognomen apponatur, et locus solitæ habitationis).*

e) Rescriptum S. Pœnitentiariæ inscribitur : « *Confessario, ex approbatis ab Ordinario loci, ab oratore electo vel eligendo* ». Solus igitur ille confessarius rescriptum aperiet ; apertum autem, si nequeat aut nolit exsequi, alius eligi ipsique substitui potest.

Sacra Pœnitentiaria solet absolutiones in hac forma *commissoria* concedere ; ideoque pœnitens coram Confessario se sistere debebit ; et, si non possit ad eumdem Confessarium redire a quo directe absolutus est, et ipsi durum sit coram alio se sistere, unum illi superest, nempe petitio rescripti in *forma gratiosa*, quod fortasse a sacro Tribunali non denegabitur.

ARTICULUS IV

DE PŒNIS VINDICATIVIS

264. **I. Pœnæ vindicativæ illæ sunt** « quæ *directe* ad delicti *expiationem* tendunt, ita ut earum remissio e cessatione contumaciæ delinquentis non pendeat ». — *Cod., can. 2286.*

« Pœna vindicativa *finitur* ejus expiatione, vel dispensatione ab eo concessa qui legitimam habeat dispensandi potestatem ad normam can. 2236. » — *Cod., c. 2289.* — *Cf. num. 222.*

265. **II. Pœnæ vindicativæ quæ omnes fideles pro delictorum gravitate afficere possunt,** in Ecclesia præsertim sunt :

a) « Interdictum *locale* et interdictum in *communitatem* seu collegium, in perpetuum, vel ad tempus præfinitum, vel ad beneplacitum Superioris. » — *Cod., 2291, n. 1.*

b) « Interdictum *ab ingressu Ecclesiæ,* in perpetuum, vel ad tempus præfinitum, vel ad beneplacitum Superioris. » — *Ibid., n. 2.*

c) « Pœnalis *translatio* vel *suppressio* sedis episcopalis vel parœcialis. » — *Ibid., n. 3.*

« Pœnalis suppressio aut translatio *sedis episcopalis* est Romano Pontifici reservata ; sedis autem *parœcialis*, a locorum Ordinariis decerni nequit, nisi cum consilio Capituli. » — *Cod., c. 2292.*

d) « Infamia juris. » — *Cod., c. 2291, n. 4.*

1° Infamia *juris* est illa quæ « casibus *jure communi* expressis statuitur ».

Infamia *facti* contrahitur « quando quis, ob patratum delictum, vel ob pravos mores, *bonam existimationem*, apud fideles probos et graves amisit, de quo judicium spectat ad Ordinarium.

» Neutra afficit delinquentis *consanguineos* aut affines, firmo præscripto can. 2147, § 2, n. 3. » quod respicit parochum cum consanguineis viventem. — *Cod., c. 2293.*

2° Qui *infamia juris* laborat, « non solum est *irregularis*, sed insuper est *inhabilis* ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos, ad exercitium juris aut muneris ecclesiastici, et tandem arceri debet a ministerio in *sacris functionibus* exercendo ». — *Cod., can. 2294*, § *1.*

3° Qui laborat *infamia facti* « repelli debet, tum a recipiendis ordinibus, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis, tum ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis ecclesiasticis ». — *Ibid.*, § *2.*

4° « *Infamia juris* desinit sola dispensatione a Sede Apostolica concessa ; *infamia facti* cum bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adjunctis et præsertim diuturna rei emendatione, fuerit, prudenti Ordinarii judicio, recuperata. » — *Cod., c. 2295.*

e) « Privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ad normam can. 1240, § 1. » — *Cod., c. 2291, n. 5.* — *Cf. n. 1079.*

f) « Privatio Sacramentalium. » — *Ibid., n. 6.*

g) « Privatio vel suspensio, ad tempus, *pensionis* quæ ab Ecclesia vel ex bonis Ecclesiæ solvitur, vel *alius* juris seu privilegii ecclesiastici. » — *Ibid., n. 7.*

h) « Remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis. » — *Ibid., n. 8.* — *Cf. n. 225, d.*

i) « Inhabilitas ad gratias ecclesiasticas aut munia in Ecclesia quæ statum clericalem non requirant, vel ad gradus academicos auctoritate ecclesiastica consequendos. » — *Ibid., n. 9.*

Si agatur de rebus ad quas assequendas capacitas *jure communi* statuitur, « inhabilitatis pœnam infligere una Sedes Apostolica potest ». — *Cod., c. 2296, § 1.*

Jura *jam quæsita* « non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur pœna privationis ». — *Ibid., § 2.*

j) « Privatio vel suspensio, ad tempus, muneris, facultatis vel gratiæ jam obtentæ. » — *Cod., can. 2291, num. 10.*

k) « Privatio juris præcedentiæ, vel vocis activæ et passivæ, vel juris ferendi titulos honoris, vestem, insignia, quæ Ecclesia concesserit. » — *Ibid., n. 11.*

l) « Mulcta pecuniaria. » — *Ibid., n. 12.*

« Mulctas pecuniarias jure communi inflictas, quarum erogatio non sit eodem jure præfinita, aliasque jure peculiari statutas vel statuendas, Ordinarii locorum erogare debent *in pios usus*, non vero in commodum mensæ episcopalis aut capitularis. » — *Cod., can. 2297.*

266. **III. Pœnæ vindicativæ quæ clericis tantum applicantur sunt :**

a) « Prohibitio exercendi sacrum ministerium præterquam in certa ecclesia. » — *Cod., c. 2298, n. 1.*

b) « Suspensio in perpetuum, vel ad tempus præfinitum, vel ad beneplacitum Superioris. » — *Ibid., n. 2.*

c) « Translatio pœnalis ab officio vel beneficio obtento ad inferius. » — *Ibid., n. 3.*

d) « Privatio alicujus juris cum beneficio vel officio conjuncti. » — *Ibid., n. 4.*

e) « Inhabilitas ad omnes vel aliquot dignitates, officia, beneficia, aliave munera propria clericorum. » — *Cod., c. 2298, n. 5.*

f) « Privatio pœnalis beneficii vel officii cum vel sine pensione. » — *Ibid., n. 6.*

« Si clericus beneficium *inamovibile* obtineat, eodem in pœnam privari potest solum in casibus jure expressis ; si *amovibile*, etiam ob alias rationabiles causas. » — *Cod., c. 2299, § 1. — Cf. num. 1158, sq; 1166, 39.*

« Clerici obtinentes beneficia, officia, dignitates, possunt etiam *aliquo tantum ministerio* cum iisdem conjuncto, ex. gr., ministe-

rio prædicandi, confessiones audiendi, etc., prohiberi ad *certum tempus.* » — *Ibid.*, § *2.*

g) « Prohibitio aut præscriptio commorandi in certo loco vel territorio. » — *Cod., c. 2298, n. 7 et 8.*

1° Ordinarius nequit præscribere ut clericus certo in loco, *extra fines suæ diœcesis*, commoretur, « nisi accedat consensus Ordinarii illius loci, vel agatur de domo pœnitentiæ seu emendationis, clericis non solum diœcesanis, sed etiam extraneis destinata, aut de domo religiosa exempta, Superiore ejusdem consentiente ». — *Cod., can. 2301.*

2° Tam præscriptio quam prohibitio certo in loco commorandi et collocatio in domo pœnitentiæ aut in domo religiosa, præsertim si diu duraturæ sint, « imponantur tantum *in casibus gravibus*, in quibus, prudenti Ordinarii judicio, eæ pœnæ necessariæ sint ad clerici emendationem aut scandali reparationem ». — *Cod., can. 2302.*

h) « Privatio ad tempus, aut perpetua, habitus clericalis. » — *Cod., c. 2298, n. 9 et 11.*

Si clericus *gravia scandala* præbeat, et monitus non respiscat, nec scandalum queat aliter removeri, « potest *interim* privari jure deferendi habitum ecclesiasticum ; quæ privatio, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quævis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium ». — *Cod., c. 2300.*

i) « Depositio. » — *Cod., c. 2298, n. 10.*

1° Depositio, firmis obligationibus e suscepto ordine exortis et privilegiis clericalibus, secumfert « tum *suspensionem* ab officio, et *inhabilitatem* ad quælibet officia, dignitates, beneficia, pensiones, munera in Ecclesia, tum etiam *privationem* illorum quæ reus habeat, licet eorum titulo fuerit ordinatus ». — *Cod., c. 2303*, § *1.*

2° Sed, hoc ultimo in casu, « si clericus vere indigeat, Ordinarius, *pro sua caritate*, quo meliore modo fieri potest, ei providere curet, ne cum dedecore status clericalis mendicare cogatur ». — *Ibid.*, § *2.*

3° Pœna depositionis infligi nequit « nisi in casibus *jure* expressis ». — *Ibid.*, § *3.*

4° Si clericus depositus *non det emendationis signa*, et præsertim si scandalum dare pergat, monitusque non resipiscat. « Ordinarius potest eum perpetuo privare jure deferendi habitum ecclesiasticum.

» Hæc privatio secumfert privationem *privilegiorum clericalium*

et cessationem præscripti can. 2303, § 2 » quo Ordinarius debeat clerico deposito providere. — *Cod., c. 2304.*

j) « Degradatio. » — *Cod., c. 2298, n. 12.*

1° Degradatio in se continet « depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici, et reductionem clerici *ad statum laicalem* ».

2° Hæc pœna ferri solummodo potest « propter delictum *in jure* expressum, aut si clericus, jam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum *per annum* præbere pergat.

3° » Alia est *verbalis* seu *edictalis*, quæ sola sententia irrogatur, ita tamen ut omnes suos effectus juridicos statim habeat sine ulla exsecutione ; alia *realis*, si serventur sollemnia præscripta in Pontificali Romano. » — *Cod., c. 2305.*

267. **IV. Pœnæ ordinariæ per sententiam condemnatoriam inflictæ exsecutionem suspendere,** « prudentiæ judicis committitur si reus talis sit ut *prima vice* post vitam laudabiliter peractam deliquerit », ea tamen conditione ut, si reus *intra proximum triennium* aliud delictum ejusdem vel alterius generis commiserit, pœnam utrique debito debitam luat ». — *Cod., c. 2288.*

Excipiuntur tamen pœnæ « degradationis, depositionis, privationis officii aut beneficii » ; nec suspendenda est exsecutio « si urgeat necessitas reparandi scandalum ». — *Cod., ibid.*

268. **V. In casibus occultis urgentioribus :**

a) « Si ex observatione pœnæ vindicativæ *latæ sententiæ* reus seipsum proderet cum *infamia* et *scandalo*, quilibet confessarius potest *in foro sacramentali* obligationem servandæ pœnæ suspendere, *injuncto onere* recurrendi, saltem intra mensem, per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Pœnitentiariam vel ad Episcopum facultate præditum, et standi ejus mandatis.

b) » Et, si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit *impossibilis*, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254, § 3. » — *Cod., can. 2290.* — *Cf. n. 263, b.*

269. **VI. Datur appellatio vel recursus in suspensivo** ab inflictis pœnis vindicativis, « nisi aliud expresse in jure caveatur ». — *Cod., c. 2287.*

ARTICULUS V

DE MODO PROCEDENDI IN INFLIGENDA SUSPENSIONE EX INFORMATA CONSCIENTIA

270. **I. Ordinarii possunt** « **ex informata conscientia clericos suos subditos suspendere ab officio,** sive ex parte, sive etiam in totum ». — *Cod., c. 2186, § 1.*

Sed « extraordinarium hoc remedium adhibere non licet si Ordinarius potest sine gravi incommodo *ad juris normam* in subditum procedere ». — *Ibid., § 2.*

a) Ad ferendam hanc suspensionem « neque formæ judiciales neque canonicæ monitiones requiruntur ; sed satis est si Ordinarius, servato præscripto canonum qui sequuntur, *simplici decreto* declaret se suspensionem indicere ». — *Cod., c. 2187.*

b) Ordinarius qui fert suspensionem ex informata conscientia « debet ex peractis investigationibus tales collegisse probationes quæ eum *certum reddant* clericum delictum *revera* perpetrasse, et quidem *adeo grave* ut ejusmodi pœna coercendus sit ». — *Cod., c. 2190.*

271. **II. Suspensioni ex informata conscientia** « **justam ac legitimam causam præbet delictum occultum ad normam can.** 2197 ». — *Cod., c. 2191, § 1. — Cf. num. 191, d.*

a) Ideo, « ob *notorium* delictum suspensio ex informata conscientia nunquam ferri potest ». — *Ibid., § 2.*

b) Ut delictum *publicum* suspensione ex informata conscientia plecti possit, « occurrat necesse est aliquod ex adjunctis quæ sequuntur :

» 1° Si testes probi et graves delictum quidem Ordinario patefaciant, sed nulla ratione induci possint ut

de eo testimonium in judicio ferant, neque aliis probationibus delictum *judiciali processu* evincit possit ;

» 2° Si ipsemet clericus, minis aut aliis adhibitis mediis, *impediat* ne processus judiciarius instituatur aut inceptus perficiatur ;

» 3° Si processui judiciali conficiendo ferendæque sententiæ *impedimenta exoriantur* ex adversis civilibus legibus aut gravi scandali periculo ». — *Ibid.*, § *3.*

c) Suspensio ex informata conscientia valet « si ex pluribus delictis *unum* tantum fuerit occultum ». — *Cod., can. 2192.*

272. **III.** « **Decretum detur in scriptis,** nisi adjuncta aliud exigant, designato die, mense et anno ; in eoque :

a) » Expresse dicatur suspensionem ferri *ex informata conscientia*, seu ex causis ipsi Ordinario notis ;

b) » Indicetur *tempus durationis pœnæ ;* abstineat autem Ordinarius ab ipsa infligenda in perpetuum ;

» Potest vero infligi etiam *tanquam censura*, dummodo clerico patefiat causa propter quam suspensio irrogatur ;

c) » Clare indicentur *actus qui prohibentur*, si suspensio non in totum sed in parte infligatur. » — *Cod., can. 2188, num. 1, 2 et 3.*

273. **IV. Si clericus suspensus sit ab officio in quo alter in ejus locum substituendus est,** ut, ex. gr., œconomus in cura animarum :

a) « Qui substituitur *mercedem* ex fructibus beneficii percipiat, secundum prudens Ordinarii judicium determinandam. » — *Cod., c. 2189,* § *1.*

b) Clericus suspensus, si se *gravatum* senserit, « potest imminutionem pensionis petere ab immediato Superiore qui in via judiciaria esset judex appellationis ». — *Ibid.*, § *2.*

274. **V. Suspensionis causam seu delictum clerico patefacere aut reticere,** « prudenti Ordinarii relinquitur ». — *Cod., c. 2193.*

Pastoralis tamen adhibenda est sollicitudo et caritas ut, « si delictum clerico manifestare censuerit, pœna, ex paternis quæ interposuerit monitis, nedum ad *expiationem culpæ*, verum etiam ad *emendationem delinquentis*, et ad occasionem peccati eliminandam inserviat ». — *Ibid.*

275. **VI. A suspensione ex informata conscientia sibi inflicta, clericus recursum habet ad Sedem Apostolicam.** — *Cod., c. 2194.*

Interposito recursu, « Ordinarius ad Sedem Apostolicam *mittere debet probationes* quibus constet clericum delictum revera perpetrasse quod *extraordinaria* hac pœna puniri queat ». — *Ibid.*

ARTICULUS VI

DE REMEDIIS PŒNALIBUS ET PŒNITENTIIS

Remedia pœnalia sunt : 1° Monitio ; 2° Correptio ; 3° Præceptum ; 4° Vigilantia. — *Cod., c. 2306.*

276. **I. Moneat Ordinarius,** per se, vel per interpositam personam, « eum qui versatur in *proxima occasione* delictum committendi, vel in quem; ex inquisitione peracta, *gravis suspicio* cadit delicti commissi ». — *Cod., can. 2307.*

277. **II. Locus est correptioni** « si ex alicujus conversatione *scandalum* vel gravis ordinis perturbatio oriantur ».

Ab *Ordinario*, per se vel interpositam personam, etiam per epistolam, facienda est, « peculiaribus accommodata conditionibus personæ et facti de quo agitur ». — *Cod., can. 2308.*

278. **III. Tam monitio quam correptio « potest esse vel publica vel secreta ».** — *Cod., c. 2309, § 1.*

a) Correptio vel monitio *publica* « fiat, vel coram notario aut duobus testibus, vel per epistolam ita tamen ut de receptione et tenore epistolæ ex aliquo documento constet ». — *Ibid., § 2.*

Et de monitione et correptione, etsi *secreto* factæ fuerint, « *constare debet* ex aliquo documento, in secreto archivo Curiæ asservando ». — *Ibid.*, § *5.*

b) Correptio *publica* « fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum ; et est *judicialis,* si fiat a judice pro tribunali sedente, vel ab Ordinario ante processum criminalem ». — *Ibid.*, § *3.*

Correptio *judicialis* « vel habetur loco *pœnæ,* vel fit ad *augendam* pœnam, præcipue si agatur de recidivo ». — *Ibid.*, § *4.*

c) Tam correptio quam monitio « fieri potest *semel* vel *pluries,* pro Superioris arbitrio et prudentia ». — *Ibid.*, § *6.*

279. **IV. Præceptum** datur, « monitionibus et correptionibus incassum factis, vel si ex eisdem effectum sperare non liceat ». — *Cod.*, *c. 2310.*

Hoc præcepto « quid *agere* quidve *evitare* præventus debeat accurate indicetur, cum pœnæ *comminatione* in casu transgressionis ». — *Ibid.* — *Cf. n. 230.*

280. **V. Vigilantiæ** submittat Ordinarius eum præcipue « qui in periculo versatur relabendi in idem crimen », et « si casus gravitas ferat ». — *Cod.*, *c. 2311,* § *1.*

Vigilantia præcipi quoque potest « ad *augendam* pœnam, præcipue in recidivos ». — *Ibid.*, § *2.*

281. **VI. Pœnitentiæ in foro externo** imponuntur « ut delinquens, vel pœnam effugiat, vel pœnæ contractæ absolutionem aut dispensationem recipiat ». — *Cod.*, *can. 2312,* § *1.*

Pœnitentias Ordinarius pro sua prudentia « *addere* potest pœnali remedio monitionis et correptionis ». — *Cod. can. 2313,* § *2.*

a) « Ob delictum aut transgressionem *occultam* nunquam pœnitentia publica imponatur. » — *Cod.*, *c. 2312,* § *2.*

b) « Pœnitentiæ, non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum pœnitentis contritionem, *mode-*

randæ sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adjunctis. » — *Ibid.*, § *3.*

282. **VII. Præcipuæ pœnitentiæ sunt** « præcepta :
» 1° Recitandi determinatas preces ;
» 2° Peragendi piam aliquam peregrinationem vel alia pietatis opera ;
» 3° Servandi peculiare jejunium ;
» 4° Erogandi eleemosynas in pios usus ;
» 5° Peragendi exercitia spiritualia in pia aut religiosa domo per aliquot dies ». — *Cod.*, *c. 2313*, § *1.*

CAPUT XI

DE JURISDICTIONE ORDINARIA

Videlicet : de adeptione, — restrictione, — amissione jurisdictionis ordinariæ ; — et de qualitatibus requisitis in ejusdem subjecto.

ARTICULUS I

DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ

« Si quis, ait *concilium Tridentinum*, dixerit eos qui, nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit. » — *Sess.* XXIII, *can. 7.*

Et idem Concilium decrevit : « eos qui, tantummodo a populo aut a sæculari potestate ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes, non Ecclesiæ Ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos (*Joann.*, x, *1*, *2*) habendos esse ». — *Sess. cit.*, *De Ordine*, *cap. 4.*

Unde *omnino necessaria est Institutio canonica*, seu *Titulus*, ad obeundum officia ecclesiastica.

Provisio officii ecclesiastici fit « vel per *liberam collationem* a legitimo Superiore, vel per ejus *institutionem* si præcesserit præsentatio a patrono aut nominatio, vel per ejus *confirmationem* aut admissionem si præcesserit electio aut postulatio, vel tandem per simplicem *electionem* et electi acceptationem si electio non egeat confirmatione ». — *Cod.*, *c. 148.*

§ I. De electione

283. **I. Electio est :** Personæ idoneæ ad prælaturam ecclesiæ vacantem, vel ad aliquod officium ecclesiasticum, per vota legitimorum electorum canonica vocatio, ulterius a Superiore confirmanda.

Romani Pontificis electio « unice regitur const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 ».

In aliis electionibus ecclesiasticis « serventur præscripta canonum qui sequuntur, et peculiaria, si qua sint, pro singulis officiis legitime statuta ». — *Cod.*, *c. 160.*

Porro, si cui collegio sit jus eligendi ad vacans officium :

284. **II. Electio « nunquam differatur ultra trimestre utile** computandum ab habita notitia vacationis officii », nisi aliud jure cautum fuerit. — *Cod., can. 161.*

a) Si electio intra præscriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium jure eligendi privetur in pœnam, « libera officii provisio ad eum Superiorem *devolvitur* a quo confirmanda esset electio, vel cui jus providendi successive competit ». — *Cod., c. 178.*

b) Convocatio autem electorum *ante officii vacationem* nullum habet juridicum effectum si agatur « de electione ad officium quod electus ad vitam retinet ». — *Cod., c. 162,* § *5.*

285. **III. Collegii præses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio,** « salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus ». — *Cod., c. 162,* § *1.*

Et convocatio, quando *personalis* esse debet, « valet si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis ». — *Ibid.*

a) Si quis ex vocandis *neglectus* et ideo absens fuerit, « electio valet ; sed ad ejus instantiam debet, probata præteritione et absentia, a competente Superiore *irritari,* etiam secuta confirmatione, dummodo juridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum ». — *Ibid.,* § *2.*

b) Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, « electio est *ipso jure* nulla ». — *Ibid.,* § *3.*

c) Defectus convocationis « non obstat si prætermissi nihilominus interfuerint ». — *Ibid.,* § *4.*

286. **IV. Convocatione legitime secuta :**

a) Jus eligendi pertinet « ad eos qui *præsentes* sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia non solum per epistolam, sed etiam per procuratorem, nisi lege peculiari aliud caveatur ». — *Cod., c. 163.*

Si quis ex electoribus præsens *in domo* sit in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, « suffragium

ejus scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum ». — *Cod., can. 168.*

Etsi quis *plures ob titulos* jus habeat ferendi nomine proprio suffragii, « non potest nisi unicum ferre ». — *Cod., c. 164.*

b) *Nequeunt suffragium ferre :* « 1° Incapaces actus humani ; 2° Impuberes ; 3° Censura vel infamia juris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam ; 4° Qui sectæ hæreticæ vel schismaticæ nomen dederunt vel publice adhæserunt ; 5° Carentes voce activa sive ob legitimam judicis sententiam sive ex jure communi aut particulari ». — *Cod., c. 167, § 1.*

Si quis ex prædictis admittatur, « ejus suffragium est nullum ; sed *electio valet*, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam ». — *Cod., ibid., § 2.*

c) « Nullus *collegio extraneus* admitti potest ad suffragium, salvis privilegiis legitime quæsitis ; secus, electio est ipso facto nulla. » — *Cod., c. 165.*

Si *laici* contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticæ quoquo modo sese immiscuerint, « electio ipso jure *invalida* est ». — *Cod., c. 166.*

Quod si electioni a collegio clericorum vel religiosorum peragendæ, laici vel sæcularis potestas sese illegitime, *contra libertatem canonicam*, immiscere præsumpserint, « *electores* qui hanc immixtionem sollicitaverint vel sponte admiserint, ipso facto privati sunt pro ea vice jure eligendi ; qui vero suæ electioni taliter factæ scienter *consenserit*, fit ad officium vel beneficium, de quo agitur, ipso facto inhabilis ». — *Cod., c. 2390, § 2.*

d) Collegium quod *indignum* scienter elegerit « ipso facto *privatur* pro ea vice jure ad novam electionem procedendi ». — *Cod., c. 2391.*

287. **V. « Suffragium est nullum nisi fuerit :**

a) » *Liberum ;* et ideo invalidum est suffragium si elector *metu gravi* aut *dolo,* directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disjunctive. » — *Cod., c. 169, § 1, n. 1.*

« *Libertatem* electionum ecclesiasticarum quovis modo, per se vel per alios, *impedientes*, vel electores aut electum, peracta canonica electione, propter eam quoquo modo *gravantes*, pro modo culpæ puniantur. » — *Cod., c. 2390, § 1.*

b) « Secretum, certum, absolutum, determinatum. » — *Cod., c. 169, § 1.*

Appositæ autem suffragio *conditiones* ante electionem « tanquam *non adjectæ* censentur ». — *Ibid., § 2.*

c) « Suffragium *sibimetipsi* nemo valide dare potest. » — *Cod., c. 170.*

288. **VI. Electio fieri potest per scrutinium aut per compromissum.**

a) Si fiat in forma *scrutinii :*

1° « Ante electionem, per secreta suffragia deputentur, nisi jam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii duo saltem *scrutatores* qui, una cum præside, si et ipse de gremio collegii sit, *jusjurandum* interponant de munere fideliter implendo, ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione. » — *Cod., c. 171, § 1.*

2° « *Scrutatores curent* ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato præcedentiæ ordine, ab unoquoque electore ferantur ; collectisque ad ultimum suffragiis, coram præside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an suffragiorum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur, palamque faciant quot quisque retulerit. » — *Ibid., § 2.*

3° « Si numerus suffragiorum *superet* numerum eligentium, nihil est actum. » — *Ibid., § 3.*

4° « Suffragia statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, *comburantur.* » — *Ibid., § 4.*

5° Omnia electionis acta « ab eo qui actuarii munere fungitur accurate *describantur*, et saltem ab eodem actuario, præside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur ». — *Ibid., § 5.*

b) Electio, nisi aliud jure caveatur, fieri etiam potest per *compromissum*, « si nempe electores, unanimi et scripto consensu, in unum vel plures idoneos, sive de gremio sive extraneos, jus eligendi pro ea vice *transferant*, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant ». — *Cod.*, *c. 172*, § *1*.

1° Si agatur de clericali collegio, « compromissarii debent esse *sacerdotes*, secus electio est invalida ». — *Ibid.*, § *2*.

2° Compromissarii debent, pro validitate electionis, « *conditiones* compromisso appositas, quæ non sint contra jus commune, observare ;

» Si nullæ conditiones additæ fuerint, servandum ipsis est *jus commune* circa electiones ; conditiones autem *contra jus*, pro non appositis habeantur ». — *Ibid.*, § *3*.

3° Si ab electoribus in unam tantum compromissum fuerit personam, « hæc nequit *seipsam* eligere ;

» Si plures designati fuerint compromissarii, nemo ex iis *proprio consensu* potest accedere reliquis ipsum eligentibus ut electionem sui compleat ». — *Ibid.*, § *4*.

4° *Cessat* compromissum et jus eligendi redit ad compromittentes : « revocatione a collegio facta, re integra ; — non secuta aut non servata aliqua conditione compromisso apposita ; — electione absoluta, si fuerit nulla ». — *Cod.*, *c. 173*.

c) Singuli electores qui substantialem electionis formam *scienter* non servaverint, « possunt pro gravitate culpæ ab Ordinario puniri ». — *Cod.*, *c. 2391*, § *2*.

289. **VII. Is electus habeatur, et a collegii præside proclametur,** « qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can. 101, § 1, n. 1 ». — *Cod.*, *c. 174*.

Porro, ex dicto canone, is electus habendus est qui in *primo* scrutinio partem absolute majorem suffragiorum obtinuit, demptis suffragiis nullis, aut, post duo inefficacia, partem relative majorem in *tertio* scrutinio.

Quod si suffragia æqualia sint, *post tertium scrutinium* præses suo voto paritatem *dirimat*, aut, si præses suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine, vel prima professione, vel ætate.

290. **VIII. Electione celebrata :**

a) « Illico *intimanda* est electo, qui debet, saltem intra octiduum utile a recepta intimatione, *manifestare*

utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet ; secus, omne jus ex electione quæsitum amittit. » — *Cod., c. 175.*

b) Si electus *renuntiaverit,* « omne jus ex electione quæsitum *amittit,* etsi renuntiationis eum postea pœniteat ; sed rursus eligi potest ;

» Collegium autem, intra mensem a cognita renuntiatione, ad novam electionem procedere debet ». — *Cod., can. 176,* § *1.*

c) Acceptatione electionis « electus, si confirmatione non egeat, *plenum jus* statim obtinet ; secus, non acquirit nisi *jus ad rem* ». — *Ibid.,* § *2.*

291. **IX. Si electio confirmatione indigeat :**

a) Electus, saltem *intra octiduum* a die acceptatæ electionis, « confirmationem a competente Superiore *petere* per se vel per alium debet ; secus omni jure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione justo impedimento fuisse detentum ». — *Cod., c. 177,* § *1.*

b) Superior, si electum repererit idoneum, et electio ad normam juris fuerit peracta, « *nequit* confirmationem denegare ». — *Ibid.,* § *2.*

c) Ante acceptam confirmationem, electo « prætextu electionis non licet *sese immiscere* administrationi officii, sive in spiritualibus sive in temporalibus ; et actus ab eo forte positi *nulli* sunt ». — *Cod., c. 176,* § *3.*

Sed, « *recepta confirmatione,* electus obtinet *plenum jus* in officio, nisi aliud in jure caveatur ». — *Cod., c. 177,* § *4.*

d) « Confirmatio *in scriptis* dari debet. » — *Ibid.,* § *3.*

§ II. De postulatione

292. **I. Si electioni illius quem electores aptiorem putent ac præferant, impedimentum obstet** super quo dispensari possit ac soleat, « suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud jure caveatur, a competente Superiore *postulare,* etsi agatur de officio pro quo electus confirmatione non egeat ». — *Cod., can. 179,* § *1.*

a) *Compromissarii* postulare nequeunt « nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum ». — *Ibid.,* § *2.*

b) Ut postulatio vim habeat, « pro ea stet oportet *maior suf-*

fragiorum pars ; imo, si cum electione concurrat, saltem duæ tertiæ partes requiruntur ». — *Cod.*, *c. 180*, § *1.*

c) Suffragium pro postulatione « exprimi debet per verbum : *postulo* aut æquivalens ; formula : *eligo vel postulo*, aut æquipollens, valet pro electione, si impedimentum non exsistat, secus pro postulatione ». — *Ibid.*, § *2.*

293. **II.** « **Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ad Superiorem ad quem pertinet electionem confirmare,** si facultatem habeat ab impedimento dispensandi ; secus, ad Romanum Pontificem, aut ad alium habentem facultatem. » — *Cod.*, *c. 181*, § *1.*

Si intra præscriptum tempus postulatio missa non fuerit, « ipso facto *nulla* evadit, et electores pro ea vice privantur jure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione justo detentos fuisse impedimento ». — *Ibid.*, § *2.*

294. **III. Per postulationem nullum jus acquiritur postulato.** — Unde :

a) *Superior ecclesiasticus* non tenetur admittere postulationem, seu petitam dispensationem concedere, ut patet. — *Cod.*, *c. 181*, § *3.*

b) *Postulantes* possunt, dum postulatio Superiori præsentata non est, sententiam mutare, et ad alterius postulationem aut electionem transire.

Semel vero facta Superiori præsentatione, postulationem *revocare non possunt*, nisi consentiente eodem Superiore. — *Ibid.*, § *4.*

c) Rejecta a Superiore postulatione, « jus eligendi *ad collegium redit*, nisi electores *scienter* illum postulaverint qui tali detinetur impedimento in quo nequeat aut non soleat dispensari ; tunc enim provisio *ad Superiorem pertinet* ». — *Cod.*, *c. 182.*

295. **IV. Si postulatio admissa fuerit :**

a) Id *significetur postulato* qui debet, intra octiduum a recepta intimatione, consentire aut consensum denegare. — *Ibid.*, § *2.*

b) Posita acceptatione, « *plenum jus in officio* eidem statim acquiritur » ; nam admissio postulationis *vim confirmationis* habet. — *Ibid.*, § *3.*

§ III. De præsentatione

296. **I. Præsentatio est :** Designatio alicujus idoneæ personæ, facta per Patronum Superiori cui competit jus instituendi, ut ei de officio vacante provideat.

a) *Ex gratitudine enim Ecclesiæ* erga eos qui se liberales exhibuissent in exstruendis vel dotandis ecclesiis, concessum ipsis est jus nominandi, seu præsentandi ad ecclesiam vel beneficium vacans, clericum a Superiore instituendum.

b) Item aliquando *Sedes Apostolica*, præsertim in *Concordatis*, indultum concessit *præsentandi* seu nominandi ad ecclesiam vacantem vel beneficium vacans. — *Cf. ex. gr., Concord. Gallic. anni 1801. art. 4 et 5.*

297. **II. « Nullum patronatus jus ullo titulo constitui in posterum valide potest.** » — *Cod., c. 1450, § 1.* — Loci autem Ordinarius potest :

a) « Fidelibus qui ex toto vel ex parte ecclesias exstruxerint, vel beneficia fundaverint, *spiritualia suffragia*, eorum liberalitati proportionata, concedere vel ad tempus vel etiam in perpetuum ;

b) » Fundationem beneficii admittere *ea adjecta conditione* ut beneficium *prima vice* conferatur clerico fundatori, vel alii clerico a fundatore designato ». — *Cod., can. 1450.*

298. **III. Quod spectat ad jura jam quæsita :**

a) « Curent locorum Ordinarii ut patroni, *loco juris patronatus* quo fruuntur, aut saltem loco juris præsentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve acceptent.

» Si patroni id noluerint, eorum jus patronatus canonibus 1453-1470 regatur. » — *Cf. Tract. de rebus, ubi de beneficiorum collatione, n. 1535.*

b) Electiones ac præsentationes *populares* ad beneficia etiam parœcialia, sicubi vigent, « tolerari tantum possunt si populus clericum seligat inter tres ab Ordinario loci designatos ». — *Cod., c. 1452.*

c) Si cui Sedes Apostolica, sive in *concordatis* sive *extra concordata*, indultum concesserit præsentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans, « non inde jus patronatus oritur, et privilegium præsentationis *strictam* interpretationem pati oportet ex tenore indulti ». — *Cod., c. 1471.*

§ IV. De institutione canonica

299. **I. Ipsum officium cum jurisdictione ecclesiastica, seu jus in re,** per electionem vel præsentationem non confertur, quia « officium ecclesiasticum nequit sine *provisione canonica* valide obtineri ». — *Cod., 147, § 1.* — *Reg. 1 juris in 6°.*

a) Nomine autem canonicæ provisionis venit « concessio officii ecclesiastici a competenti *auctoritate ecclesiastica,* ad normam sacrorum canonum facta ». — *Ibid., § 2.*

Ideo *damnata est propositio :* « Laica potestas habet per se ejus præsentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a Sancta Sede institutionem et Apostolicas litteras accipiant ». — *Syll. n. 50.*

b) Omnes qui jure eligendi, præsentandi vel nominandi, legitime fruuntur « si, *neglecta auctoritate* illius cui confirmatio vel institutio competit, officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam conferre præsumpserint, suo jure pro ea vice ipso facto *privati* manent ». — *Cod., c. 2393.*

300. **II. Ab homine, vel a jure,** fieri potest *canonica institutio,* seu ipsa *collatio* officii, quæ etiam *confirmatio* appellatur.

a) Institutio *fit ab homine :* quando Superior, *actu speciali* et *de præsenti,* clericum promovet ad officium ecclesiasticum.

b) Institutio *fit a jure :* quando *lege scripta* vel *consuetudine* sancitum est electum posse immediate exercere officium ad quod vocatur, quin debeat ad Superiorem recurrere. — Cum enim lex hujusmodi nihil aliud sit quam consensus Superioris, *per actum præteritum ac stabilem datus,* rite celebrata electione, jura necessaria ad officium eo ipso conferuntur.

Hoc modo instituitur, ex. gr., *Vicarius Capitularis ;* unde ejus electio non est electio proprie dicta, sed potius *deputatio.* — *Trid., sess. 24, cap. 16, De ref.*

Item *Summus Pontifex,* cum a nemine confirmatur, nec confir-

mari possit, ipso jure divino obtinet primatum honoris et jurisdictionis in universam Ecclesiam.

c) Jus concedendi canonicam institutionem, si agatur de officiis aut beneficiis *consistorialibus,* proprium est Sanctæ Sedis ; si de *minoribus,* « Ordinarii loci, non autem Vicarii generalis sine mandato speciali ». — *Cod., can. 1466, § 2. — Cf. num. 1524.*

d) Electi, postulati, præsentati vel nominati a quibusvis personis ad ecclesiastica officia « ne confirmentur admittantur, instituantur a Superiore infra Romanum Pontificem, nisi antea fuerint a proprio Ordinario *idonei reperti,* etiam per *examen,* si id jus vel officii ratio postulet, aut Ordinarius opportunum judicaverit ». — *Cod., c. 149.*

e) « Cujuslibet officii provisio *scripto* consignetur. » — *Cod., c. 159.*

301. **III.** « **Qui beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam propria auctoritate occupaverit,** vel, ad ea electus, præsentatus, nominatus, in eorundem possessionem vel regimen seu administrationem sese ingesserit antequam necessarias *litteras* confirmationis vel institutionis *acceperit,* easque illis *ostenderit* quibus de jure debet :

a) » Sit ipso jure ad eadem *inhabilis,* et præterea ab Ordinario pro gravitate culpæ puniatur ;

b) » Per suspensionem, privationem beneficii, officii, dignitatis antea obtentæ et, si res ferat, etiam per depositionem, *cogatur* a beneficii, officii, dignitatis occupatione eorumque regimine vel administratione statim, monitione præmissa, recedere ;

c) » *Capitula* vero, *conventus* aliique omnes ad quos spectat, hujusmodi electos, præsentatos vel nominatos, ante litterarum exhibitionem admittentes, ipso facto a jure eligendi, nominandi vel præsentandi, *suspensi* maneant ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. » — *Cod., can. 2394.*

302. **IV. Provisio officii de jure non vacantis** « est ipso facto *irrita ;* nec subsequenti vacatione convalescit ». — *Cod., c. 150, § 1.*

a) « Nec *promissio* ejusdem officii, quicumque illud promiserit, ullum parit juridicum effectum. » — *Ibid.*, § *2*.

b) Sed officium de jure vacans, quod forte adhuc ab aliquo *illegitime possidetur*, « conferri potest, dummodo rite juxta sacros canones *declaratum fuerit* eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis ». — *Cod., c. 151.*

c) « Qui scienter *acceptat* collationem officii, beneficii vel dignitatis de jure non vacantis, et patiatur se in ejus possessionem immitti, sit ipso facto *inhabilis* ad illa postea assequenda, aliisque pœnis, pro modo culpæ, puniatur. » — *Cod., c. 2395.*

303. **V. Tempore debito conferenda sunt officia.**

Officiorum autem provisio cui nullus terminus fuit speciali lege præscriptus « nunquam differatur, justo impedimento cessante, ultra *sex menses* utiles ab habita notitia vacationis, firmo præscripto can. 458 », nempe nisi peculiaria adjuncta, prudenti Ordinarii judicio, collationem *tituli parœcialis* differendam suadeant. — *Cod., c. 155.*

304. **VI.** « **Nemini conferantur duo officia incompatibilia.** » — *Cod., c. 156,* § *1.*

a) Sunt incompatibilia officia « quæ *una simul* ab eodem adimpleri nequeunt ». — *Ibid.*, § *2*.

Imo, incompatibilia sunt duo *beneficia* quorum alterutrum ad honestam beneficiarii sustentationem sufficiat. — *Cod., c. 1439*, § *2*.

b) Concessio alterius officii a Sede Apostolica facta non valet « nisi *in supplici libello* mentio primi incompatibilis habeatur, aut clausula derogatoria adjiciatur ». — *Cod., c. 156,* § *3.* — *Cf. n. 1530, b.*

305. **VII. Investituræ** nomine intelligebatur usus media ætate invectus, quo Principes sæculares electis ad beneficia majora, nempe episcopatus et abbatias, tradebant *baculum pastorale* et *annulum*.

a) Poterant equidem *Prælatos investire feudis et bonis temporalibus* quæ, ex sua vel suorum prædecessorum largitate, dignitatibus ecclesiasticis erant adnexa.

Cum vero *baculus et annulus* sint *insignia jurisdictionis spiritualis Pastorum*, timendum erat ne, conferendo jura mere temporalia, ipsi viderentur officia etiam ecclesiastica conferre ; unde, a Summis Pontificibus, non quidem ipsa investitura damnata est, sed *modus* quo fiebat, traditione scilicet baculi et annuli pastoralis.

b) Damnatus quoque est *abusus cui locum dederat hæc traditio ;* quia, sub prætextu Investituræ, opprimebatur libertas electionum, et simoniacis pactionibus sæpe fœdata erat adeptio dignitatum ecclesiasticarum.

« Germani Imperatores, *ait Bossuet*, abutebantur Investituris, ut ecclesias venderent, æternæque servituti Christi Sponsam addicerent. » — *Def. declar. Gallic.*, *l. 3*, *c. 12.*

c) Querela ergo agitata erat *de re omnium gravissima*, nempe de ipsa Ecclesiæ libertate.

« Certes, dit *J. de Maistre*, ce n'était pas une vaine querelle que celle des Investitures ; le pouvoir temporel menaçait ouvertement d'éteindre la suprématie ecclésiastique ; l'esprit féodal qui dominait alors allait faire de l'Église, en Allemagne et en Italie, un grand fief relevant de l'Empereur. Le Saint-Siège seul put s'opposer au torrent.

» Les papes ne disputaient point aux empereurs l'investiture par le sceptre, mais seulement l'investiture par la crosse et l'anneau. Ce n'était rien, dira-t-on ? Au contraire, c'était tout. Et comment se serait-on si fort échauffé de part et d'autre, si la question n'avait pas été importante ? » — *Du Pape*, *liv. 2*, *chap. 7.*

d) *Conventio demum obsignata est* inter Henricum V, Germaniæ Imperatorem, et Callixtum II, *in conc. Lateran. I*, *an. 1123.*

Imperator « dimittebat Deo et Sanctis ejus Apostolis Petro et Paulo, et Sanctæ catholicæ Ecclesiæ, omnem investituram per annulum et baculum, et concedebat in omnibus ecclesiis fieri electionem et liberam consecrationem. »

Summus Pontifex vicissim concessit ut « electiones fierent in præsentia Imperatoris, et ut electus regalia per sceptrum acciperet ».

306. **VIII. Jus Regaliæ** in eo erat quod Rex, in Gallia, vacante sede episcopali, administraret bona temporalia ejusdem sedis, et omnia beneficia ecclesiastica ad Episcopi collationem pertinentia conferret, exceptis solis parœciis.

a) Accedente *consensu* Ecclesiæ, *legitimum* evadere poterat exercitium istius juris. — Unde, concilium Lugdunense II universis quidem interdixit, quantacumque dignitate præfulgerent, ne de

novo regalia usurpare conarentur ; verum regalia non abstulit iis qui « ab ipsarum ecclesiarum ceterorumque locorum *fundatione*, vel *ex antiqua consuetudine*, jura sibi hujusmodi vindicabant », modo ab illorum abusu prudenter abstinerent. — *Can. 12.*

b) *Sed abusus eo devenerat* ut beneficia, etiam quibus adnectebatur jurisdictio, conferrentur a Principe absque ullo examine prævio de idoneitate promovendorum.

Præterea hoc jus Regaliæ, ut coronæ *proprium*, et inalienabile, ad omnes Regni ecclesias extensum est per edictum an. 1673.

c) Equidem, Prælati *omnia componere voluerunt* in Comitiis anni 1682, eo modo : ut beneficia jurisdictionem adnexam habentia jam non possent a Rege conferri, cetera vero pleno jure conferret in cunctis Regni ecclesiis ; et postulaverunt ab Innocentio XI ut eam concessionem confirmaret.

d) Verum *Pontifex ægre tulit hanc Comitiorum conniventiam*, Prælatos objurgavit et eorum acta rescidit, « cum, præsertim per abusum Regaliæ, non solum everti disciplinam Ecclesiæ res ipsa doceat, sed etiam fidei ipsius integritatem in discrimen vocari facile intelligatur ex ipsis regiorum decretorum verbis, quæ jus conferendi beneficia Regi vindicant, non tanquam profluens ex aliqua Ecclesiæ concessione, sed tanquam *ingenitum* et *coævum* regiæ coronæ ». — *Innoc. XI respons. ad clerum Gallicanum.*

§ V. De titulis falsis

307. **I. Falsus titulus est ille** in quo : vel deest ipsa collatio ; vel adest quidem actus collationis, sed ex parte Superioris ex se incompetentis ; vel fuit actus collationis, et ex parte Superioris competentis, sed simul cum aliquo vitio, quo impeditur tituli reipsa existentis efficacia.

Unde *triplex* est *falsus titulus*, scilicet : putativus, invalidus, coloratus.

a) *Putativus*, seu *fictus titulus* est ille qui reipsa a *nullo Superiore* fuit concessus, sed tamen adesse putatur a communitate cujus interest.

b) *Invalidus*, seu *nullus simpliciter titulus*, est ille qui revera concessus fuit, *sed a Superiore per se*, *seu ex ipso jure*, *incompetente*, quatenus ad hoc omni potestate destituto, ita ut deficiat ipsa radix seu fundamentum collationis, *ob vitium fundamentale*, seu ob defectum auctoritatis in concedente, ab ipso jure ortum.

c) *Coloratus titulus* est ille qui revera concessus est, et quidem a Superiore per se, seu ipso jure, ad hoc competente, sed qui, *ob vitium aliquod accidentale*, seu ex facto proveniens, et tamen *occultum*, factus est inefficax, ita ut suum effectum sortiri non possit. — *Bonal, De jurisd., n. 23.*

308. II. « **In errore communi, aut in dubio positivo et probabili, sive juris sive facti, jurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo, tum interno** », modo non obstet *impedimentum juris divini ;* ne Fideles grave *detrimentum* patiantur quod sequeretur ex nullitate absolutionum, matrimoniorum, collationis beneficiorum, etc. — *Cod., can. 209.*

a) Dicitur « in errore communi » — Etenim jus canonicum utilitati communi vult providere ; porro, error vel ignorantia *paucorum* parvi refert *ad bonum publicum*, nec censetur ratio sufficiens cur recedatur a regulis generalibus et suppleatur defectus tituli ; ergo, esse debet error *communis* in loco ubi judex putativus jurisdictionem exercet.

Non obstat si *alibi* impedimentum forte cognoscatur, nec etiam si *olim* notum fuerit in loco ubi nunc judex ille degit, modo communitas sit penitus immemor hujus impedimenti. — *Icard., Prælect., num. 284.*

b) Verum error debet esse *probabilis*, ita ut non sufficiat mediocris attentio ad deprehendendum tituli vitium ; nam ignorantia crassa et supina hic æquivalet scientiæ. — *Cap. Ut animarum, 2, De constitutionibus, in 6°.*

c) Diximus « *modo non obstet impedimentum juris divini* ». Secus enim vitium tale non est *cui Ecclesia mederi possit ;* nam manifestum est eam non posse impedimentum juris naturalis vel divini tollere.

Hinc, si judex careat *usu rationis*, vel parochus *non sacerdos* sacramentaliter absolvat, gesta eorum irrita sunt et nulla absque remedio.

d) Ecclesia supplet jurisdictionem etiamsi titulus non sit coloratus sed simpliciter *putativus* aut *invalidus*, modo sit *error communis ;*

Secus enim ex errore communi grave malum pro communitate sequeretur cui providere valde conveniens est. Ideo in citato canone nulla inter varios titulos facta est distinctio.

309. **III. Quæritur utrum licitum sit uti titulo colorato, aut invalido, aut mere putativo,** adstante errore vere communi ac probabili, quando vitium non est ex jure divino aut naturali ?

Quæstio expendi potest, vel respectu *Superioris* qui non ignorat defectum tituli quo potitur, vel respectu *privati* qui noverit ejusdem tituli defectum. — Porro :

a) *Superior* qui privatim noscit se titulo tantum colorato, aut invalido, aut putativo gaudere,

1° *Valide et licite* eo uti potest in casu *necessitatis* aut *specialis utilitatis*, aut ex *causa rationabili*, qualis est, in foro pœnitentiali, si pœnitens indigeat auxilio sive consilio confessarii qui aliquo ex illis titulis pollet ; vel si complex peccati pœnitentis sit notus apud confessarium vero titulo munitum ; vel si periculum adsit ne pœnitens integre non confiteatur apud alium confessarium ; vel si urgeat præceptum confessionis, aut singularis indulgentia lucranda ; vel quia diu quis non poterit confiteri, etc. — *Cf. S. Lig., lib. 6, num. 571 et 573.*

2° *Extra casum rationabilis causæ*, idem Superior : *valide* sed *illicite*, utitur falso titulo ; — *valide* quidem, eo quod Ecclesia, ob bonum animarum, suppleat jurisdictionem, ex modo dictis ; — *illicite* autem, quia Ecclesia, etsi suppleat jurisdictionem ad præcavendum subditorum dispendium, non tamen præsumitur, justa deficiente causa, velle *meræ libertati Superiorum* connivere. — *S. Lig., loc. cit.*

Ergo, extra casum rationabilis causæ, *omnino abstinendum* est, et quamprimum ad Superiorem recurrendum, ut tituli defectus reparetur.

b) *Privatus* autem, qui non ignorat defectum veri tituli in Superiore.

1° *Valide* nihilominus uti potest illius ministerio, quia, posito errore communi vere probabili, et non obstante paucorum scientia, Ecclesia jurisdictionem supplet.

2° Sed etiam idem privatus *licite* uti potest ejusdem Superioris ministerio in casu *necessitatis* aut *utilitatis specialis*, seu *causæ rationabilis*, ex. gr. quando commode alium adire nequit.

3° At, *si facilis sit recursus ad alium Superiorem* qui vero titulo pollet, aut *si desit aliqua rationabilis causa*, abstinendum est ab illius Superioris officio ; alioquin peccaret ille privatus, atque, in foro pœnitentiali, invalida foret absolutio, defectu dispositionis in pœnitente. — *Bonal, Instit. can., tract. 2, n. 32.*

ARTICULUS II

DE REQUISITIS IN SUBJECTO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ

310. **I. In promovendis ad officia ecclesiastica requiruntur :**

a) Status *clericalis*, « quum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus Ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi ». — *Cap. 12, De rebus eccl. non alienandis.*

Neque *femina* capax est jurisdictionis, saltem de jure ecclesiastico. — *Cf. cap. 10, De pœnitentiis et remiss.*

b) Et quidem, *ille gradus hierarchiæ Ordinis* quem expostulat dignitas aut officium obtinendum. — *Cap. 14, De electione in 6°. — Cf. Trid., sess. 24, cap. 12, De ref.*

Porro « officia quæ *curam animarum*, sive in foro *externo* sive in *interno*, secum ferunt, clericis nondum *sacerdotio initiatis* conferri valide nequeunt ». — *Cod., can. 154.*

c) *Ætas* quoque sacris canonibus præscripta, pro diversitate officiorum. — *Cf. cap. Cum in cunctis, 7, De elect.*

d) *Morum honestas*, quæ in cunctis sacris Ordinibus et ministeriis ecclesiasticis omnino requiritur. — *Cit. cap. 7, De elect. — Cf. cap. 4, De ætate et qualitate præfic.*

Unde, prorsus excluduntur criminosi, infames, excommunicati, suspensi, interdicti et irregulares.

e) Et *scientia* quam *munus* exigit vel *ordo adnexus*, quia « carens litteris, sacris non potest esse aptus officiis » *(can. 1, dist. 36). — Cf. Trid., sess. 22, cap. 2, De ref. ; et sess. 24, cap. 1 et 12, De ref.*

Hæc scientia, pro adeptione quorumdam officiorum, probanda est per lauream *Doctoratus* vel *Licentiam* in sacra Theologia aut in Jure canonico, vel publicum alicujus Academiæ testimonium.

« Quanquam desideranda sit *eminens* scientia in Pastore, in eo tamen *competens* toleranda » est *(cap. Nisi, 10, De renunt.).* — Porro, scientia illa dicitur *eminens*, qua quis potest statim difficul-

tates, quæ pro diverso muneris gradu occurrunt, solvere. Scientia vero *competens*, vel *sufficiens*, ea est qua in facilibus et ordinariis recte respondere potest, et in difficilibus dubitare et consulere.

f) Præter illas quæ jure communi in promovendis requiruntur, *exigi* quandoque possunt *et aliæ qualitates*, ex privilegio, statuto, vel lege fundationis beneficii ; ex. gr., Ordo major in beneficio simplici, vel gradus academicus, etc. — *Cf. Trid., sess. 25, cap. 5, De ref., et Cod., c. 153, § 1.*

g) Officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis « nequit ab Ordinario qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit, valide conferri *suis* aut *resignantis familiaribus, consanguineis, affinibus*, usque ad secundum gradum inclusive ». — *Cod., c. 157.*

311. **II. Neque sufficit assumere simpliciter dignum, sed dignior est eligendus ;** ideoque « assumatur *magis idoneus* sine ulla personarum acceptione ». — *Cod., can. 153, § 2.*

a) *Concilium Tridentinum* « omnes et singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus, quacumque ratione, a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant..., hortatur et monet ut, in primis, meminerint nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque, *alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare,* nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint ». — *Sess. 24, cap. 1, De ref. — Cf. Leonis XIII constit. Immortalis memoriæ, 11 kal. oct. 1878.*

Et *Innocentius XI* sequentem propositionem *damnavit :* « Cum dicit concilium Tridentinum eos peccare..., etc., concilium : vel primo, per hoc *digniores* videtur non aliud significare nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo ; vel secundo, locutione minus propria, ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos ; vel tandem loquitur, tertio, quando fit concursus ». — *Prop. 47 inter damnatas.*

b) *Major dignitas* non præcise *mensuranda est* ex

majori doctrina, vel majori vite probitate, aut generis nobilitate, sed *conjunctim ex omnibus animæ et corporis dotibus,* ipsaque aptitudine ad regendum, adeo ut, *omnibus insimul consideratis,* ecclesiæ sive prælaturæ cui præficitur, ceteris utilior fore credatur. — *Reiff., loc. cit., n. 236.*

Unde, « ille qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter, quod est secundum charitatem, sed *meliorem quoad regimen ecclesiæ,* qui scilicet possit ecclesiam et instruere et defendere, et pacifice gubernare ». — *S. Thom., 2. 2, qu. 185, art. 3.*

312. **III. Si quis careat qualitalibus requisitis :**

a) « Provisio est *nulla* si ita cautum sit jure communi, vel particulari, aut lege fundationis ;

b) » Secus est *valida,* sed per sententiam a legitimo superiore *irritari* potest ». — *Cod., c. 153, § 3.*

c) Clerici vel laici qui indignum *scienter* præsentaverint vel nominaverint, « jure præsentandi vel nominandi ipso facto pro ea vice carent ». — *Cod., c. 2391, § 3.*

ARTICULUS III

DE RESTRICTIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ

Jurisdictio ordinaria restringi potest *triplici modo,* nempe *exemptione, reservatione* et *appellatione.*

313. **I. Exemptio** est : Privilegium quo certa persona, vel communitas, aut locus, jurisdictioni inferioris Ordinarii subtrahitur, ut *immediate* pendeat a superiori Prælato.

Validitatem exemptionum nemo negare potest qui gradus diversos jurisdictionis agnoscit in Ecclesia, quorum inferiores a superioribus dependeant.

Earum vero *utilitatem* expendemus ubi de Religiosorum exemptione. — *Cf. n. 1314, sq.*

314. **II. Reservatio** est : Actus quo jurisdictioni ordinariæ permanenter subducitur aliqua materia, quam Superior sibimetipsi, vel alteri, *privative* attribuit.

a) Reservationes admittendæ sunt *tanquam consectaria* divinæ constitutionis Ecclesiæ.

Et « merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi i Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores su potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc iden Episcopis omnibus, in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supr reliquos inferiores sacerdotes auctoritate ». — *Trid.*, *sess. 14 cap. 7*, *De Pœnitentia*.

b) Reservationes cadunt in jurisdictionem sive *fori interni*, sive *fori externi*.

Jurisdictio fori interni restringitur per reservationem certorum peccatorum, a quibus absolvere potest, au solus Superior, aut is quem ipse deputaverit.

Jurisdictio fori externi, sive voluntaria sit, sive conten-tiosa, limitatur per eas leges quibus reservantur negotia magni momenti, aut quædam causæ majores, ex. gr. causæ criminales Episcoporum, etc.

315. **III. Appellatio est :** Provocatio a judice infe-riore ad judicem superiorem, ratione gravaminis illati, vel inferendi.

a) Appellatio *duplex* est, *judicialis* una, et *extra-judicialis* altera, prout appellatur a gravamine in judicio vel extra judicium illato.

Verum appellatio extrajudicialis non est proprie dicta appellatio sed potius provocatio ad causam, quæ naturam habet simplicis *querelæ*, seu *recursus*, absque ullo effectu suspensivo. — *Cf. cap Cum sit Romana*, *5*, *De appellat.*

b) *Effectus appellationis*, vel mere *devolutivus* est, vel etiam *suspensivus*.

1° *Quælibet appellatio*, rite facta, producit *effectum devolutivum ;* scilicet, integra causa remittitur ad judicem ad quem appellatur, ut is, cognita justitia appellationis, possit causam principalem cum suis accessoriis exami-nare, et, si opus fuerit, novam sententiam ferre.

2° *Appellatio judicialis* habet etiam *regulariter*, seu quoties non excipitur, *effectum suspensivum :* nempe ligat jurisdictionem judicis *a quo*, ita ut ad exsecutionem

ntiæ a se latæ procedere non possit ; dum, e contra, llatio a gravamine extrajudiciali non est regulariter ensiva, sed devolutiva tantum.

16. **IV. Appellatio ab abusu** *(appel comme d'abus)* nuncu- recursus ad magistratum sæcularem, sub prætextu exces- ive abusus, in exercitio potestatis ecclesiasticæ.

) Hæc olim vigebat in *Gallia*, ad tramitem articuli sexti inter icos, qui, per legem Separationis et ipsi abrogati sunt.

) Cum vero « Ecclesia imperio civili non possit haberi infe- ut eidem esse ullo modo obnoxia » *(Leonis XIII enc. Immor- Dei, 1 nov. 1885)*, et proinde nulla Principi temporali sit con- jurisdictio in res et personas ecclesiasticas, neque ad eum eat definire limites potestatis ecclesiasticæ *(cf. num. 19, sq.)*, o contra prædictum articulum *reclamavit* cardinalis Caprara, *stola ad D. de Talleyrand.*

) Damnata quoque est *in Syllabo* propositio 41 : « Civili po- i.... competit.... jus appellationis quam nuncupant *ab abusu* ».

) Et pœna *excommunicationis, speciali modo Romano Pon- reservatæ*, plectuntur : « Qui impediunt directe vel indirecte itium jurisdictionis ecclesiasticæ, sive interni, sive externi ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ». — *c. 2334, § 2.*

ARTICULUS IV

DE AMISSIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ

oluto quovis modo jure Superioris a quo fuerat concessum, cium ecclesiasticum non amittitur nisi lex aliter caveat, aut i in concessione habeatur clausula : *ad beneplacitum nostrum*, alia æquipollens. » — *Cod., c. 183, § 2.*
amissio jurisdictionis fieri potest : vel per *spontaneam* officii ignationem ; vel, *Superioris voluntate*, per translationem aut vationem. Amittitur quoque *lapsu temporis præfiniti.*
lericum ad officium *elegerunt* vel postulaverunt aut præsenta- unt, « nequeunt eumdem officio privare, aut ab eo revocare amovere, aut ad aliud transferre ». — *Cod., c. 195.*

§ 1. De renuntiatione

317. **I. Renuntiatio est :** Libera cessio officii vel ficii ecclesiastici, justis de causis facta, coram legi-

timo Superiore, eam acceptante. — Quandoque *dimiss*
vel *resignatio* appellatur.

Dividitur renuntiatio, ratione modi quo emittitur : i
expressam et *tacitam*.

a) *Expressa* est cum quis proprium officium i
manibus Superioris remittit.

1° Renuntiatio, *ut valida sit*, fieri debet a renuntian
« aut scripto aut oretenus coram duobus testibus, a
etiam per procuratorem speciali mandato munitum ;
scriptum renuntiationis documentum in Curia depon
tur ». — *Cod., c. 186.*

2° Renuntiatio ex metu gravi injuste incusso, dolo a
errore substantiali, vel simoniace facta, « irrita est ip
jure ». — *Cod., c. 185.*

Quod si metus fuerit *juste incussus*, et resignatio facta, ex. g
ad vitandas pœnas canonicas, nullitate infecta haberi nequit,
quod admissa sit ad majora mala vitanda. — *Cf. decis. S. C. C*
24 apr. 1880.

b) *Tacita renuntiatio* est quæ consequitur ex aliqu
facto quod renuntiationem importat.

Porro, ob tacitam renuntiationem, ab *ipso jure* admi
sam, « quælibet officia vacant *ipso facto* et sine ulla decl
ratione, si clericus :

» 1° *Professionem religiosam* emiserit, salvo, circ
beneficia, præscripto can. 584 *(cf. n. 1235, c)* ;

» 2° Intra tempus utile jure statutum vel, deficient
jure, ab Ordinario determinatum, de officio provis
illud adire neglexerit ;

» 3° Aliud oficium ecclesiasticum cum priore *incom*
patibile acceptaverit, et ejusdem pacificam possessione
obtinuerit ;

» 4° A fide catholica publice defecerit ;

» 5° Matrimonium, etiam *civile* tantum ut aiunt, co
traxerit ;

» 6° Contra præscriptum can. 141, § 1 *militiæ sæcu*
lari nomen sponte dederit ;

» 7° *Habitum ecclesiasticum* propria auctoritate sin

sta causa deposuerit, nec illum, ab Ordinario monitus, :ra mensem a monitione recepta, resumpserit ;

» 8º *Residentiam,* qua tenetur, illegitime deseruerit, receptæ Ordinarii monitioni, legitimo impedimento n detentus, intra congruum tempus ab Ordinario æfinitum, nec paruerit nec responderit ». — *Cod., c. 188.*

318. **II. Renuntiare potest** officio vel beneficio :lesiastico, justa de causa, quilibet clericus sui compos, ıisi *speciali prohibitione* renuntiatio sit ipsi interdicta ». *Cod., c. 184.*

a) Hæc generalis facultas ipso jure conceditur, tum ob *com-dum ecclesiarum,* quarum bono regimini utile, aut etiam quan-que necesse est fieri resignationem, tum ob *propriam salutem ignantis,* qui resignando periculum animæ aut corporis vitare iderat.

b) Unde, non solum *clerici inferiores,* sed et *Episcopi* et *Car-ales,* imo et *Summus Pontifex,* valide renuntiare possunt, quod ıfirmatur exemplo S. Cœlestini « qui oneri pariter et honori untarie cessit ». — *Cf. cap. 1, De renuntiatione, in 6º.*

319. **III. Certis in casibus resignatio prohibetur.**

a) Ordinarius ne admittat resignationem beneficii :lerico in *majoribus ordinibus* constituto factam, « nisi ıstet eum necessaria ad *honestam sustentationem* unde habere ». — *Cod., c. 1484.*

b) Item dimissio beneficii *cujus titulo* clericus *linatus fuit* « irrita est, nisi expressa mentio fiat cle-um illius titulo promotum fuisse, eidemque de consensu dinarii alium legitimum ordinationis titulum substi-isse ». — *Cod., c. 1485.*

Ratio a Tridentino concilio adsignata est, ne scilicet ii qui divino ıisterio adscripti sunt, « *cum Ordinis dedecore* mendicare aut didum aliquem quæstum exercere » cogantur. — *Trid., XXI, 2, reform.*

c) Dimissionem beneficiorum *in commodum aliorum,* l sub aliqua conditione quæ ipsam beneficii provisio-m aut redituum erogationem attingat, « Ordinarius

admittere nequit, nisi in casu quo beneficium sit *litigiosum*, et dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius ». — *Cod., c. 1486.*

320. IV. **Renuntiatio generatim, ut valeat, « ei fieri debet a quo est acceptanda,** vel, si acceptatione non egeat, a quo clericus *officium accepit* vel qui ejusdem locum tenet ». — *Cod., c. 187, § 1.*

a) Quare, si officium per confirmationem, admissionem vel institutionem collatum fuerit, « renuntiatio fieri debet Superiori ad quem *de jure ordinario* confirmatio, admissio vel institutio spectat ». — *Ibid., § 2.*

b) Superiores « sine *justa* et *proportionata causa* renuntiationes ne acceptent ». — *Cod., c. 189, § 1.*

Renuntiationem Ordinarius loci « *intra mensem* vel admittat vel rejiciat ». — *Ibid., § 2.*

c) *Summus Pontifex,* qui in terra Superiorem non habet, libere renuntiare potest, et « ad ejusdem renuntiationis validitatem non est necessaria Cardinalium aliorumve acceptatio ». — *Cod., c. 221.*

d) Clericus qui *in manibus laicorum* officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare præsumpserit, « ipso facto in *suspensionem* a divinis incurrit ». — *Cod., c. 2400.*

321. **V. Renuntiatione legitime facta et acceptata**

a) Officium vacat « postquam renuntianti *significata est* acceptatio ». — *Cod., c. 190, § 1.*

b) « Nec datur amplius *pœnitentiæ locus,* licet renuntians possit officium ex alio titulo consequi ». — *Cod., can. 191, § 1.*

c) Renuntians autem « in officio *permaneat* donec de Superioris acceptatione certum nuntium acceperit ». — *Cod., c. 190, § 2.*

d) Acceptata renuntiatio « tempestive nota fiat *iis qui aliquod jus* in beneficii provisionem habent ». — *Cod., can. 191, § 2.*

322. **VI. Permutatio duorum beneficiorum :**

a) Fieri valide nequit « nisi propter Ecclesiæ *neces-tem* vel *utilitatem*, aliave *justa de causa*, sine aliorum rimento, de consensu patroni si agatur de beneficio juris ronatus, et Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis e peculiari mandato, nec Vicarii Capitularis, et servato escripto can. 186 ». — *Cod., c. 1487, § 1.* — *Cf. n. 317.*

b) « Ordinarius *intra mensem* consensum præstet deneget ; et permutatio valet a momento consensus Ordinario præstiti ». — *Ibid., § 2.*

c) Beneficiorum permutatio « admitti nequit ab dinario si utrumque aut alterutrum beneficium sit li Apostolicæ *reservatum* ». — *Ibid., § 3.*

d) Si beneficia permutanda *inæqualia* sint, « nequeunt *npensari* reservatione fructuum aut præstatione pecuniæ cujusque rei pretio æstimabilis ». — *Cod., can. 1488, § 1.*

e) « Permutatio fieri nequit inter plures quam *duos* neficiarios ». — *Ibid., § 2.*

§ II. De translatione

323. **I. Translatio est :** Personæ ecclesiasticæ de uno cio ad aliud officium, seu de una ecclesia ad aliam lesiam canonica mutatio, justis ex causis.

Jnde *duo importat*, nempe cessationem simul et adep-nem jurisdictionis, quia involvit duplicem terminum, *uo* et *ad quem*.

a) In translatione prius officium vacat « cum cleri- alterius *possessionem* canonice capit, nisi aliud a jure tum sit vel a legitimo Superiore præscriptum ». — *l., c. 194, § 1.*

b) « *Reditus* prioris officii translatus percipit, donec d occupaverit. » — *Ibid., § 2.*

324. **II. Translatio ab uno ad aliud officium ecclesias-m « ab eo tantum perfici potest** qui jus habet tum *eptandi* renuntiationem, tum removendi a primo cio et *promovendi* ad alterum ». — *Cod., c. 193, § 1.*

Omnimoda enim confusio oriretur, in ruinam ipsius societat cuique liberum esset officium suum derelinquere, ad aliud mendum propria auctoritate.

325. **III. Causa :**

a) « Quælibet justa » sufficit si translatio « de *sensu* clerici fiat ».

b) Verum « si *invito clerico,* eadem fere causa re ritur idemque procedendi modus ac pro *privati* firmo præscripto can. 2162-2167, quod ad translatio attinet parochorum ». — *Cod., c. 193,* § *2.*

c) De modo procedendi in translatione paro rum, *cf. num. 1170, sq.*

§ III. De privatione

Privatio est : Actus Superioris ecclesiastici quo cler suo officio destituitur. — Potest *extrajudicialiter* fieri, *servata judicii forma,* vel *ipso jure* induci.

326. **I. Extrajudicialiter** fit revocatio illius qui cium habet *amovibile* ad nutum concedentis.

a) Ideoque « privatio decerni ab Ordinario pc *ex qualibet justa causa,* prudenti ejus arbitrio, etiam delictum, naturali æquitate servata ; et certum pr dendi modum sequi minime tenetur ». — *Cod., c. 192,*

Et si quis se gravatum præter æquitatem arbitretur, ut, ex. g ex odio vel malitia quisque amotus fuerit, aut remotio ced infamiam revocati, vel ipsi damnum inferat ab amissione ben diversum, « ab Ordinarii decreto datur recursus ad Sedem Ap licam, sed in *devolutivo* tantum ». — *Ibid.*

b) Attamen *parochus,* etiam amovibilis, nequit a parœcia amoveri « nisi ex justa et *gravi* causa, ad mam can. 2147 ». — *Cod., c. 2157.* — *Cf. n. 1166.*

c) Privatio « effectum non habet nisi postq fuerit a Superiore intimata ». — *Cod., c. 192,* § *3.*

327. **II. Processus ad normam juris** requiritur privandum officiis *inamovibilibus,* id est in perpet collatis. — Scilicet :

Ob quædam delicta prævisa in jure, pœna pri-
is, *instituto judicio* de crimine, per sententiam
infligenda est.

Ob causam quæ ejus ministerium *citra gravem*
culpam noxium aut saltem inefficax reddit, paro-
etiam inamovibilis, a sua parœcia amoveri potest,
to speciali procedendi modo. — *Cf. n. 1158.*

28. **III. Ipso jure inducitur privatio** propter quædam
ra crimina, quibus admissis, clericus officio suo
itur absque ulla sententia judicis *condemnatoria.*
tamen delictum sit adeo notorium ut nulla ratione
ari possit, remanet juridice probandum, et requi-
proinde sententia judicis *declaratoria*, qua nempe
t tale delictum fuisse patratum quod ipso jure
ionem importat.

29. **IV. Si quis in detinendo officio, beneficio, digni-
non obstante legitima privatione aut remotione,
at,** aut, ne ea dimittat, moras illegitime nectat,
præmissa monitione, deserere *cogatur* per suspen-
a divinis aliasve pœnas, depositione, si res ferat,
clusa ». — *Cod., c. 2401.*

CAPUT XII

DE JURISDICTIONE DELEGATA

Delegare in genere : idem est ac alium in locum suum substitu seu vices suas eidem committere. — Unde, delegatus existit qui, non munere proprio, sed ex commissione, vel *ipsius ju* vel *alterius hominis*, immediate vel mediate facta, jurisdiction exercet. — *Cf. n. 62.*

Subdelegatio dicitur : actus ipsius delegati quo potestatem sibi m datam alteri committit, et est proinde *mediata* delegatio.

Delegatio datur : vel *ad universitatem negotiorum*, saltem in alic genere, vel *ad certas particulares causas.*

Et fieri potest aliquando : vel ratione *dignitatis* quam aliquis ol net, vel ratione *specialis industriæ.* ob quam eligitur persona.

ARTICULUS I

DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS DELEGATÆ

330. **I. Delegatio fit : vel a jure, vel ab homine.**

a) *Delegati a jure* sunt illi qui jurisdictionem hab ex commissione juris communis.

b) *Delegati ab homine* ideo sic dicuntur quia de gationem suam immediate habent ab homine, seu judi vel Superiore jurisdictionem ordinariam habente.

331. **II. Possunt jurisdictionem suam ex toto ex parte delegare :**

a) Omnes qui potestatem habent *ordinariam,* « r aliud expresse jure caveatur ». — *Cod., c. 199, § 1.*

Nam, ut fert regula 68 juris, in 6° : « *Potest quis per alium q potest facere per seipsum*».

Consonat alia regula 72 juris, in 6° : « *Qui facit per alium, perinde ac si faciat per seipsum* ».

b) Sed « potestas *ordinis,* a legitimo Superiore ecc siastico sive adnexa officio sive commissa perso

, aliis demandari, nisi id expresse fuerit jure vel o concessum ». — *Cod., c. 210.*

32. **III. Subdelegare possunt :**

) Delegati *Summi Pontificis,* propter eminentiam ıæ delegantis. — *Cap. 43, De offic. jud. deleg.*
ɔ potestas jurisdictionis ab Apostolica Sede dele- subdelegari potest, sive ad *actum* sive *habitualiter,* lecta fuerit industria personæ, aut subdelegatio ɔita ». — *Cod., c. 199, § 2.*

) Delegati ad *universitatem negotiorum* ab eo qui Romanum Pontificem potestatem ordinariam t ; sed « *in singulis casibus* » tantum subdelegare ıt. — *Ibid., § 3.*

) In *aliis casibus,* potestas jurisdictionis delegata lelegari potest tantummodo ex concessione *expresse* ; sed articulum aliquem non jurisdictionalem, sine expressa commissione, judices delegati pos- ubdelegare ». — *Ibid., § 4.*

) Nulla subdelegata potestas potest *iterum subdele-* nisi id expresse concessum fuerit ». — *Ibid., § 5.*

33. **IV. Possunt delegari :** omnes qui capaces sunt ictionis ecclesiasticæ, quique ad eam exercendam sunt. — *Cap. 2, De judic., et cap. 41, De off. deleg.*

) Ordinarius causam ad se spectantem delegare *non subdito,* qui tamen *invitus cogi nequit* ad accep- m delegationem, cum « extra territorium jus dicenti areatur impune ». — *Cap. 2, De constit. in 6°.*

) *Subditus* vero delegantis *compelli potest* ad accep- m delegationem, ne alioquin inutilis videatur esse ictio, ac potestas delegandi, competens judici ırio, sive delegato Principis.

men, Summi Pontificis delegatus « debet sollicite providere ɔersonis superioribus, exigente necessitate, negotium duxerit ıdum, in coactionibus inferendis dignitati deferat et perso- — *Cap. Pastoralis, 28, De officio judicis delegati.*

334. **V. Plures delegari possunt,** vel *in solidum,* ita ut *collegialiter* agant.

a) Si fuerint *in solidum* deputati, « qui *antea* ne tium occupavit, alios ab eodem excludit, nisi, aut p hac impediatur, aut nolit ulterius in negotio proceder — *Cod., c. 205,* § *2.*

b) Pluribus *collegialiter* delegatis, « omnes sir pro actorum validitate, in negotio expediendo procec debent, nisi in mandato aliud cautum sit ». — *Ibid.,*

c) Si *dubitetur* utrum delegatio facta fuerit in s dum an collegialiter, « præsumitur facta in solidum ii voluntaria, collegialiter in re judiciali ». — *Ibid.,* § *1.*

d) Pluribus *successive* delegatis, « ille negot expedire debet cujus mandatum anterius est, nec po riore rescripto expresse abrogatum fuit ». — *Cod., c.*

335. **VI. « Delegatus qui, sive circa res sive circa sonas, mandati sui fines excedit, nihil agit. »** — *C can. 203,* § *1.*

Hos tamen excessisse non intelligitur delegatus « *alio modo* ac deleganti placuerit, ea ad quæ delegatus peragit, nisi *modus ipse* fuerit a delegante *præscri* tanquam conditio ». — *Ibid.,* § *2.*

336. **VII. Si quis Superiorem adit, inferiore præ misso,** « non idcirco voluntaria suspenditur inferi potestas, sive hæc *ordinaria* fuerit, sive *delegata ;*

» Attamen rei ad Superiorem delatæ *ne se immis* inferior nisi ex gravi urgentique causa, et in hoc c statim Superiorem de re moneat ». — *Cod., c. 204,* § *1*

337. **VIII. « Ei qui se delegatum asserit, incu onus probandæ delegationis. »** — *Cod., c. 200,* § *2.*

Debet quoque delegatus eo modo mandatum s exsequi quo sufficienter indicetur rem peragi *auctor delegata,* ne videatur agere nomine jureque proprio, c vices supplet Superioris, potestate ab eo accepta. *Cf. c. 1057.*

ARTICULUS II

DE AMISSIONE JURISDICTIONIS DELEGATÆ

Cessat potestas delegata, non solum « cessante *causa* *inali* delegationis », sed et :

338. **I. « Revocatione delegantis » aut « renuntiatione lelegati. »** — *Cod., c. 207, § 1.*

Cum enim judex ordinarius, in concessione jurisdictionis, utatur *ure suo*, ac quasi *re propria*, poterit, pro arbitrio suo, jurisdictioıem suam, tam *contentiosam* quam *voluntariam*, tam in foro *interno* uam *externo* concessam, revocare.

a) *Revocatio* autem debet esse delegato « *directe* *ntimata* ». — *Ibid.*

Ratio est : quia « omnis res, per quascumque causas nascitur, per asdem dissolvitur » *(regula 1 juris) ;* atqui, jurisdictio non *acquiriur* delegato vel subdelegato nisi post debitam ejus intimationem, eu præsentationem litterarum delegationis ; ergo, nec *aufertur* iisi legitima revocationis intimatione.

b) Item *renuntiatio* debet esse « deleganti directe *ntimata* et ab eodem *acceptata* ». — *Ibid.*

c) Pluribus *collegialiter* delegatis, si unus deficiat, *aliorum* quoque delegatio *exspirat*, nisi aliud ex tenore lelegationis constet ». — *Cod., c. 207, § 3.*

339. **II. « Elapso tempore, aut exhausto numero asuum pro quo concessa fuit. »** — *Ibid., § 1.*

a) Delegatio facta usque *ad beneplacitum delegantis*, xspirat per ipsius mortem, cum eo ipso beneplacitum jus exstinguatur. — *Cf. Cod., c. 183, § 2.*

b) Sed, potestate pro *foro interno* concessa, « actus er inadvertantiam positus, elapso tempore vel exhausto asuum numero, *validus* est ». — *Cod., c. 207, § 2.*

340. **III. « Expleto mandato. »** — *Cod., c. 207, § 1.*

« Ex quo (enim) judex delegatus, par se vel alium, entientiam exsecutioni mandavit, ejus auctoritas et

jurisdictio cessat, quia semel est suo officio functus. » — *Cap. In litteris, 9, De officio judicis delegati.*

Attamen « exsecutori fas est, si quomodolibet in rescriptorum exsecutione erraverit, *iterum* eadem exsecutioni mandare ». — *Cod., c. 59, § 1.*

341. **IV.** « **Non exstinguitur autem resoluto jure delegantis,** nisi aliud ex additis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis et res adhuc integra sit ». — *Cod., c. 207, et 61.*

Ideo morte concedentis non exspirat jurisdictio delegata *ad absolvendum*, nisi aliud ex adjectis clausulis appareat.

TRACTATUS II

DE CLERICIS IN GENERE

istinctionem *laicorum* et *clericorum* ex *jure divino* repetendam esse, nec non duplicem *Ordinis* et *Jurisdictionis* hierarchiam, diximus ubi de vera Ecclesiæ constitutione, *n. 40, sq.*

ic agendum est : de institutione clericorum in Seminariis episcopalibus ; — de sacra Ordinatione ; — de vita et honestate clericorum, eorum privilegiis.

CAPUT I

DE INSTITUTIONE CLERICORUM IN SEMINARIIS EPISCOPALIBUS

bi : de juribus Ecclesiæ quoad proprias clericorum scholas ; — de Seminariorum erectione et administratione ; — de admissione et institutione alumnorum ; — et de studiorum Universitatibus.

ARTICULUS I

DE JURIBUS ECCLESIÆ QUOAD INSTITUTIONEM CLERICORUM

342. **I. Ecclesia jus, et quidem divinum, habet** ad ea ıæ sibi necessaria sunt ut finem suum assequatur ; et, in lhibendis hisce mediis, *nullatenus pendet* ab alia quaımque potestate. — *Cf. n. 19, sq.*

Atqui, Ecclesiæ nihil magis necessarium est quam ut optimorum sacerdotum sobolescat copia, qui, virtutum nnium ornatu fulgentes, ac sana solidaque pollentes ctrina, valeant proprii ministerii muneribus pie scique perfungi, christianam plebem sedulo erudire, aniarum saluti accurate consulere, errantes ad veritatis

et justitiæ semitam reducere, ac Dei et Sanctæ Ecclesiæ causam strenue scienterque defendere ». — *Pii IX litter. Cum Romani, 27 jun. 1853.*

Ergo Ecclesia, *absque Gubernii civilis assensu*, personas quas aptas judicat ad sacra munera exercenda, eligere potest, et in propriis Seminariis instituere, ut sibi de idoneis ministris provideat. — *Cf. Leonis XIII encyc. Jam pridem, 6 jan. 1886.*

343. **II. Ecclesiæ est « jus proprium et exclusivum** eos instituendi qui *ecclesiasticis ministeriis* sese devovere cupiunt ». — *Cod., c. 1352.*

a) Profecto, ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem unice pertinet, *proprio ac nativo jure*, dirigere *theologicarum* rerum doctrinam. — *Cf. Syll., prop. 33.*

« Ac sane, si ab iis quibus dictum est : *docete omnes gentes*, religionis doctrinam homines debent excipere, *quanto validiori jure* ad Episcopos cura pertinet, ea quam potiorem duxerint ratione, eorumque docentium ope quos maxime probaverint, sanæ doctrinæ pabula tradendi *iis qui*, *pro suo ministerio*, *sal terræ futuri sunt*, et pro Christo apud homines legatione functuri ? » — *Enc. cit.*

b) Sed, in his etiam quæ ad sacram doctrinam *mediate* tantum spectant, methodus studiorum in Seminariis clericorum adhibenda, *civili auctoritati nullatenus subjicitur*, prout *independens* Ecclesiæ regimen expostulat. — *Syll., prop. 46.*

Jure igitur Ecclesia scholas sibi proprias habet, quas *Seminaria minora* vocant, ut pueris, quos Deus singulari beneficio ad sacerdotalem ordinem vocavit, tum necessariam *instructionem*, tum specialem *educationem* procuret ; et proprium officium Episcoporum est *Magistros* deputare, *libros* eligere, totamque *rationem studiorum* et *vitæ disciplinam* in præfatis scholis determinare. — *Cf. Leonis XIII enc. Jam pridem.*

ARTICULUS II

DE SEMINARIORUM ERECTIONE ET ADMINISTRATIONE

344. **I. « Unaquæque diœcesis, in loco convenienti ab Episcopo electo,** *Seminarium* seu collegium habeat in

pro modo facultatum et diœcesis amplitudine, cer-
adolescentium numerus ad statum clericalem insti-
ur. » — *Cod., c. 1354.*

ninaria clericorum, usque ab initio, tantæ *utilitatis* ad Ecclesiæ
linam visa sunt, ut *Patres Tridentini*, cum de iis constituen-
sess. XXIII, cap. 18 decretum confecissent, affirmare non
arint : et sacrosanctam Synodum, hac re una peracta, si
aliud egisset, bene meruisse de Ecclesia, et ipsos communium
um suorum pretium tulisse.

vera « *spes* frequentis cleri et sacerdotum qui apte in Christi
laborent, tota est in sacro Seminario ubi adolescentium animi
ncta rite formentur, tum scientiarum studio, tum maxime
itio virtutum ». — *Bened. XV litt. ad Deleg. Apost. Cubanum,*
r. 1917 (Acta, IX, 263).

a) « Curandum ut, in majoribus præsertim diœ-
us, *bina* constituantur Seminaria : *minus*, scilicet,
pueris litterarum scientia imbuendis, *majus* pro
nis philosophiæ ac theologiæ vacantibus. » — *Cod.,*
1354, § 2.

de commendata est, a Leone XIII et Pio X, hæc utriusque
iarii separatio, ita tamen ut Seminarii sint « gelosamente man-
i nello *spirito proprio*, e rimangano *exclusivamente* destinati
parare i giovani, non a civili carriere, ma all' alta missione
nistri di Cristo », — *Pii X enc. Pieni l'animo, 28 jul. 1906.*
. Leonis XIII enc. ad Episcopos Italiæ, 8 dec. 1902 ; et enc.
is le jour, ad Episcopos Galliæ, 8 sept. 1899, § Quant aux petits
aires. — Cf. Pii X constit., In præcipuis. 29 jun. 1913 (Acta,
7) ; et motu proprio Ubi primum, 6 jan. 1914 (Acta, VI, 1).
leditus *legati* pro clericis instituendis tribui possunt alumnis
minarium sive *majus* sive *minus* receptis, licet nondum cleri-
onsura initiatis, nisi aliud in tabulis fundationis expresse
tur. » — *Cod., c. 1362.*

b) « Si constitui Seminarium *diœcesanum* nequeat,
in constituto Seminario conveniens institutio, præ-
n in philosophicis ac theologicis disciplinis, desi-
ur, Episcopus alumnos in *alienum* Seminarium
t, nisi Seminarium *interdiœcesanum* vel *regionale*,
ritate apostolica, constitutum fuerit. » — *Cod.,*
1354, § 3. — Cf. Trid. sess. XXIII, cap. 18, De ref.

« Seminarii interdiœcesani vel regionalis regimen universum et administratio regitur normis a *Sancta Sede* statutis. » — *Cod., can. 1357*, § *4*.

c) « Curandum ut ad sacros ordines adspirantes *inde a teneris annis* in Seminario recipiantur ; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per *integrum sacræ theologiæ curriculum*, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata ejus conscientia, dispensaverit. » — *Cod., c. 972*, § *1*.

« Qui ad ordines adspirant et *extra Seminarium* legitime morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet. » — *Ibid.*, § *2*.

d) « Dent operam sacerdotes, præsertim parochi, ut pueros, qui indicia præbeant ecclesiasticæ vocationis, peculiaribus curis *a sæculi contagiis arceant*, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant, divinæque in eis vocationis germen foveant. » — *Cod., c. 1353*.

345. **II.** « **Pro constitutione Seminarii et alumnorum sustentatione,** si proprii reditus deficiant,

a) » Episcopus potest : 1° Parochos aliosve ecclesiarum etiam exemptarum rectores jubere ut statis temporibus in ecclesia ad hunc finem *stipem* exquirant ; 2° Tributum seu *taxam* in sua diœcesi imperare ; 3° Si hæc non sufficiant, attribuere Seminario aliqua beneficia simplicia. » — *Cod., c. 1355*. — *Cf. Trid., loc. cit.*

b) » *Tributo pro Seminario obnoxia sunt*, quavis appellatione remota, reprobata qualibet contraria consuetudine, et abrogato quolibet contrario privilegio : *mensa episcopalis*, omnia *beneficia* etiam regularia aut jurispatronatus, *parœciæ* aut quasi-parœciæ, quamvis alios reditus, præter fidelium oblationes, non habeant, *domus hospitalis* auctoritate ecclesiastica erecta, *sodalitates* canonice erectæ et fabricæ ecclesiarum, si suos reditus habeant, quælibet *religiosa domus*, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat, aut in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promovendum actu habeatur.

c) » Hoc tributum debet esse generale, *ejusdemque proportionis* pro omnibus, majus vel minus secundum Seminarii necessitatem, sed quinas quotannis centesimas partes (5 °/o) reditus vectigalis non excedens, minuendum prout reditus Seminarii augentur.

d) » Reditus tributo obnoxius *is est* qui, *deductis oneribus* et necessariis expensis, supersit in anno ;

» Nec in eo reditu computari debent *distributiones quotidianæ*, vel, si omnes beneficii fructus distributionibus constent, tertia earundem pars ; nec *fidelium oblationes*, nec, si omnes parœciæ reditus coalescant fidelium oblationibus, tertia earundem pars. » — *Cod., c. 1356.*

e) Petentibus Episcopis indulta quandoque conceduntur ut Seminariorum paupertati consulatur.

Ex. gr., S. Congregatio Concilii nonnullis permisit ut cum omnibus suarum diœcesium parochis, super obligatione applicandi Missam pro populo *diebus festis suppressis* dispensare valeant, ad effectum (accedente eorumdem parochorum consensu) deponendi et *erogandi in favorem Seminarii diœcesani* eleemosynas ex Missis, enuntiatis diebus celebrandis, obventuras.

Permisit quoque ut sacerdotes qui, ex necessitate, *binas Missas* diebus dominicis festisque de præcepto celebrant, pro altera Missa eleemosynam accipere possent, ejusdem *erogationis* intuitu.

346. **III. Episcopi est omnia et singula decernere** « quæ ad rectam Seminarii diœcesani administrationem, regimen, profectum, *necessaria* et *opportuna* videantur, eaque ut fideliter observentur curare, salvis præscriptionibus a Sancta Sede pro casibus peculiaribus latis ». — *Cod., c. 1357,* § *1.*

a) Ideo « unumquodque Seminarium *suas leges* habeat ab Episcopo approbatas, in quibus quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem Seminario in spem Ecclesiæ instituuntur, tum qui in horum institutionem operam suam impendunt ». — *Ibid.,* § *3.*

b) « Potissimum studeat Episcopus frequenter Seminarium ipse per se *visitare,* in institutionem quæ alumnis traditur, sive litterariam et scientificam sive

ecclesiasticam, sedulo *vigilare*, et de alumnorum indole, pietate, vocatione ac profectu, pleniorem sibi comparare notitiam, maxime occasione sacrarum ordinationum. » — *Ibid.*, § *2*.

Equidem « si Episcoporum est plurimum operæ et studii in fingenda probe omni juventute ponere, longe plus ipsos elaborare in *Clericis* verum est, qui in Ecclesiæ spem adolescunt, et participes adjutoresque munerum sanctissimorum sunt aliquando futuri ». — *Leonis XIII enc. Etsi nos, 15 feb. 1882.*

c) Ea omnia quæ « ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent » ad S. Congregationem Consistorialem spectabant, ex *Pii X constit. Sapienti consilio, 29 jun. 1908 ;*

Sed voluit Benedictus XV ut specialis Congregatio habeatur « *de Seminariis et studiorum Universitatibus* ». — *Cf. n. 542.*

347. **IV. Pro bono regimine :**

« Curandum ut in quolibet Seminario adsint : *rector* pro disciplina, *magistri* pro instructione, *œconomus* pro curanda re familiari, a rectore distinctus, duo saltem *confessarii* ordinarii et *director spiritus.* » — *Cod., c. 1358.*

Magistrorum munus in Seminariis non est perpetuum, sed *amovibile* ad nutum.

Amotio autem non est decernenda sine rationabili causa. — *S. C. C., in Oppiden., 15 mart. 1828 ; — in Spolet., 22 jun. 1844.*

348. **V.** « **Seminarii rector, et alii omnes moderatores sub ejus auctoritate, curent :**

a) » Ut alumni statuta ab Episcopo probata studiorumque rationem adamussim servent, ac spiritu vere ecclesiastico imbuantur. » — *Cod., c. 1369,* § *1.*

« Videant moderatores disciplinæ ac pietatis quam de se quisque *spem injiciant alumni*, introspiciantque singulorum quæ sit *indoles :* utrum suo ingenio plus æquo indulgeant aut spiritus profanos videantur sumere, sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinæ retinentes ; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus, ad sacerdotii dignitatem contendant ; utrum denique convenienti vitæ sanctimonia doctrina-

que polleant, aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere.

» Nec nimium difficultatis habet investigatio, siquidem *virtutum quas diximus defectum cito produnt :* et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causa, non conscientiæ voce, disciplina. Quam qui servili timore retinent, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur domesticæ disciplinæ contemptorem a publicis Ecclesiæ legibus minime discessurum. » — *Pii X motu proprio Sacrorum Antistitum*; *1 sept. 1910 (Acta, vol. II, pag. 666)*.

b) « Sæpius eis veræ et christianæ *urbanitatis* leges tradant, eosque exemplo suo ad illas colendas excitent ;

» Hortentur præterea ut præcepta *hygienica*, vestium et corporis munditiam et quandam in conversando comitatem cum *modestia* et gravitate conjunctam, jugiter servent. » — *Cod., c. 1369, § 2.*

c) « Sedulo *vigilent* ut magistri suo munere rite fungantur. » — *Ibid., § 3.*

349. **VI. Ad munus rectoris, directoris spiritus, confessarorium et magistrorum Seminarii** « eligantur sacerdotes, non doctrina tantum, sed etiam virtutibus ac prudentia præstantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint ». — *Cod.. c. 1360.* — *Cf. Leonis XIII encyc. Pergrata, 14 sept. 1886.*

a) Ad magisterii munus in disciplinis *philosophicis, theologicis* et *juridicis*, « ii, ceteris paribus, judicio Episcopi et deputatorum Seminarii, præferantur qui *laurea doctorali* potiti sint in Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognitis, aut, si agatur de religiosis, qui simile testimonium a suis Superioribus majoribus habeant. » — *Cod., c. 1366, § 1.*

b) Curandum ut saltem sacræ Scripturæ, theologiæ dogmaticæ, theologiæ moralis, et historiæ ecclesiasticæ, « totidem habeantur *distincti* magistri ». — *Cod., can. 1366, § 3.*

c) « Rectori Seminarii in propriis muneribus implendis *obtemperare* omnes debent. » — *Ibid., § 2.*

d) « Quicumque modo quopiam *Modernismo* imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cujusvis respectu, tum a *regendi*, tum a *docendi* munere *arceantur ;* eo si jam funguntur, *removeantur ;* item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando, eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticæ potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando ; item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica, nova student ; item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. » — *Pii X encyc. Pascendi, 8 sept. 1907. — Cf. ejusd. Pontif. motu proprio Præstantia, 18 nov. 1907.*

350. **VII. Præter confessarios ordinarios,** « **alii confessarii designentur** ad quos *libere* alumni accedere possint.

a) » Si ii confessarii *extra Seminarium* degant, et alumnus aliquem eorum acciri postulet, illum rector arcessat, nullo modo petitionis rationem inquirens, neque se ægre id ferre demonstrans ;

» Si in Seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva Seminarii disciplina.

b) » Quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e Seminario expellendo, nunquam *confessariorum votum* exquiratur. » — *Cod., c. 1361.*

c) « Superior Seminarii collegiive *sacramentales confessiones* suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus *particularibus* sponte id petant. » — *Cod., can. 891 et 1383. — Cf. S. Offic. decretum, 5 jul. 1899.*

Et ratio est quia :

1° *Ex parte alumnorum*, valde timendum esset ne, cum animæ suæ periculo, ei sui cordis maculas sordesque detegere reformident, cui imperium ac potestas est sese exterius improperandi ac pœnis coercendi.

2° *Ex parte vero Rectoris*, periculum adest ne notitiis in confessione acquisitis uti velit, aut videatur uti, in exercendis extrinsecus sui ministerii partibus, quæ res odium contra sanctissimum Pœnitentiæ sacramentum in animis adolescentium creare potest. — *Lucidi, De visit. sac. lim., cap. 6, n. 30.*

351. **VIII.** « **Diœcesanis Seminariis bini constituantur cœtus deputatorum :** alter pro *disciplina,* alter pro administratione *bonorum* temporalium.

a) » Utrumque deputatorum cœtum constituunt *bini sacerdotes,* ab Episcopo, audito Capitulo, electi ; sed *excluduntur :* Vicarius Generalis, familiares Episcopi, rector Seminarii, œconomus, et confessarii ordinarii.

b) » Munus deputatorum per *sexennium* durat, nec electi sine gravi causa amoveantur ; sed *rursus eligi* poterunt. » — *Cod., c. 1359,* § *1, 2 et 3.*

c) « Episcopus debet *consilium* deputatorum in negotiis majoris momenti petere. » — *Ibid.,* § *4.*

351. **IX. In Gallia :**

a) « Les Séminaires ont été supprimés, comme établissements publics du culte, par l'article 2 de la loi du 9 décembre 1905 ; et, s'il est loisible de rétablir au moins les Séminaires proprement dits, ou Grands Séminaires, sous forme d'associations cultuelles, il est constant, qu'à défaut d'associations de cette nature, le maintien, avec leur caractère spécial, de ces établissements destinés à assurer le recrutement du clergé, comporterait une association illicite, susceptible de donner lieu à des poursuites en vertu de l'article 23. » — *Circulaire ministér.,* *7 déc. 1906.*

b) « Si les Grands Séminaires entendaient sortir du cadre spécial dans lequel ils étaient renfermés jusqu'ici, et si, d'établissements purement cultuels, ayant pour objet exclusif de pourvoir à l'exercice du culte par la formation de prêtres, ils se proposaient de devenir des établissements ordinaires d'enseignement privé, où l'on professerait la théologie et les sciences annexes, ils devraient, pour se transformer ainsi, se soumettre au régime institué en matière d'enseignement supérieur par les lois des 12 juillet 1875 et 18 mars 1880. » — *Ibid.*

c) « Quant aux écoles secondaires ecclésiastiques, dites Petits Séminaires, dans le cas où, pour subsister, elles voudraient se convertir en simples établissements d'enseignement secondaire privé, il leur incomberait d'observer les dispositions générales du titre III de la loi du 15 mars 1850.

d) » Les associations qui auraient pour but l'entretien des nouveaux établissements d'instruction créés dans lesdites conditions,

devraient être constituées conformément aux prescriptions combinées des lois des 12 juillet 1875 et 1er juillet 1901, ou simplement d'après les dispositions de la seconde de ces lois, suivant qu'ils donneraient l'enseignement supérieur ou l'enseignement secondaire. » — *Ibid.*

e) D'après l'article 66 de la loi du 15 mars 1850, « Les ministres des différents cultes reconnus peuvent donner l'instruction secondaire à quatre jeunes gens au plus, destinés aux études ecclésiastiques, sans être soumis aux prescriptions de la présente loi, à la condition d'en faire la déclaration au Recteur. Le Conseil académique veille à ce que ce nombre ne soit pas dépassé ».

« Il s'agit là d'une disposition de faveur, qui est appelée à disparaître, par suite de la loi du 9 décembre 1905, puisqu'il n'y a plus désormais de culte *reconnu* par l'État.

» En conséquence, cette faveur ne saurait plus être accordée à ceux qui viendraient à la demander, et tout ministre d'un culte se trouve à l'avenir soumis, au point de vue de la déclaration d'ouverture d'un établissement secondaire libre, à la règle générale posée par l'article 60 de la loi du 15 mars 1850. » — *Circulaire ministér.*, *4 avril 1906.*

f) Cet article est ainsi conçu : « Tout Français âgé de vingt-cinq ans au moins, et n'ayant encouru aucune des incapacités comprises dans l'article 26 de la présente loi, peut former un établissement d'instruction secondaire, sous la condition de faire, au recteur de l'Académie où il se propose de s'établir, les déclarations prescrites par l'article 27, et, en outre, de déposer entre ses mains les pièces suivantes, dont il lui sera donné récépissé : — 1° Un certificat de stage, constatant qu'il a rempli, pendant cinq ans au moins, les fonctions de professeur, ou de surveillant, dans un établissement d'instruction secondaire, public ou libre ; — 2° soit le diplôme de bachelier, soit un brevet de capacité délivré par un jury d'examen, dans la forme déterminé par l'article 62 ; — 3° le plan du local et l'indication de l'objet de l'enseignement.

» Le recteur, à qui le dépôt des pièces aura été fait, en donnera avis au préfet du département et au procureur de la République de l'arrondissement dans lequel l'établissement devra être fondé.

» Le ministre, sur la proposition des conseils académiques et l'avis conforme du conseil supérieur, peut accorder des dispenses de stage. »

ARTICULUS III

DE ADMISSIONE ET INSTITUTIONE ALUMNORUM

353. **I.** « **In Seminarium ab Ordinario ne admittantur** nisi filii legitimi, quorum indoles et voluntas *spem* afferant eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. » — *Cod., c. 1363, § 1.*

« Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles qui onus grave ordinatori adducant. » — *Can. Tales, 4, dist. 23.* — *Cf. Pii X enc. Pieni l'animo, § A prevenire.*

Non tamen cautio postulanda est de *expensarum restitutione* si adolescentes e statu ecclesiastico se deinde subtraxerint. — *S. C. C., in Ferrarien., 16 dec. 1820.*

Aliter vero sentiendum esset si adsit *dispositio synodalis* aut *legitima consuetudo*, vel denique *ex lege fundationis* cautum sit ut expensæ restituantur. — *Cf. Lucidi, op. cit., cap. 6, n. 22, sq.*

a) Antequam recipiantur, « *documenta exhibere* debent de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione, ac de vita et moribus ». — *Cod., c. 1363, § 2.*

b) *Dimissi* ex aliis Seminariis vel ex aliqua religione « ne admittantur, nisi prius Episcopus, etiam secreto, a Superioribus aliisve *notitias requisierit* de causa dimissionis, ac de moribus, indole et ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat ;

» Quas notitias, veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent. » — *Cod., c. 1363, § 3.* — *S. C. C., 22 dec. 1905.*

354. **II.** « **Omnino in instituendis clericis sunt duæ res necessariæ :** *doctrina* ad cultum mentis, *virtus* ad perfectionem animi. » — *Leonis XIII enc. Quod multum, ad Episcopos Hungariæ, 22 aug. 1886.* — « Etenim tantum lucere, vanum ; tantum ardere, parum ; ardere et lucere, perfectum ». — *S. Bernard., serm. in Nat. S. Joan.*

— *Cf. Pii X constit. Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910 (Acta, II, 666).*

« Caussæ profecto graves, et omnium ætatum communes, decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant ; verumtamen, *nostra hæc ætas* plura quoque et majora admodum flagitat. — Revera :

a) » *Fidei catholicæ defensio*, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quæ est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat, non vulgarem neque mediocrem, sed *exquisitam et variam*, quæ, non modo *sacras*, sed etiam *philosophicas* disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. — Eripiendus est enim *error* hominum multiplex singula christianæ sapientiæ fundamenta convellentium ; luctandumque persæpe cum *adversariis* apparatissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omnium scientiarum genere astute conquirunt. » — *Leonis XIII enc. Etsi nos, ad Episcopos Italiæ, 15 febr. 1882.*

b) « Similiter, cum hodie magna sit et ad plures diffusa *corruptela morum*, singularem prorsus oportet in sacerdotibus esse virtutis constantiæque præstantiam. Fugere quippe consuetudinem hominum minime possunt ; imo, applicare se propius ad multitudinem, ipsis officii sui muneribus jubentur ; idque in mediis civitatibus, ubi nulla jam fere libido est quin permissam habeat et solutam licentiam.

» Ex quo intelligitur *virtutem* in clero tantum habere virium hoc tempore debere, ut possit se ipsa tueri firmiter, et omnia cum blandimenta cupiditatum vincere, tum exemplorum pericula sospes superare.

c) » Præterea, conditas in Ecclesiæ perniciem leges consecuta passim *clericorum paucitas* est : ita plane ut eos, qui in sacros Ordines Dei munere leguntur, *duplicare operam suam* necesse sit, et excellenti sedulitate, studio, devotione, *exiguam copiam compensare.*

» Quod quidem utiliter facere non possunt, nisi animum gerant tenacem propositi, abstinentem, incorruptum, caritate flagrantem, in laboribus pro salute hominum sempiterna suscipiendis promptum semper atque alacrem. Atqui, ad hujusmodi munera, est adhibenda *præparatio diuturna et diligens :* non enim tantis rebus facile et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacerdotio integre sancteque versabuntur qui sese in hoc genere *ab adolescentia* excoluerint, et

tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes quæ commemoratæ sunt, non tam *instituti* quam *nati* videantur. » — *Enc. cit.* — *Cf. Pii IX enc. Inter multiplices.*

355. **III.** « **In inferioribus Seminarii scholis :**

a) » Præcipuum locum obtineat *religionis disciplina* quæ, modo singulorum ætati et ingenio accommodato, diligentissime explicetur. » — *Cod., c. 1364, § 1.*

b) « *Linguas*, præsertim *latinam* et *patriam*, alumni accurate addiscant. » — *Ibid., § 2.*

Germanam *dicendi scribendique elegantiam et eloquentiam,* adolescentes clerici addiscere possunt, sive ex sapientissimis *Sanctorum Patrum* operibus, sive ex clarissimis *ethnicis* scriptoribus ab omni labe purgatis. — *Pii IX encycl. Inter multiplices, ad Episcopos Galliæ, 21 mart. 1853. — Cf. epist. S. Officii, 15 feb. 1867.*

1° « Nous n'ignorons pas, Vénérables Frères, que, dans une certaine mesure, vous êtes obligés de compter avec les *programmes de l'État* et les conditions mises par lui à l'obtention des *grades universitaires*, puisque, dans un grand nombre de cas, ces grades sont exigés des prêtres employés, soit à la direction des collèges libres placés sous la tutelle des évêques et des congrégations religieuses, soit à l'enseignement supérieur dans les Facultés catholiques que vous avez si louablement fondées.

» Il est d'ailleurs d'un intérêt souverain, pour maintenir *l'influence du clergé sur la société*, qu'il compte dans ses rangs un assez grand nombre de prêtres ne le cédant en rien pour la science, dont les grades sont la constatation officielle, aux maîtres que l'État forme pour ses lycées et ses Universités.

2° » Toutefois, et après avoir fait à cette exigence des programmes la part qu'imposent les circonstances, il faut que les études des aspirants au sacerdoce demeurent fidèles aux *méthodes traditionnelles* des siècles passés. Ce sont elles qui ont formé les hommes éminents dont l'Église de France est fière à si juste titre.... ; c'est l'étude des belles-lettres qui a puissamment aidé ces hommes à devenir de très vaillants et utiles ouvriers au service de l'Église.... En effet, c'est le propre des belles-lettres, quand elles sont enseignées par des maîtres chrétiens et habiles, de développer rapidement dans l'âme des jeunes gens tous les germes de la vie intellec-

tuelle et morale, en même temps qu'elles contribuent à donner a jugement de la rectitude et de l'ampleur, et, au langage, de l'él gance et de la distinction.

3° » Cette considération acquiert une importance spéciale quan il s'agit des *littératures grecque et latine*, dépositaires des chef d'œuvre de science sacrée que l'Église compte à bon droit parmi s plus précieux trésors....

» Si, depuis plusieurs années, les méthodes pédagogiques, e vigueur dans les établissements de l'État, *réduisent* progressiveme l'étude de la *langue latine* et suppriment des exercices de *prose* de *poésie* que nos devanciers estimaient à bon droit devoir tenir u grande place dans les classes de collèges, les Petits Séminaires mettront en garde contre ces innovations inspirées par des préo cupations utilitaires, et qui tournent au détriment de la solide fo mation de l'esprit.

» A ces anciennes méthodes, tant de fois justifiées par leu résultats, Nous appliquerions volontiers le mot de saint Paul à s disciple Timothée, et, avec l'Apôtre, Nous vous dirions, Vénérabl Frères : « *Gardez-en le dépôt* » avec un soin jaloux. Si un jour, qu'à Dieu ne plaise, elles devaient disparaître complètement d autres écoles publiques, que vos *Petits Séminaires* et *collèges lib* les gardent avec une intelligente et patriotique sollicitude. Vo imiterez ainsi les prêtres de Jérusalem qui, voulant soustraire à barbares envahisseurs le feu sacré du Temple, le cachèrent, manière à pouvoir le retrouver, et à lui rendre toute sa splende quand les mauvais jours seraient passés. » — *Leonis XIII enc. Depuis le jour, ad Episcopos Galliæ, 8 sept. 1899. — Cf. eju. Pontif. epist. Plane quidem, de studiis litter. in Seminario Ro 20 maii 1885.*

c) « Ea in *ceteris disciplinis* institutio tradat quæ conveniat *communi omnium culturæ* et statui c ricorum in regione ubi alumni sacrum ministeriu exercere debent. » — *Cod., c. 1364, § 3.*

« Moins que jamais, à notre époque, les élèves de vos Petits de vos Grands Séminaires ne sauraient demeurer étrangers à l'étu des *sciences physiques et naturelles.*

» Il convient donc qu'ils y soient appliqués, mais avec mesure dans de *sages proportions.* Il n'est donc nullement nécessaire q dans les cours de sciences annexés à l'étude de la philosophie, professeurs se croient obligés d'exposer en détail les applicati presque innombrables des sciences physiques et naturelles a

diverses branches de l'industrie humaine. Il suffit que leurs élèves en connaissent avec précision les grands principes et les conclusions sommaires, afin d'être en état de résoudre les *objections* que les incrédules tirent de ces sciences contre les enseignements de la révélation. » — *Leonis XIII encyc. Depuis le jour, 8 sept. 1899.*

356. **IV.** « **In philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis** alumni per integrum saltem *biennium* incumbant. » — *Cod., c. 1365, § 1.*

a) « Philosophia *scholastica* studiorum sacrorum fundamentum ponatur. » — *Pii X motu proprio Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910 (Acta, II, 655).*

« Philosophiam *scholasticam* quam sequendam præscribimus, eam præcipue intelligimus quæ a *Sancto Thoma Aquinate* est tradita : de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, strictæque ab universis servari jubemus.

» *Episcoporum erit*, sicubi in Seminariis neglecta fuerint, ea ut in posterum custodiantur, urgere atque exigere. Eadem *religiosorum Ordinum Moderatoribus* præcipimus. » — *Pii X constit. cit.*

b) Ce nous est une profonde douleur d'apprendre que, depuis quelques années, des *catholiques* ont cru pouvoir se mettre à la remorque *d'une philosophie* qui, sous le spécieux prétexte d'affranchir la raison humaine de toute idée préconçue et de toute illusion, lui dénie le droit de rien affirmer au delà de ses propres opérations, sacrifiant ainsi à un *subjectivisme radical* toutes les certitudes que la métaphysique traditionnelle, consacrée par l'autorité des plus vigoureux esprits, donnait comme nécessaires et inébranlables fondements à la démonstration de l'existence de Dieu, de la spiritualité et de l'immortalité de l'âme, et de la réalité objective du monde extérieur.

» Il est profondément regrettable que ce *scepticisme doctrinal* d'importation étrangère, et d'origine protestante, ait pu être accueilli avec tant de faveur dans un pays justement célèbre par son amour pour la clarté des idées et pour celle du langage. Nous savons, Vénérables Frères, à quel point vous partagez là-dessus Nos *justes préoccupations*, et Nous comptons que vous redoublerez de sollicitude et de vigilance pour écarter de l'enseignement de vos Séminaires cette *fallacieuse* et *dangereuse* philosophie, mettant plus que jamais en honneur les méthodes que Nous recommandons dans

Notre encyclique précitée, du 4 août 1879. » — *Leonis XIII enc Depuis le jour, ad Episcopos Galiæ.*

357. **V.** « **Cursus theologicus** saltem *integro quadrienni* continueatur; et, præter theologiam dogmaticam et mora lem, complecti præsertim debet studium sacræ Scripturæ historiæ ecclesiasticæ, juris canonici, liturgiæ, sacræ elo quentiæ et cantus ecclesiastici. » — *Cod., c. 1365,* § *2.*

a) « Philosophiæ rationalis ac theologiæ studia, et alum morum in his disciplinis institutionem, professores omnin pertractent ad *Angelici Doctoris* rationem, doctrinam e principia, eaque sancte teneant. » — *Cod., can. 1366,* § *2*

« Le livre par excellence où les élèves pourront étudier ave plus de profit la théologie scolastique, est la *Somme théologiqu* de saint Thomas d'Aquin....

» Nous recommandons également que tous les séminaristes aien entre les mains, et relisent souvent le livre d'or connu sous le no de *Catéchisme du saint Concile de Trente*, ou *Catéchisme romai* dédié à tous les prêtres investis de la charge pastorale. » — *Le nis XIII enc. cit.*, § *Est-il besoin. — Cf. S. C. de Semin. epist. a R. P. D. Alfredum Baudrillart, rectorem Instituti catholici Par siensis, 30 sept. 1916 (Acta, VIII, 412).*

b) « In *communibus* Seminariis clericorum, mod idonei præceptores adsint, adhibere liceat eorum libr auctorum qui *derivatas* de *Aquinatis* fonte doctrin *compendio* exponunt ; cujus generis libri suppetunt vald probabiles. »

Sed « qui magisterium sacræ Theologiæ obtinent i *Universitatibus,* magnis Lyceis, Collegiis, Seminarii Institutis, quæ habeant ex Apostolico indulto potest tem *gradus academicos* et lauream in eadem disciplin conferendi, *Summam Theologicam* S. Thomæ tanqua Prælectionum suarum *textum* habeant, et *latino* sermo explicent ; in eoque sedulam ponant operam ut erg illam auditores optime afficiantur ». — *Pii X mo proprio Præclara inter, 29 jun. 1914 (Acta, VI, 336*

Dubiis autem propositis, S. Congr. *de Seminariis et studioru Universitatibus*, die 7 martii 1916, respondendum censuit :

« Summa Theologica S. Thomæ habenda est uti textus Prælectionum quoad *partem scholasticam* quæstionum, ita scilicet ut, *una cum aliquo textu* qui ordinem logicum quæstionum indicet et partem *positivam* contineat, habeatur præ manibus et explicetur Summa theologica quoad partem *scholasticam.* » — *Acta, VIII, 156.*

c) Sacra Congregatio studiorum viginti quatuor theses philosophicas sibi ad examen propositas, *germanam S. Thomæ doctrinam* continere declaravit, die 29 jul. 1914. — *Cf. Acta, VI, 383.*

Eæque « proponantur veluti tutæ normæ directivæ ». — *S. C. de Semin. et stud. Univ., 7 mart. 1916 (Acta, VIII, 156).—Cf. Leonis XIII enc. Æterni Patris, 4 aug. 1879 ; — Pii X enc. Pascendi, 8 sept. 1907 ; et motu proprio Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910.*

d) De studiis *Scripturæ sacræ,* præ oculis habendæ sunt præclaræ Leonis XIII litteræ encyclicæ « *Providentissimus Deus* », *18 nov. 1893.*

« Nous désirons que les professeurs en donnent connaissance à leurs disciples, en y ajoutant les explications nécessaires.

» Ils les mettront spécialement en garde contre les tendances inquiétantes qui cherchent à s'introduire dans l'interprétation de la Bible, et qui, si elles venaient à prévaloir, ne tarderaient pas à en ruiner l'inspiration et le caractère surnaturel. » — *Leonis XIII encyc. Depuis le jour. — Cf. Pii X litt. « Quoniam in re biblica », de ratione studiorum Sacræ Scripturæ in Seminariis Clericorum servanda, 27 martii 1906.*

Cœtum studiis S. Scripturæ provehendis, qui *Commissio biblica* nuncupatur, S. P. Leo XIII instituit Apostolicis litteris « *Vigilantiæ* », 30 oct. 1902.

Pius X, litteris « *Scripturæ Sanctæ* », 23 feb. 1904, eidem jus dedit *academicos gradus* in sacræ Scripturæ disciplina conferendi.

Et litteris Apostolicis « *Vinea electa* », 7 maii 1909, *Pontificium Institutum Biblicum* Romæ erexit, cui finis est « ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros sacros pertinentium habeatur centrum quod, efficaciore quo liceat modo, doctrinam biblicam, et studia omnia eidem adjuncta, sensu Ecclesiæ catholicæ promoveat ». — *Cf. Acta, I, 447, sq.*

e) La science du *droit canonique* « se rattache par des liens très intimes et très logiques à celle de la Théo-

logie, dont elle montre les applications pratiques à tout ce qui concerne le gouvernement de l'Église, la dispensation des choses saintes, les droits et les devoirs de ses ministres, l'usage des biens temporels dont elle a besoin pour l'accomplissement de sa mission.

» Sans la connaissance du droit canonique, disaient fort bien les Pères d'un de vos Conciles provinciaux *(Conc. prov. Bitur., an. 1868)*, la *Théologie* est *imparfaite*. C'est l'ignorance du droit canon qui a favorisé la naissance et la diffusion de *nombreuses erreurs* sur les droits des Pontifes romains, sur ceux des Évêques, et sur la puissance que l'Église tient de sa propre constitution, dont elle proportionne l'exercice aux circonstances. » — *Leonis XIII enc. Depuis le jour, ad Episcopos Galliæ, 8 sep. 1899.*

f) Sacra Congregatio Consistorialis litteras circulares ab RR. Ordinarios Italiæ transmisit, *die 17 oct. 1913*, de *libris* ad alumnis Seminariorum, vel in scholis, vel privatim adhibendis. — *Cf. Acta, V, 455.*

« Quoique publiée pour l'Italie, où peut-être, à cause des circonstances particulières, la mesure était plus urgente, cette lettre doit être aussi, pour les Séminaristes des autres pays, une règle et une direction dans des conditions semblables. » — *Card. de Lai epist. ad R. D. Fuzet, archiep. Rothomagen., 5 feb. 1914.*

g) De *lingua latina* in disciplinis philosophicis, theologicis et juridicis adhibenda, *cf. S. Cong. Studiorum epistolam ad Rmos Ordinarios, 1 jul. 1908.*

358. **VI.** « **Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali,** additis *practicis exercitationibus*, præsertim circa rationem tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assitendi moribundis. » — *Cod., c. 1365, § 3.*

a) « Ordinarii et Superiores religiosorum stricte obligantur proprios clericos ad sanctam salutaremque *prædicationem* ab ipsa juvenili ætate formare studiorum tempore, tum ante tum post susceptum sacerdotium. » — *S. Cong. Consist. decret., 28 jun. 1917, num. 34, sq.*

b) « Nous demandons que vers la fin de leur éducation dans les Séminaires, les aspirants au sacerdoce soient instruits, comme

convient, des documents pontificaux concernant la *question sociale* et la *démocratie chrétienne*, en s'abstenant de prendre *aucune part au mouvement extérieur.*

» Plus tard, *devenus prêtres*, qu'ils s'occupent avec un soin particulier du peuple, qui a été, de tout temps, l'objet des plus affectueuses sollicitudes de l'Église.... Mais, qu'ils aient toujours présent à l'esprit que, même au milieu du peuple, le prêtre doit conserver intact son auguste caractère de ministre de Dieu, étant placé à la tête de ses frères principalement *animarum causa.* Toute manière de s'occuper du peuple au détriment de la dignité sacerdotale, des devoirs et de la discipline ecclésiastique, ne pourrait être que hautement réprouvée. » — *Leonis XIII enc. Fin del principio, ad Episcopos Italiæ, 8 dec. 1902. — Cf. Pii X enc. Pieni l'animo, 28 jul. 1906 ; — et num. 1136, sq.*

359. **VII. « Ne juvenes aliis quæstionibus consectandis tempus terant, et a studio præcipuo distrahantur »,** omnino vetuit Pius X « *diaria quævis* aut Commentaria, quamvis optima, ab iisdem legi, onerata Moderatorum conscientia qui ne id accidat religiose non caverint. » — *Pii X constit. Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910 (Acta, II, 668).*

a) « Nil tamen vetat quominus Superiores Seminarii aut magistri, si agatur de *quæstionibus scientificis*, legant alumnis aut *legendos articulos* in sua præsentia *tradant* eorumdem diariorum et commentariorum quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent.

b) » Commentaria vero in quibus nil contentionis continetur, sed *notitias religiosas*, S. Sedis dispositiones et decreta, Episcoporum acta et ordinationes referunt, vel alia quæ, *quamvis periodica*, non aliud sint quam lectiones ad fidem et pietatem fovendam utiles, hæc possunt, probantibus Seminarii moderatoribus, præ manibus alumnorum relinqui, tempore a studio et ab aliis præscriptis officiis libero. » — *S. C. Consist., 20 oct. 1910 (Acta., II, 855).*

360. **VIII. « Curent Epicopi ut alumni Seminarii :**

a) » Singulis diebus communiter matutinas et serotinas *preces* recitent, per aliquod tempus *mentali orationi* vacent, sacrificio *Missæ* intersint ;

b) » Semel saltem in hebdomada ad *sacramentum pœnitentiæ* accedant, et frequenter, qua par est pietate, *Eucharistico pane* se reficiant ;

c) » Dominicis et festis diebus, sacris *Missarum* et *Vesperarum* sollemnibus adsint, altari inserviant *sacrasque cæremonias* exerceant, præsertim in ecclesia cathedrali, si id, judicio Episcopi, sine disciplinæ et studiorum detrimento fieri possit ;

d) » Singulis annis per aliquot dies continuos *exercitiis spiritualibus* vacent ;

e) » Semel saltem in hebdomada adsint *instructioni* de rebus spiritualibus, quæ pia exhortatione claudatur. » — *Cod., c. 1367.*

361. **IX.** « **Exemptum a jurisdictione parœciali Seminarium esto ;**

» Et pro omnibus qui in Seminario sunt, *parochi officium,* excepta materia matrimoniali, et firmo præscripto can. 891 (cf. n. 350, c, ubi de audiendis confessionibus alumnorum), obeat Seminarii rector ejusve delegatus, nisi in quibusdam Seminariis fuerit aliter a Sede Apostolica constitutum. » — *Cod., c. 1368.*

362. **X.** « **E Seminario dimittantur :**

a) » Dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui, ob mores atque indolem, ad statum ecclesiasticum idonei non videantur ;

b) » Itemque, qui in studiis adeo parum proficiant ut spes non affulgeat eos sufficientem *doctrinam* fore assecuturos ;

c) » Præsertim vero statim dimittantur qui forte contra *bonos mores* aut *fidem* deliquerint. » — *Cod., c. 1371.*

ARTICULUS IV

DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

363. **I. Sedi Apostolicæ reservatur** « canonica constitutio catholicæ studiorum Universitatis vel Facultatis ». — *Cod., c. 1376, § 1.*

« Universitas vel Facultas catholica, etiam religiosis familiis quibuslibet concredita, sua debet habere *statuta* a Sede Apostolica probata. » — *Ibid.*, § *2.*

a) « *Gradus academicos* qui effectus canonicos in Ecclesia habeant, nemo conferre potest nisi ex facultate ab Apostolica Sede concessa. » — *Cod., c. 1377.*

b) « *Jus est doctoribus* rite creatis deferendi, extra sacras functiones, annulum etiam cum gemma, et biretum doctorale, firmo præterea præscripto sacrorum canonum qui, in collatione quorundam officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum, statuunt eos, ceteris paribus, judicio Ordinarii *esse præferendos* qui lauream vel licentiam obtinuerint. » — *Cod., c. 1378.*

c) « Optandum ut locorum *Ordinarii* clericos pietate et ingenio præstantes *mittant* ad scholas alicujus Universitatis vel Facultatis ab Ecclesia conditæ vel approbatæ, ut inibi studia præsertim philosophiæ, theologiæ ac juris canonici, perficiant et academicos gradus consequantur. » — *Cod., c. 1380.*

364. **II. Laicas Universitatum Facultates** nemo e sæculari clero frequentet « absque expressa *licentia* Episcopi sui ; qui, in ea concedenda, præ oculis tantum habeat quid diœcesis *necessitas* exigat ut, in Institutis ad instructionem erectis sive erigendis, idonei et diplomate muniti professores comparentur ». — *S. C. Ep. et Reg. Instr. Perspectum est, 21 jul. 1896, art. 2.*

a) « Maximi ponderis est mittendorum ad Universitates *accuratus delectus.*

» Venia non detur alumnis antequam laudabiliter absolverint *integrum cursum*, tum *philosophiæ* tum *theologiæ*, a statutis diœcesanis pro clero sæculari, a constitutionibus Ordinis seu Congregationis pro religiosis præscriptum. » — *Ibid., art. 5.*

b) « *Ad pericula tutius præcavenda*, curent Episcopi ut sui ecclesiastici alumni, quamdiu Universitatem celebrant, morentur in Seminario ; hoc non extante, in

aliqua domo religiosa, vel saltem apud aliquem sacerdotem sæcularem, nisi forte habeant ibi parentes in quorum domo habitare possint.

» Laude etiam ac favore digni viderentur sollertes sacerdotes, vel sæculares viri spectatæ pietatis, qui instituerent, ubi fieri potest, aliquam *hospitalem domum* pro *studentibus ecclesiasticis*, in qua isti invenirent, modico impendio, habitationem tutam, studiorum quieti et piæ vitæ exercitationibus accommodatam. » — *Ibid., art. 7.*

c) Porro, quæ de frequentandis Universitatibus Sacra Congregatio Episc. et Reg. clericis *Italiæ* præceperat anno 1896, ea « ad *nationes omnes* posthac pertinere » decrevit Pius X, encyc. « *Pascendi* », 8 sept. 1907.

In eadem encyclica « *Pascendi* » cautum est ut « clerici et sacerdotes, qui catholicæ cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas *de quibus magisteria in his fuerint*, in civili Universitate ne ediscant. » — *Cf. litt. card. Merry del Val ad Episcopos Galliæ, 10 oct. 1907, et ad R. D. Pasquier, Instituti Andegavensis rectorem, 5 noc. 1907.*

Et Benedictus XV, Decessorum suorum supra memoratas ordinationes in suo pleno robore permanere declarans, hæc insuper edicenda ac statuenda suoque nomine promulganda constituit :

1. Nullus ad laicas Universitatum facultates destinetur nisi *sacerdotio* jam auctus, quique spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem, tam ingenii vi ac perspicacia quam sanctitate morum, adjiciat.

2. Episcopus, in destinando sacerdotes suos ad laicas studiorum Universitates frequentendas, nihil aliud prae oculis habeat nisi quod diœcesis suæ *necessitas* vel *utilitas* exigat, ut nempe, in Institutis ad juventutem erudiendam destinatis, idonei comparentur magistri.

3. Qui, pro hac norma, ad Universitates laicas frequentendas destinabuntur sacerdotes, si novensiles sunt, ab *examinibus*, quæ in can. 130 et 590 præscripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius jubeantur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia prætereant, contra præscriptum can. 129.

4. Expletis demum in laica quavis Universitate præscriptis studiorum cursibus, sciant sacerdotes ac meminerint se Ordinario suo pari omnino ratione ac antea *subjectos*, ac diœcesis servitio

manere emancipatos. Quamobrem nemini fas erit magisteria sæcularia aliave officia pro suo lubito, maximeve contra Ordinarii sui voluntatem, suscipere ; quod si quis fecerit, congruis pœnis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur.

5. Hæc omnia quæ de clero *sæculari* sunt dicta, *religiosos* etiam regulares, congrua congruis referendo, sunt applicanda. — *S. Cong. Consist. decret., 30 apr. 1918 (Acta, X, 237).*

CAPUT II

DE ORDINANDIS CLERICIS

Nempe, de requisitis ad *validam*, nec non ad *licitam* Ordinationem, scilicet : de legitimo sacræ Ordinationis ministro; -- de requisitis tum positivis, tum negativis, in ejusdem subjecto; — de titulo Ordinationis ; — de ordinandorum examine; — de tempore, loco et ritibus sacræ Ordinationis; — et de reductione clericorum ad statum laicalem.

ARTICULUS I

DE LEGITIMO SACRÆ ORDINATIONIS MINISTRO

Ubi : de potestate ordinandi, — et de litteris dimissoriis ad Ordines recipiendos.

§ I. De potestate ordinandi

365. **I. Ordo, seu sacra ordinatio,** est sacer Ecclesiæ ritus quo *spiritualis potestas* confertur ad munia spiritualia rite obeunda.

a) « In canonibus qui sequuntur, nomine ordinum *majorum* vel *sacrorum*, intelliguntur presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus ; *minorum* vero, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus. » — *Cod., c. 949.*

b) « In jure verba : *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio*, comprehendunt, præter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949 et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur. » — *Cod., c. 950.*

366. **II. Minister ordinarius sacræ Ordinationis,** ut *valide* conferatur, est *omnis* et *solus* Episcopus consecratus.

Proprium enim est officium episcoporum ut ministros ordinent, quam poestatem non habent cum presbyteris communem. — *Cf. Trid., XXIII, cap. 4 et can. 7, De Ordine ; et Cod., can. 951.*

a) Episcopi etiam hæretici aut schismatici, degradati, aut quocumque scelere inquinati, vel censura irretiti, valide ordines administrant, modo debita *materia* et *forma* utantur cum debita *intentione ;* quia character episcopalis, seu potestas in Ordinatione semel accepta, *nec deleri* potest *nec amitti.*

b) Sed « *suspensionem a divinis,* Sedi Apostolicæ reservatam, *ipso facto* contrahunt, qui recipere ordines præsumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, hæretico, schismatico ;

» Qui vero *bona fide* a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti, donec dispensetur ». — *Cod., c. 2372.*

367. **III. Minister extraordinarius** est « qui, licet charactere episcopali careat, a *jure* vel a Sede Apostolica, per peculiare *indultum,* potestatem acceperit aliquos ordines conferendi ». — *Cod., c. 951.*

a) « Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius,* potest conferre *primam tonsuram* et *ordines minores,* dummodo promovendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit.

» Extra hos fines, ordinatio ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est *irrita,* nisi ordinans charactere episcopali polleat. » — *Cod., c. 964, n. 1.*

b) *Cardinales,* licet simplices presbyteri, facultate gaudent primam tonsuram et ordines minores conferendi : « dummodo promovendus habeat *dimissorias* proprii Ordinarii litteras ». — *Cod., c. 239, § 2, n. 22.*

368. IV. « **Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur,** aut cum legitimis ejusdem litteris dimissoriis. » — *Cod., c. 955, §. 1.*

a) Qui, contra hoc præscriptum, *alienum subditum* sine Ordinarii proprii *litteris dimissoriis* ordinaverint, ipso facto incurrunt « in *suspensionem* per annum ab ordinum collatione, Sedi Apostolicæ reservatam ». — *Cod., can. 2373, n. 1.*

b) Et « qui sine litteris, vel cum falsis dimissoriis litteris, ad ordines *malitiose accedit,* est « ipso facto a recepto ordine suspensus ». — *Cod., c. 2374.*

c) « Episcopus proprius, justa causa non impeditus, *per se* ipse *suos subjectos* ordinet ; sed subditum *orientalis ritus,* sine Apostolico indulto, licite ordinare non potest. » — *Ibid., § 2.*

d) « Nemini licet ordinatum a Romano Pontifice ad *altiorem* ordinem promovere sine Sedis Apostolicæ facultate. » — *Cod., c. 952.*

369. **V. Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem sæcularium,** « est tantum Episcopus diœcesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine, aut *simplex domicilium* sine origine ;

» Sed, in hoc altero casu, promovendus debet animum in diœcesi *perpetuo* manendi *jurejurando* firmare, nisi agatur de promovendo ad ordines clerico qui diœcesi per primam tonsuram jam *incardinatus* est, vel de promovendo alumno qui servitio *alius diœcesis* destinatur ad normam can. 969, § 2 », prævia scilicet excardinatione et incardinatione *(cf. n. 378)* « vel de promovendo *religioso* professo, de quo in can. 964, n. 4 » *(cf. n. 370, c.)* — *Cod., c. 956.*

Locus originis filii, etiam neophyti, « est ille in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illigitimus aut postumus, mater.

» Si agatur de filio *vagorum,* locus originis est ipsemet nativitatis locus ; si de *exposito,* est locus in quo inventus fuit. » — *Cod. can. 90.*

370. **VI. Quod attinet ad ordinationem religiosorum :**

a) Religiosi *exempti* « a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris ». — *Cod., c.. 964, n. 2.*

b) Superiores professis *votorum simplicium* de quibus in can. 574, nempe, quæ in quolibet Ordine, et in qualibet Congregatione, votis perpetuis præmittenda sunt, « litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores ». — *Ibid., n. 3.*

c) Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cujusvis religionis « regitur *jure sæcularium*, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines majores ». — *Ibid., n. 4.*

371. **VII.** « **Vicarius ac Præfectus Apostolicus, Abbas vel Prælatus nullius :**

a) » Si charactere episcopali *polleant*, Episcopo diœcesano *æquiparantur* quod pertinet ad ordinationem;

b) » Si episcopali charactere *careant*, possunt nihilominus in proprio territorio et durante tantum munere, conferre *primam tonsuram* et *ordines minores*, tum propriis subditis sæcularibus ad normam can. 956, *(cf. n. 369)*, tum aliis qui litteras dimissorias jure requisitas exhibeant ;

» Ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta *irrita* est. » — *Cod., c. 957.*

§ II. De litteris dimissoriis

372. **I. Dimissoriæ dicuntur litteræ** quibus proprius Ordinandi Prælatus, vi suæ jurisdictionis, rogat vel deputat alium Episcopum, sive *specialiter* sive *generaliter* determinandum, ut subdito suo, de cujus idoneitate simul authenticum dat testimonium, ordines conferat.

a) Litteræ igitur dimissoriæ distinguuntur : a litteris *excardinationis* quibus quis e clero diœcesis dimittitur ; a litteris *commendatiis* quæ clericis peregre profecturis conceduntur ; a *testimonio* de Ordinibus rite receptis ;

denique a litteris *testimonialibus* quæ exhibent testimonium authenticum de honesta vita, scientia, immunitate ab omni impedimento canonico ad ordines recipiendos. — *Wernz, Jus Decret., tom. II, n. 29.* — *Cf. Trid., XXIII, cap. 3, De ref.*

b) « Litteræ dimissoriæ ne concedantur, nisi habitis antea omnibus *testimoniis* quæ jure exiguntur ad normam can. 993-1000 *(cf. n. 398, sq)*.

c) » Si, post datas ab Ordinario litteras dimissorias, *nova testimonia* necessaria sint ad normam can. 994, § 3, *(cf. n. 399, b)*, Episcopus alienus ne ordinet antequam eadem receperit.

d) » Quod si promovendus tempus sufficiens ad contrahendum impedimentum ad normam mem. can. 994 transegerit in *ipsa diœcesi* Episcopi ordinantis, hic testimonia directe colligat. » — *Cod., c. 960.*

e) « Qui *sine litteris* vel cum *falsis* dimissoriis litteris ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus. » — *Cod., c. 2374.*

373. **II. Litteras dimissorias pro sæcularibus dare possunt,** quandiu jurisdictionem in territorio retinent :

a) « *Episcopus proprius,* postquam possessionem suæ diœcesis legitime ceperit, licet nondum consecratus. » — *Cod., c. 958, § 1.*

Sed *Vicarius generalis* id non potest nisi « ex speciali Episcopi mandato ». — *Ibid., n. 2.*

b) « De Capituli consensu, *Vicarius Capitularis* post annum a sede vacante ; intra annum vero, solis *arctatis* ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut ratione certi alicujus officii cui, propter necessitatem diœcesis, sine dilatione sit providendum. » — *Ibid., n. 3.*

Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra hoc præscriptum, « ipso facto subjacet suspensioni a divinis ». — *Cod., c. 2409.*

« Vicarius Capitularis litteras dimissorias ne concedat iis qui ab Episcopo rejecti fuerunt. » — *Cod., c. 958, § 2.*

c) « Vicarius ac Præfectus Apostolicus, Abbas vel Prælatus *nullius*, licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines majores. » — *Cod., c. 958, § 1, n. 4.*

374. **III. Litteræ dimissoriæ mitti possunt ab Episcopo proprio** « ad quemlibet Episcopum, communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, Episcopo ritus diversi a ritu promovendi ». — *Cod., c. 961.*

a) Quilibet Episcopus, acceptis legitimis litteris dimissoriis, « alienum subditum *licite ordinat*, dummodo ipse de germana litterarum fide dubitare nullatenus possit ». — *Cod., c. 962.*

b) « Litteræ dimissoriæ possunt ab ipso concedente vel ab ejus successore *limitari* aut *revocari ;* sed, semel concessæ, *non exstinguuntur* resoluto jure dantis. » — *Cod., c. 963.*

c) » Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines conferre *per se* ipse, si necessariam *ordinis* potestatem habeat. » — *Cod., c. 959.*

375. **IV. Episcopus ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet,** « est Episcopus diœcesis in qua sita est domus religiosa ad cujus familiam pertinet ordinandus ». — *Cod., c. 965.*

a) « Tunc tantum Superior religiosus *ad alium Episcopum* litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus diœcesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore, vel denique cum diœcesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat.

» Necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo *constet* ex authentico Curiæ episcopalis testimonio. » — *Cod., c. 966.*

b) « Caveant Superiores religiosi ne *in fraudem Episcopi diœcesani* subditum ordinandum ad aliam reli-

giosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus *differant* quo Episcopus, vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes. » — *Cod., c. 967.*

c) In *suspensionem* per annum ab ordinum collatione, Sedi Apostolicæ reservatam, *ipso facto* incurrunt « qui, salvo privilegio, religiosum ad familiam pertinentem quæ sit *extra territorium ipsius ordinantis,* promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere » de quibus supra. — *Cod., c. 2373, n. 4.*

d) Et *Superiores religiosi* qui, contra juris præscripta, « subditos suos ad Episcopum alienum ordinandos remittere præsumpserint, *ipso facto* suspensi sunt per mensem a Missæ celebratione ». — *Cod., c. 2410.*

Hæc suspensio incurritur etiam in societatibus clericalibus *sine votis*, quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad Ordines suis subditis. — *Commiss. Pontif., 2-3 jun. 1918 (Acta, X, 347).*

ARTICULUS II

DE SUBJECTO SACRÆ ORDINATIONIS

376. **I. Ad validam Ordinum receptionem,** præter debitam materiam et formam, ac intentionem ex parte legitimi ministri *(cf. Leonis XIII litteras. « Apostolicæ curæ », 13 sept. 1896, quibus Ordinationes ritu anglicano actas, irritas declaravit)*, requiruntur ex parte ordinandi :

a) *Sexus masculinus ;* feminæ enim sunt omnino incapaces recipiendi Ordines. — *Cap. Mulieres, 19, dist. 32 ; — cap. Nova, 10, De pœnitentiis et remissionibus. — Cf. I Cor.,* XIV, *34.*

b) *Baptismus*, cum sit fundamentum et janua omnium sacramentorum Novæ Legis. — *Cod., c. 968, § 1.*

Ideo, « si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur ». — *Cap. 1, De presbytero non baptizato.*

c) In adultis præterea requiritur *intentio saltem habitualis* recipiendi ordines. — *Cap. 3, De baptismo.*

Unde, *invalida* esset ordinatio illius qui, *animo prorsus reluctante,* ordines recipere cogeretur. — *Cf. n. 412.*

377. **II. Sacram ordinationem licite recipit** qui, ad normam sacrorum canonum, « *debitis qualitatibus,* judicio proprii Ordinarii, præditus sit, neque ulla detineatur *irregularitate* aliove impedimento ». — *Cod., can. 968, § 1.*

« Qui irregularitate aliove impedimento detinentur, licet post ordinationem etiam sine propria culpa exorto, *prohibentur* receptos ordines exercere. » — *Cod., c. 968, § 2.*

a) « Ut quis *licite* ordinari possit, *requiruntur* : 1° recepta sacra confirmatio ; 2° mores ordini recipiendo congruentes ; 3° ætas canonica ; 4° debita scientia ; 5° Ordinum inferiorum susceptio ; 6° Interstitiorum observatio ; 7° Titulus canonicus, si agatur de Ordinibus majoribus. » — *Cod., c. 974, § 1.*

« Quod pertinet ad consecrationem *episcopalem*, servetur præscriptum can. 331. » — *Ibid.*, § *2.* — *Cf. n. 602, sq.*

b) « *Subdiaconatus* ne conferatur ante annum vicesimum primum completum ; *diaconatus* ante vicesimum secundum completum ; *presbyteratus* ante vicesimum quartum completum. » — *Cod.. c. 975.*

Dispensatio super ætate ad recipiendos Ordines, Sedi Apostolicæ reservatur ; et conceditur a *S. Congregatione de disciplina sacramentorum*, sive pro determinata persona, sive pro determinato numero casuum, ad normam indulti Episcopo concessi.

Sed advertendum est hanc dispensationem, nec communiter peti, nec dari, nisi pro solo Presbyteratu, et vix unquam ultra 18 menses extendi.

c) « Nemo sive sæcularis sive religiosus ad *primam tonsuram* promoveatur ante inceptum cursum theologicum.

» *Subdiaconatus* ne conferatur nisi exeunte tertio cursus theologici anno ; *diaconatus,* nisi incepto quarto anno ; *presbyteratus,* nisi post medietatem ejusdem quarti anni.

» Cursus theologicus peractus esse debet non privatim sed in *scholis* ad id institutis secundum studiorum rationem can. 1365 determinatam. » — *Cod. c. 976.* — *Cf. num. 356, sq.*

d) « Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per *simoniam* ad ordines scienter *promoverint* vel *promoti* fuerint, aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de hæresi ;

» Clerici præterea *suspensionem* incurrunt, Sedi Apostolicæ reservatam. » -- *Cod., c. 2371.*

378. **III. Nemo ex sæcularibus ordinetur** « **qui, judicio proprii Episcopi, non sit necessarius vel utilis ecclesiis diœcesis.**

» Non prohibetur tamen Episcopus proprium promovere subditum qui in futurum, prævia legitima excardinatione et incardinatione, *servitio alius diœcesis* destinetur. » — *Cod., c. 969.*

a) Prima tonsura et ordines « illis tantum conferendi sunt qui *propositum* habeant ascendendi ad *presbyteratum,* et quos merito conjicere liceat aliquando *dignos* futuros esse presbyteros.

b) » Ordinatus tamen qui superiores ordines recipere *recuset,* nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos *cogi,* nec *prohiberi* a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur, aliave gravis, judicio Episcopi, obsit causa. » — *Cod., c. 973.*

379. **IV.** « **Ex quavis canonica causa, occulta quoque, etiam extrajudicialiter** », proprius Episcopus, vel Superior Religiosus major, suis subditis ascensum ad ordines *interdicere* potest, « salvo jure *recursus* ad Sanctam Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem si agatur de Religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis ». — *Cod., can. 970.*

Hoc idem voluerat Synodus Tridentina, « cum honestius ac tutius sit subjecto, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam, cum præpositorum scandalo, graduum altiorum appetere dignitatem ». — *Trid., XIV, 1. De ref.*

ARTICULUS III

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

Nempe de iisdem in genere ; — de iisdem in specie ; — et de cessatione irregularitatum.

§ I. De irregularibus in genere

380. **I. Irregularitas est :** Impedimentum *perpetuum* quod prohibet ne quis Ordines *suscipiat*, vel in ordinibus jam susceptis *ministret*.

Sunt autem simpliciter *impediti* qui *pro tempore* aliquo defectu laborant.

a) Ecclesia enim, cum velit clericorum ministerium esse *utile* ac *honorabile*, nonnullas personas exclusit quarum ministerium in alterutro vel in utroque deficeret, easque constituit esse *irregulares*.

Irregularitas igitur primario *rationem impedimenti* habet; et, tantum secundario, irregularitas quæ dicitur *ex delicto* pœna est qua quædam graviora delicta puniuntur.

b) Irregularitates non constituuntur nisi *a jure ;* ideoque nulla contrahitur quæ non sit in novo Codice expressa. — *Cod., c. 983.*

381. **II. Multiplex distinguitur irregularitas.**

a) Ratione *causæ* ex qua procedit : irregularitas alia est *ex delicto*, alia *ex defectu*, prout imponitur, vel propter aliquem defectum quo quis inhabilis est ad exercitium sacri ministerii, vel propter indecentiam propria culpa contractam. — *Cf. cap. 14, De purgatione canonica.*

b) Ratione *extensionis :* alia est *totalis*, qua quis ab ipso statu clericali, omnibusque suscipiendis Ordinibus, susceptorumque exercitio arcetur ; et alia *partialis*, quæ tantum privat ascensu ad superiores Ordines, relicto exercitio, totali vel saltem partiali, ordinum jam susceptorum.

382. **III.** « **Ignorantia** irregularitatum, sive ex delicto sive ex defectu, atque impedimentorum, ab eisdem non excusat. » — *Cod., c. 988.*

383. **IV. Dubium** *juris* ab irregularitate eximit, quia leges ecclesiasticæ, « in dubio juris, non urgent ».

Et in *dubio facti* « potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet ». — *Cod., c. 15.*

384. **V.** « **Irregularitates et impedimenta multiplicantur** ex *diversis* eorundem *causis*, non autem ex repetitione ejusdem causæ, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario. » — *Cod., c. 989.*

§ II. De irregularitatibus in specie

385. **I. Sunt irregulares ex defectu :**

a) « *Illegitimi*, sive illegitimitas sit *publica* sive *occulta*, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi. » — *Cod., c. 984, n. 1.*

1° *Legitimi* sunt « filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo ». — *Cod., c. 1114.* — *Cf. n. 994, b.*

Porro, « pater is est quem *justæ nuptiæ* demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur ». — *Cod., c. 1115, § 1.*

Et legitimi *præsumuntur* « filii qui nati sunt saltem post *sex menses* a die celebrati matrimonii, vel intra *decem menses* a die dissolutæ vitæ conjugalis ». — *Ibid., § 2.*

2° « Per *subsequens parentum matrimonium*, sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, *legitima efficitur* proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel prægnationis, vel nativitatis. » — *Cod., c. 1116.*

3° Filii legitimati per subsequens matrimonium, « ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus *æquiparantur* legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit ». — *Cod., c. 1117.*

b) « *Corpore vitiati* qui *secure* propter debilitatem, vel *decenter* propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. » — *Cod., c. 984, n. 2.* — *Cf. cap. Presbyterum, 2, de clerico ægrotante ;* — *et S. Lig., lib. 7, n. 404, sq.*

« Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime *recepti*, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt. » — *Ibid.*

Ratio est, quia « turpius ejicitur quam non admittitur hospes » *(cap. 25, De jurejur.)* ; et afflicto afflictio non est addenda, ut habet *cap. 5, De clerico ægrotante.*

1° Si *ambiguum* sit num ex corporis defectu quis secure vel decenter possit altaris ministerio defungi, judicium ab *Episcopo* ferendum est, facto experimento coram ss. cæremoniarum magistro.

Dispensatio autem, si corporis vitium omnino certum est, ad Romanum Pontificem pertinet. — Aliquando, in dubio, petitur dispensatio *ad cautelam.*

2° Si qui clerici majoribus Ordinibus initiati, contracta præsenti bello irregularitate ex defectu corporis, *dispensationem postulent*, vel ad ordines exercendos, vel ad superiores recipiendos, recurrendum est in *singulis casibus* ad S. Congregationem de disciplina sacramentorum.

Si qui autem nondum sint majoribus ordinibus initiati, *non expedit* ut promoveantur. — *S. C. de disciplina sacram.*, *3 apr. 1916 (Acta, VIII, 153).*

c) « Qui *epileptici*, vel *amentes*, vel a *dæmone possessi* sunt vel fuerunt ;

» Quod si post receptos ordines tales evaserint et jam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere. » — *Cod., c. 984, n. 3.*

d) « *Bigami*, qui nempe duo vel plura matrimonia *valida* successive contraxerunt. » — *Ibid., n. 4.*

Hæc irregularitas, a pluribus canonibus declarata, ex. gr. *cap. 5, De bigamis non ordinandis*, innititur Apostolica traditione, juxta illud S. Pauli, *I. Tim.*, III, *2 :* « Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum » ; *et infra :* « Diaconi sint unius uxoris viri ».

e) « Qui infamia juris notantur. » — *Cod., c. 984, n. 5.* — *Cf. Reg. 67 juris, in 6°.*

Infamia *juris* est illa quæ casibus jure communi expressis statuitur. — *Cf. n. 265, d.*

f) « Judex qui *mortis sententiam* tulit ; — et qui munus carnificis susceperint, eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiæ. » — *Cod., ibid., num. 6 et 7.*

1° *Testes necessarii*, ad ferendum testimonium a publicis judicibus *coacti*, nulla irregularitate irretiuntur, dum id faciunt a quo sine peccato vel gravi detrimento abstinere nequeunt.

2° Dubitatur an *Judex instructionis*, qui nullam sententiam profert nullumque consilium confert, sed tantum pronuntiat de causæ progressione, et rem ad quos spectat remittit, irregularitatem incurrat.

3° Item quæritur utrum cives, ut aiunt, jurati *(membres du jury)* qui, ex legis præscripto, delegatum munus habent *de delicto pronuntiandi*, nullamque sententiam proferunt, habendi sint irregulares, dum *factum* constare aiunt cui mortis pœna adnexa *de jure* est.

Probabilior videtur sententia quæ tenet Juratos *irregulares non evadere*, quia, non nisi de *facto* decernentes, ipsam mortis sententiam non proferunt ; et, cum a lege civili hoc munus exsequi *cogantur*, is non videtur esse Ecclesiæ sensus ut ab altaris ministerio arceatur qui ab implendo officio abstinere non potest. — *Cf. Gasparri, De sacra Ordinatione, n. 453.*

386. **II. Sunt irregulares ex delicto :**

a) « Apostatæ a fide, hæretici, schismatici », etiam post suam conversionem. — *Cod., c. 985, n. 1.*

b) « Qui, præterquam in casu extremæ necessitatis, *baptismum* ab *acatholicis* quovis modo sibi conferri siverunt. » — *Cod., c. 985, n. 2.* — *Cf. cap. Placuit, 3, causæ 1, quæst. 4.*

c) « Qui *matrimonium attentare* aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis *ligati*, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido conjuncta. » — *Ibid., n. 3.*

d) « Qui *voluntarium homicidium* perpetrarunt, aut fetus humani *abortum* procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes. » — *Ibid., n. 4.* — *Cf. Trid., sess. XIV, cap. 7, De ref.*

1° « Procurantes abortum, *matre non excepta*, incurrunt, effectu secuto, in *excommunicationem* latæ sententiæ Ordinario reservatam ; et, si sint clerici, præterea deponantur. » — *Cod., c. 2350. — Cf. Sixti V constit. Effrenatam, 25 oct. 1588.*

2° *Mandantes* et *metum incutientes* communiter dicuntur censuram incurrere.

Unde, ea plectuntur maritus, fornicator, *jussione* vel *minis* cogentes mulierem ut sibi abortum inferat.

A censura autem eximitur qui prægnantem graviter percutit *ex ira, odio*, vel *zelotypia*, prævidens forsan abortum, sed *non intendens.*

3° Cum in præsenti canone non recenseantur qui « ad tale facinus committendum *opem, consilium, favorem* scienter dederint », ut in Sixtina constitutione legebatur, patet hos postremos præfatam censuram non incurrere.

Ideo excusantur, non quidem a culpa, sed a censura, medicus et pharmacola *apta media indicantes* aut *vendentes.* — Nec censuram incurrit qui solummodo *suadet* ut abortus procuretur.

4° Tuto doceri non potest in scholis catholicis, licitam esse operationem quam *craniotomiam* appellant, quando scilicet, ea omissa, mater et filius perituri sint : ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte ; et generatim quamcumque chirurgicam operationem *directe* occisivam fetus vel matris gestantis. — *S. Cong. Sancti Officii, 28 maii 1884 ; 19 aug. 1889 ; 25 julii 1895.*

e) « Qui seipsos vel alios *mutilaverunt*, vel sibi vitam adimere tentaverunt. » — *Cod., c. 985, n. 5. — Cf. cap. 3, De homicidio, in 6°.*

1° Communior et probabilior sententia tenet : *membra* dici, ad sensum canonum, partes corporis quæ *proprium officium* habent ab aliis distinctum, ut linguam, oculos, aures, nares, pedes, manus, etc.

Non tamen *membrum* dicitur solus digitus, vel digiti articulus, auricula, et similia.

Porro, ad inducendam irregularitatem, requiritur : vel *integra abscissio*, vel *gravis diminutio* alicujus membri, etsi hæc mutilatio, nec usum Ordinis impediat, nec gravem deformitatem afferat. — *Cap. 3, De corpore vitiatis ordinandis vel non.*

2° Nihil refert utrum quis in *proprium* vel in *alienum* corpus mutilationem patraverit.

Imo, irregularis est qui *sibi* solam membri partem, v. gr. unum digitum abscindit, ob pravam voluntatem qua « sibi ausus fuit fer-

rum injicere ». — *Cf. cap. 4, 5 et 6, dist. 55 ; — et cap. 4, De corpore vitiatis.*

Sed qui eunuchus factus est a nativitate, aut per injuriam hominum, aut propter necessariam operationem chirurgicam, certe ab irregularitate immunis est. — *Cf. cap. 7 et 8, dist. 55.*

f) « Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi *vetitam* exercentes, si exinde mors sequatur. » — *Cod., can. 985, n. 6.*

Irregularitas in casu non oritur ex homicidio, sed ex *speciali prohibitione* clericis facta. — *Cf. n. 433.*

g) « Qui actum *ordinis*, clericis in ordine sacro constitutis *reservatum*, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab ejus exercitio pœna canonica, sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali, prohibiti. » — *Cod., c. 985, n. 7.*

1° Ideo fit irregularis qui, ligatus aliqua *censura*, ordinem sacrum exercet ; vel celebrat in loco *interdicto.*

2° Item sacerdos qui pontificalia, diaconus, subdiaconus vel acolythus qui sacras functiones *ordini superiori* reservatas exercere præsumunt.

Toleratur tamen ut, adstante rationabili causa, *defectus Subdiaconi* in Missis solemnibus suppleatur, eidem substituendo *clericum* absque manipulo. — *S. C. Rit., 5 jul. 1698 ; 22 jul. 1848.*

« Clericus pro Subdiacono inserviens : alba super amictu, cingulo et tunica, absque manipulo, sit indutus, atque omnia quæ ad Subdiaconum ex Rubricis spectant rite expleat, *hisce tamen exceptis :* 1° aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus præstabit ; 2° calicem ipsum infra actionem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat, aut super ipsum reponat ; 3° post ablutionem, calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante), sed tantummodo illum componat more solito, et velo cooperiat cum bursa, et ad mensam deferat ». — *Sac. Cong. Rit., 10 mart. 1906.*

387. **III.** « **Hæc delicta irregularitatem non pariunt nisi** fuerint *gravia* peccata, *post baptismum* perpetrata, salvo præscripto can. 985, n. 2 (nempe de baptismo ab acatholicis recepto), itemque *externa*, sive publica sive occulta. » — *Cod., c. 986.* — Ideo :

a) Qui, mortem aliter vitare non valens, suum *invasorem occidit*, non fit irregularis. — *Cf. clement unic.; De homicidio.*

Imo, ex communiori et probabiliori sententia, occidens alterum ob defensionem *libertatis*, *honoris*, *pudicitiæ* vel *bonorum temporalium*, non fit irregularis. — *Cf. S. Lig., lib. 7, n. 388, sq.*

At vero, si *fuga* aut *clamore*, aut *alia ratione*, vitari mors potuit, homicida habendus est qui invasorem occiderit. « Quamvis enim, ait *Innocentius III*, vim vi repellere omnia jura et omnes leges permittant, tamen id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam ». — *Cap. 18, De homicidio.*

b) Qui, dando operam *rei licitæ*, adhibita sufficienti diligentia ne homicidium accidat, hominem tamen occidunt, non sunt irregulares. — *Cap. 23, De homicidio.*

Ideo, irregulares non sunt illi qui committunt homicidium *casuale*, nisi interveniat *negligentia graviter culpabilis*; — nec ii qui infirmo bona fide aliquid cibi vel potus nocivi præbent, aut, illum moventes, causa sint cur decedat ; — nec *medici* et *chirurgi*, etiamsi ex potione aut incisione æger aliquis pereat, nisi *eorum culpa vel imperitia* mori infirmum contigerit.

c) Nec incurrit irregularitatem ille qui, dans operam *rei illicitæ*, aliquem *casu* occidit, nisi res illicita esset ob ipsum periculum homicidii. Ratio est quia tale homicidium non est voluntarium, neque *directe*, cum non sit intentum, neque *indirecte* in sua causa, cum talis actio non sit per se periculosa, modo sufficiens diligentia adhibeatur. — *S. Lig., lib. 7, n. 386.*

Attamen, ex speciali lege, *clericus* qui de cetero peritus est, nec gravem incuriam commisit, irregularis evadit si *medicinam* vel *chirurgiam* exerceat et ægroti mors sequatur. — *Cf. n. 386, f.*

388. **IV. Sunt simpliciter impediti** qui *pro tempore* aliquo defectu laborant, nempe :

a) « *Filii acatholicorum* quandiu parentes in suo errore permanent. » — *Cod., c. 987, n. 1.*

Et impeditis adnumerandus est is cujus pater vel mater tantum est acatholicus, alter parens catholicus, etiam eo in casu quo matrimonium mixtum, datis cautionibus, cum dispensatione in hoc vetito contractum fuit. — *Commiss. Pontif., 16 oct. 1919, ad 13, (Acta, XI, 478).*

b) « Viri uxorem habentes. » — *Ibid., n. 2.*

Olim conjugati poterant, cum uxoris consensu castitatem voventis, ad ordines admitti. — *Cf. cap. Nullus, 4, De temp. ordin., in 6° et cap. 5 de conversione conjugatorum.* — Sed hodie, nec ordines suscipere, nec religionem ingredi possunt.

c) « Qui officium vel administrationem gerunt *clericis vetitam*, cujus rationes reddere debeant, donec, deposito officio, et administratione, atque rationibus redditis, liberi facti sint. » — *Cod., c. 987, n. 3.*

d) « *Servi*, servitute proprie dicta, ante acceptam libertatem. » — *Ibid., n. 4.*

e) « Qui ad ordinarium *militare servitium* civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint. » — *Ibid., n. 5.*

Ad sensum hujus canonis impediti sunt qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati : vel quia ætate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, *ad tempus* inhabiles sunt declarati. — *Commiss. Pontif., 2-3 jun. 1918 (Acta, X, 344).*

f) « *Neophyti*, nisi, judicio Episcopi, sufficienter probati fuerint. » — *Ibid., n. 6.*

g) « Qui *infamia facti* laborant, dum ipsa, judicio Ordinarii, perdurat. » — *Ibid., n. 7.*

§ III. De cessatione irregularitatum

389. I. **Citra legitimam dispensationem** irregularitas, sive ex delicto sive ex defectu, semel contracta non exstinguitur, si *excipias* irregularitatem ex defectu natalium quæ abstergitur, tum subsequenti legitimatione, tum sollemnium votorum professione. — *Cf. n. 385, a.*

Summus Pontifex super omnibus irregularitatibus dispensat quæ impedimentum juris naturalis non important ; *Episcopi* autem nonnisi in casibus præfinitis a jure.

390. II. « **Licet Ordinariis, per se vel per alium, suos subditos dispensare** ab irregularitatibus omnibus ex *delicto occulto* provenientibus, ea excepta de qua in can.

985, n. 4 (nempe voluntario homicidio et fetus abortu), aliave deducta ad forum judiciale. » — *Cod., c. 990, § 1.*

« Eadem facultas competit cuilibet *confessario* in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiæ, sed ad hoc dumtaxat ut pœnitens ordines *jam susceptos* exercere licite valeat. » — *Ibid., § 2. — Cf. S. Offic., 6 sept. 1909.*

391. **III. In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione :**

a) « Omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt ; secus dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis *bona fide*, iis exceptis quæ in can. 990, § 1 excipiuntur (scilicet, excepta irregularitate ex homicidio voluntario aut humani fetus abortu, aliave deducta ad forum judiciale), non autem pro reticitis in *mala fide.*

b) » Si agatur de irregularitate ex *homicidio voluntario,* etiam numerus delictorum exprimendus est, sub pœna nullitatis concedendæ dispensationis.

c) » Dispensatio *generalis* ad ordines valet pro ordinibus quoque *majoribus ;* et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia, etiam curata.

» Sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Prælatus *nullius*, Superior major in religione clericali exempta.

d) » Dispensatio, *in foro interno non sacramentali* concessa, scripto consignetur ; et de ea in *secreto* Curiæ libro constare debet. » — *Cod., c. 991.*

ARTICULUS IV

DE TITULO ORDINATIONIS

Titulus ordinationis est cautio qua clerico providetur de sufficienti ac perpetua sustentatione, « cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis

dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere ». — *Trid., XXI, 2, de ref.*

392. **I. Pro clericis sæcularibus** titulus canonicus est « titulus beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis ». — *Cod., c. 979, § 1.*

« Hic titulus debet esse et vere *securus* pro tota ordinati vita, et vere *sufficiens* ad congruam ejusdem sustentationem, secundum normas ab Ordinariis, pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adjunctis, dandas. » — *Cod., c. 979, § 2.*

393. **II. Si ne unus quidem ex his titulis præsto sit,** « suppleri potest titulo *servitii diœcesis*, et, in locis Sacræ Congregationi de Prop. Fide subjectis, titulo *missionis*, ita tamen ut ordinandus, *jurejurando* interposito, se devoveat perpetuo diœcesis aut missionis servitio, sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate ». — *Cod., c. 981, § 1.*

a) » Ordinarius presbytero, quem promoverit titulo *servitii ecclesiæ* vel *missionis*, debet beneficium vel officium vel subsidium, ad *congruam ejusdem sustentationem* sufficiens, conferre. » — *Ibid., § 2.*

b) In *suspensionem* per annum ab ordinum collatione, Sedi Apostolicæ reservatam, ipso facto incurrunt « qui aliquem ad ordines majores *sine titulo canonico* promoverint ». — *Cod., c. 2373, n. 3.*

394. **III. Pro Regularibus,** « titulus canonicus est sollemnis religiosa professio, seu titulus, ut dicitur, *paupertatis* ». — *Cod., c. 982, § 1.*

a) « Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum, est titulus *mensæ communis*, *Congregationis*, aliusve similis, ad normam constitutionum. » — *Ibid., § 2.* — *Cf. S. C. Ep. et Reg. decret. Auctis admodum, 4 nov. 1892.*

b) « Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, *jure sæcularium* reguntur. » — *Ibid., § 3.*

395. **IV. Una Sancta Sedes dispensare potest ut clericus sine titulo ordinetur,** quippe qui *jure communi* præscribitur.

a) Qui, citra apostolicum indultum, suum subditum in sacris *sine titulo canonico* scienter ordinaverint aut ordinari permiserint, « debent ipsi eorumque successores eidem egenti *alimenta necessaria* præbere, donec congruæ ejusdem sustentationi aliter provisum fuerit ». — *Cod., can. 980, § 2. — Cf. cap. 4 et 16, De præbendis.*

b) « Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico *cum pacto* ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret. » — *Ibid., § 3.*

c) Ordinatus in sacris, si *titulum amittat*, « alium sibi provideat, nisi, judicio Episcopi, ejus congruæ sustentationi aliter cautum sit ». — *Ibid., § 1.*

d) « Nequit clericus *privari* beneficio aut pensione cujus titulo ordinatus fuit, nisi aliunde ejus honestæ sustentationi provideatur. » — *Cod., c. 2299, § 3.*

ARTICULUS V

DE EXAMINE ORDINANDORUM

« Episcopus sacros ordines nemini conferat quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de ejus *canonica idoneitate ;* secus, non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis. » — *Cod., c. 973, § 3.* — Ideo :

396. **I. Publice denuntientur,** in parœciali cujusque candidati ecclesia, « nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, *exceptis* religiosis a votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus ». — *Cod., c. 998, § 1.*

a) « Sed Ordinarius, pro sua prudentia, potest tum ab hac publicatione *dispensare* ex justa causa, tum præcipere ut in *aliis* quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi *substituere* publicam ad valvas ecclesiæ

affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur. » — *Ibid.*

b) « Publicatio fiat *die festo de præcepto*, in ecclesia, inter Missarum sollemnia, aut alia die et hora quibus major populi frequentia in ecclesia habeatur. » — *Ibid.*, § *2.*

c) « Si sex intra menses candidatus promotus non fuerit, *repetatur* publicatio, nisi aliud Ordinario videatur. » — *Ibid.*, § *3.*

d) « Omnes fideles *obligatione* tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante sacram ordinationem revelandi. » — *Cod., c. 999.*

e) « Parocho qui publicationem peragit, et etiam alii, si id expedire videatur, Ordinarius committat ut de ordinandorum moribus et vita a fide dignis diligenter *exquirat*, et *litteras testimoniales*, ipsam investigationem et publicationem referentes, ad Curiam transmittat. » — *Cod., c. 1000,* § *1.* — *Cf. Trid., XXIII, 5, de ref.*

« Idem Ordinarius *alias percontationes*, etiam privatas, si id necessarium aut opportunum judicaverit, facere ne omittat. » — *Ibid.*, § *2.*

397. **II. In ipsa ordinatione diaconorum et presbyterorum,** Archidiaconus, Episcopum alloquens, ait : « Postulat *Sancta Mater Ecclesia, etc.* », et Episcopo sciscitanti utrum Archidiaconus eos dignos agnoscat, hic testificatur ipsos dignos esse, quantum humana fragilitas nosse sinit. Postea, Episcopus populum rogat ut, si quis aliquid habeat contra ordinandos, cum fiducia exeat et dicat. — *Cf. cap. unic., De scrutinio in ordine faciendo.*

Sed hic ritus *hodie mere cæremonialis* est, ad servandam antiquæ disciplinæ memoriam, cum aliunde jam ordinandi vitam et mores Episcopus exploraverit.

Ideo Archidiaconus, licet fortasse ordinandum non cognoscat, tuta conscientia respondere potest illum esse dignum, quia Episcopus, post scrutinium, ipsum dignum habuit. — *Cf. Bened. XIV, De syn. diœc., lib. 5, cap. 3.*

398. **III. « Promovendi sæculares aut religiosi qui, quod pertinet ad ordinationem, sæcularium jure reguntur, afferant ;**

» 1° Testimonium *ultimæ ordinationis*, aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismatis et confirmationis ;

» 2° Testimonium de *peractis studiis*, pro singulis ordinibus, ad normam can. 976, requisitis *(cf. n. 377, c) ;*

» 3° Testimonium rectoris Seminarii, aut sacerdotis cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit, de *bonis* ejusdem candidati *moribus ;*

» 4° Testimoniales litteras *Ordinarii loci* in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit ;

» 5° Testimoniales *Superioris majoris religiosi*, si cui religioni promovendus adscriptus sit. » — *Cod., c. 993.*

399. **IV.** « **Tempus quo promovendus potuit canonicum impedimentum contrahere,** est, regulariter, pro militibus *trimestre*, pro aliis *semestre*, post pubertatem ;

» Sed Episcopus ordinans, pro sua prudentia, exigere potest litteras testimoniales etiam ob *brevius* commorationis tempus, et ob tempus quoque quod pubertatem antecessit. » — *Cod., c. 994, § 1.*

a) « Si loci Ordinarius, neque per se neque per alios, promovendum *satis noverit* ut testari possit eum, tempore quo in suo territorio moratus est, nullum canonicum impedimentum contraxisse, aut si promovendus per *tot diœceses* vagatus sit ut impossibile vel nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per *juramentum suppletorium* a promovendo præstandum. » — *Ibid.*, § *2.*

b) « Si, post obtentas litteras testimoniales, et ante peractam ordinationem, promovendus prædicto temporis spatio in eodem territorio *rursus moratus sit*, novæ litteræ testimoniales Ordinarii loci necessariæ sunt. » — *Ibid.*, § *3.*

c) In *suspensionem* per annum ab ordinum collatione, Sedi Apostolicæ reservatam, ipso facto incurrunt « qui subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit,

ordinaverint contra præscriptum can. 993, n. 4, 994 » de litteris testimonialibus exquirendis. — *Cod., c. 2373, n. 2.*

d) Qui sine litteris *testimonialibus*, vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, ad ordines malitiose accesserit, « *gravibus pœnis* secundum rerum adjuncta puniatur ». — *Cod., c. 2374.*

400. **V.** « **Etiam Superior religiosus suis litteris dimissoriis testari debet,** non solum promovendum *professionem religiosam* emisisse et esse de familia domus religiosæ sibi subditæ, sed etiam de *studiis peractis,* deque aliis jure requisitis.

» Episcopus, acceptis iis litteris dimissoriis, aliis testimonialibus litteris non indiget. » — *Cod., c. 995.*

401. **VI. Prævium ac diligens examen** quilibet ordinandus, sive sæcularis sive religiosus, subire debet « circa ipsum ordinem suscipiendum ». — *Cod., c. 996, § 1.*

« Promovendi vero ad *sacros ordines,* in aliis quoque de sacra theologia tractationibus periculum faciant. » — *Cod., c. 996, § 2.*

a) « Episcoporum est *statuere* qua methodo, coram quibus examinatoribus, et quibus in tractationibus sacræ theologiæ, promovendi periculum facere debeant. » — *Ibid., § 3.*

b) « Hoc examen, sive pro clericis sæcularibus sive pro religiosis, recipit loci Ordinarius qui *jure proprio* ordinat aut dat *dimissorias* litteras ; qui tamen potest quoque, ex justa causa, illud Episcopo ordinaturo *committere,* qui id oneris suscipere velit. » — *Cod., C. 997, § 1.*

« Episcopus *alienum subditum,* sive sæcularem sive religiosum, ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse ad normam § 1, et idoneum repertum, potest huic attestationi *acquiescere,* sed *non tenetur ;* et, si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat. » — *Ibid., § 2.*

ARTICULUS VI

DE TEMPORE, LOCO ET CÆREMONIIS SACRÆ ORDINATIONIS, ET DE EJUSDEM ADNOTATIONE

402. **I. Stata ordinationum tempora :**

a) « *Consecratio episcopalis* conferri debet intra Missarum sollemnia, die dominico vel natalitio Apostolorum. » — *Cod., c. 1006, § 1.*

b) « Ordinationes *in sacris* celebrentur, intra Missarum sollemnia, sabbatis Quatuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, et Sabbato Sancto. » — *Ibid., § 2.*

« Gravi tamen causa interveniente, Episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de præcepto. » — *Ibid., § 3.*

Ex diebus festivis de præcepto non sunt excludendi dies festivi qui ex Apostolica dispensatione *non observantur* in Gallia, ut constat ex variis declarationibus SS. Congregationum.

c) « *Prima tonsura* quolibet die et hora conferri potest ; *ordines minores* singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen. » — *Ibid., § 4.*

d) « Reprobatur *consuetudo* contra ordinationum tempora præcedentibus paragraphis præscripta ;

» Quæ servanda quoque sunt, cum Episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indulto clericum ritus orientalis, aut contra. » — *Ibid., § 5.*

e) Episcopus gaudens indulto conferendi Ordines *extra tempora*, et non servatis *Insterstitiis*, eo uti potest erga *alienos* subditos, suorum Ordinarium dimissorias habentes. — *S. C. de Sacram., 13 aug. 1909 (Acta, I, 656).*

403. **II. Interstitia** sunt ea temporis spatia quæ, ex canonicis sanctionibus, intercedere debent inter unius et alterius Ordinis collationem.

Lex interstitiorum sancita est, tum ut ordinati aptius in muniis Ordinis recepti *se exerceant ;* tum ut in doctrina et moribus melius *probari* possint, antequam ad superiores Ordines promoveantur. — *Cf. Trid.,* XXIII, *11, De ref.*

a) « In ordinationibus *serventur temporum interstitia* quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi præscriptum, sese exerceant.

b) » Interstitia primam tonsuram inter et ostiariatum, vel inter singulos ordines minores, *prudenti Episcopi judicio* committuntur ;

» Acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur quam acolythus *unum saltem annum*, subdiaconus et diaconus *tres saltem menses* in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, aliud exposcat.

c) » Nunquam tamen, nisi de peculiari licentia Romani Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu, duove sacri ordines, *uno eodemque die*, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur ;

» Imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque *omnes ordines minores* una simul. » — *Cod., c. 978.*

404. **III.** « **Ordinationes generales in cathedrali ecclesia,** vocatis præsentibusque ecclesiæ canonicis, publice celebrentur ;

» Si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, *dignior*, quantum fieri poterit, *ecclesia* adeatur. » — *Cod., can. 1009, § 1.*

a) « Non prohibetur autem Episcopus, justa suadente causa, ordinationes particulares habere *in aliis etiam ecclesiis*, itemque in oratorio domus episcopalis, aut Seminarii, aut religiosæ domus. » — *Ibid., § 2.*

b) « Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in *privatis* oratoriis. » — *Ibid., § 3.*

c) « Episcopus, extra proprium territorium, sine Ordinarii loci *licentia*, nequit ordines conferre in quorum collatione *pontificalia* exercentur. » — *Cod., c. 1008.*

405. **IV. Gradatim Ordines conferendi sunt,** et Ordinationes *per saltum*, id est uno prætermisso ordine, prohi-

bentur a jure. — *Cf. tit. De clerico per saltum promoto ; et Trid., sess. 23, cap. 11, De ref.*

a) Attamen ordinatio hujusmodi *valida* est, licet illicita, quia, ut ait *S. Thomas,* « potestates sunt distinctæ, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto. » — *Cf., ex. gr., cap. 1, De clerico per saltum promoto.*

b) Excipitur tantum *Episcopatus,* cujus collatio, ex communi sententia, omisso presbyteratu, non consistit. — *Cf. constit. Bened. XIV, In postremo, 10 oct. 1756.*

Ratio est, quia Episcopatus habetur ut sacerdotii plenitudo et perfectio, quæ, natura sua, sacerdotium ipsum, quod perficit, supponit.

c) « Qui per *saltum* ad ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus. » — *Cod., can. 2374.*

406. **V. Exercitia spiritualia** sacræ Ordinationi præmittenda sunt. — *Cf. Ben. XIV, Instit. eccl. 104.*

a) « Qui ad *primam tonsuram* et ordines *minores* promovendi sunt, spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies; qui vero ad ordines *sacros,* saltem per sex integros dies vacent ;

» Sed si qui, intra semestre, ad plures ordines majores promovendi sint, Ordinarius potest exercitiorum tempus pro ordinatione ad diaconatum *reducere,* non tamen infra tres integros dies. » — *Cod., c. 1001,* § *1.*

b) « Si, expletis exercitiis, sacra ordinatio qualibet de causa ultra semestre differatur, exercitia *iterentur ;* secus judicet Ordinarius utrum iteranda sint, necne. » — *Ibid.,* § *2.*

c) « Hæc spiritualia exercitia *religiosi* peragant in propria domo vel in alia de prudenti Superioris arbitrio; *sæculares* vero in Seminario, aut in alia pia vel religiosa domo ab Episcopo designata. » — *Ibid.,* § *3.*

d) « De peractis spiritualibus exercitiis Episcopus *certior fiat* testimonio Superioris domus in qua peracta

fuerint ; vel, si de religiosis agatur, attestatione proprii Superioris majoris. » — *Ibid.*, § *4.*

407. **VI. Proprios ritus** in Pontificali Romano aliisve ritualibus libris ab Ecclesia probatis descriptos, minister in quovis conferendo ordine adamussim servet, « quos nulla ratione licet præterire vel invertere ». — *Cod., can. 1002.*

a) « Quoties ordinatio *iteranda* sit, vel aliquis ritus *supplendus*, sive absolute sive sub conditione, id fieri potest etiam extra tempora ac secreto. » — *Cod., c. 1007.*

b) « Missa ordinationis vel consecrationis episcopalis semper debet ab ipsomet ordinationis vel consecrationis ministro celebrari. » — *Cod., c. 1003.*

c) « Omnes ad majores ordines promoti, obligatione tenentur *sacræ communionis* in ipsa ordinationis Missa recipiendæ. » — *Cod., c. 1005.*

d) « Si quis, *ritu orientali* ad aliquos ordines jam promotus, a Sede Apostolica indultum obtinuerit superiores ordines suscipiendi *ritu latino*, debet prius ritu latino recipere ordines quos ritu orientali non receperit. » — *Cod., c. 1004.*

408. **VII. Expleta ordinatione :**

a) « Nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis, *notentur* in peculiari *libro*, in Curia loci ordinationis diligenter custodiendo ; et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur. » — *Cod., c. 1010,* § *1.*

b) « Singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptæ *testimonium* ;

» Qui, si ab *Episcopo extraneo* cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario *exhibeant* pro ordinationis adnotatione in speciali libro, in archivo servando. » — *Ibid.,* § *2.*

c) « Præterea loci Ordinarius, si agatur de ordinatis e clero sæculari, aut Superior major, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratæ ordinationis uniuscujusque *subdiaconi* transmittat ad *parochum baptismi*, qui id adnotet in suo baptizatorum

libro, ad normam can. 470, § 2. » — *Cod., c. 1011. — Cf. num. 1134, b.*

ARTICULUS VII

DE REDUCTIONE CLERICORUM AD STATUM LAICALEM

Etsi sacra ordinatio, semel valide recepta, *nunquam irrita* fiat, tamen,

409. **I. Ad statum laicalem redigitur :**

a) Clericus *major* « rescripto Sanctæ Sedis, decreto vel sententia ad normam can. 214 *(cf. n. 412)*, demum pœna degradationis ». — *Cod., c. 211, § 1.*

b) Clericus *minor*, « non solum *ipso factò* ob causas in jure descriptas, sed etiam *sua ipsius voluntate*, præmonito loci Ordinario, aut ejusdem Ordinarii *decreto* justa de causa lato, si nempe Ordinarius, omnibus perpensis, prudenter judicaverit clericum non posse cum decore status clericalis ad ordines sacros promoveri ». — *Cod., c. 211, § 2.*

410. **II. Ut inter clericos denuo admittantur** qui ad statum laicalem quavis de causa regressus est,

a) Requiritur, si in minoribus ordinibus sit constitutus, « licentia *Ordinarii* diœcesis cui incardinatus fuit per Ordinationem, non concedenda nisi post diligens examen super vita et moribus, et congruum, judicio ipsius Ordinarii, experimentum ». — *Cod., c. 212, § 1.*

b) « Clericus vero *major* qui ad statum laicalem rediit, ut inter clericos denuo admittatur, indiget *Sanctæ Sedis* licentia. » — *Ibid., § 1.*

411. **III. Amittunt eo ipso officia, beneficia, jura ac privilegia clericalia** « omnes qui e clericali statu ad laicalem legitime redacti aut regressi sunt, et vetantur in habitu clericali incedere ac tonsuram deferre ». — *Cod., can. 213, § 1.*

« Clericus tamen major obligatione cœlibatus tenetur », salvo præscripto sequentis canonis. — *Ibid., § 2.*

412. IV. « **Clericus qui, metu gravi coactus, ordinem sacrum recepit,** nec postea, remoto metu, eandem ordinationem *ratam habuit* saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subjicere, *ad statum laicalem,* legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia judicis redigatur, sine ullis cœlibatus ac horarum canonicarum obligationibus. » — *Cod., c. 214.*

Sunt enim istæ obligationes adnexæ ordinibus majoribus ex solo *Ecclesiæ præcepto.* — *Cf. Sanchez, De matrim., lib. 7, disp. 29, n. 5.*

a) « Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem *cogere*, vel canonice idoneum ab eodem *avertere.* » — *Cod., c. 971.*

b) « *Excommunicatione* nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo *cogant* virum ad statum clericalem amplectendum. » — *Cod., can. 2352.*

CAPUT III

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM EORUMQUE PRIVILEGIIS

Ubi : de obligationibus clericorum, tum *positivis*, tum *negativis :* nempe de his quæ clericis communiter *præcepta* vel *prohibita* sunt, pluribus omissis quæ *speciatim*, v. gr., Parochos, Vicarios parochiales, contingunt, aut generatim Beneficiatos ratione suorum beneficiorum.

ARTICULUS I

DE VITÆ SANCTITATE

« Vitæ sanctitas, qua dempta, inflat scientia, non ædificat, complectitur, non solum *probos honestosque mores*, sed eum quoque *virtutum sacerdotalium* chorum unde illa exsistit, quæ efficit sacerdotes bonos, similitudo Jesu Christi summi et æterni sacerdotis. » — *Leonis XIII encycl. Quod multum, 22 aug. 1886. — Cf. Cod., c. 124.*

413. **I. Quanta debeat esse clericorum interna sanctitas, arguit ipsa natura status clericalis.**

a) Clerici enim semper *ad res sacras*, nempe ad sacramenta fidelibus conferenda, ad laudes divinas nomine Ecclesiæ persolvendas, ad christianum populum ea quæ ad salutem æternam pertinent edocendum, nec non ad sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum, *proxime*, vel saltem *remote*, applicantur. — *Cf. Levit.*, XXI, *6 ;* — *Isai.*, LII, *12 ;* — *Epist. S. Pauli ad Tit. ; ad Timoth.*

b) Præterea « nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam *eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt ;* cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur.

» Quapropter, sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere,

ut, *habitu gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus,* nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant ; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. » — *Trid., sess. 22, cap. 1, De ref.*

« *Lux doctrinæ*, a clero in Christiani populi ordines diffundenda, vix dici potest quam magnam habeat utilitatem si quasi *e candelabro virtutis* effulserit.

» In præceptis enim quæ sunt ad corrigendos hominum mores, *plus fere possunt quam dicta, facta magistrorum ;* nec quisquam negotio tam facili habiturus est ei fidem cujus a dictis præceptisque discrepent facta. » — *Leonis XIII encyc. Officio sanctissimo, 22 dec. 1887.* — *Cf. encyc. Quod multum,* § *Deinde vero ; et ejusd. Pontif. enc. Depuis le jour, ad Episcopos Galliæ, 8 sept. 1899.*

« Item, sanctimonia posthabita, nihil admodum sacerdos *sal terræ* esset poterit ; corruptum enim et contaminatum integritati minime aptum est conferendæ.... Quapropter Christus, eamdem insistens similitudinem, sacerdotes tales sal infatuatum dicit quod *ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras* atque adeo *conculcecetur ab hominibus.* » — *Pii X encyc. Hærent animo, 4 aug. 1908.*

c) *Parochi* præsertim « oves suas bonorum *omnium operum exemplo* pascere » debent ; ideoque S. Synodus Tridentina « eos admonet et hortatur ut, divinorum præceptorum memores, factique *forma gregis,* in judicio et veritate pascant et regant ». — *Trid.*, XXIII, *1, De ref.*

414. **II. Media ad spiritualem profectum** a clericis adhibenda, sunt : *singulis diebus,* præter horarum canonicarum recitationem, et religiosam sacrosancti Sacrificii celebrationem, oratio mentalis, diligens conscientiæ discussio, librorumque asceticorum lectio ; *singulis hebdomadis,* vel saltem bis in mense, sacramentalis confessio ; et, *succedentibus annis,* spiritualia exercitia. — Ideo :

a) « Curent locorum Ordinarii :

» 1° Ut clerici omnes pœnitentiæ sacramento *frequenter* conscientiæ maculas eluant ;

» 2° Ut iidem *quotidie* orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visi-

tent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant. » — *Cod., c. 125.*

b) « Omnes sacerdotes sæculares debent *tertio* saltem *quoque anno* spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare ;

» Neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, justa de causa, ac de expressa ejusdem Ordinarii licentia. » — *Cod., c. 126.*

ARTICULUS II

DE STUDIIS ECCLESIASTICIS

415. **I.** « **Clerici studia, præsertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant;** et in sacris disciplinis solidam illam doctrinam a majoribus traditam, et communiter ab Ecclesia receptam, sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam. » — *Cod., can. 129. — Cf. Pii X encyc. Pascendi, 8 sept. 1907 ; — S. C. S. Offic. decr. Lamentabili sane, 3 jul. 1907 ; — et Pii X motu proprio Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910.*

416. **II.** « **Singulis annis, saltem per integrum triennium** », sacerdotes omnes, expleto studiorum curriculo, etsi beneficium parœciale aut canonicale consecuti, « *examen* in diversis sacrorum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis », subeant secundum modum ab Ordinario loci determinandum, « nisi ab eodem Ordinario ob justam causam fuerint exempti ». — *Cod., can. 130,* § *1.*

a) Sacerdotes qui, nec ab Ordinaris dispensati, nec legitimo impedimento detenti, hoc examen facere *renuerint,* « ab Ordinario congruis pœnis ad illud cogantur ». — *Cod., c. 2376.*

b) « In collatione *officiorum* et beneficiorum ecclesiasticorum, ratio habeatur eorum qui in memoratis periculis magis præstiterunt. » — *Cod., c. 130,* § *2.*

417. **III. Conventus, quos Collationes seu Conferentias vocant,** de re morali et liturgica, « in civitate episco-

pali et in singulis vicariatibus foraneis, *sæpius in anno*, diebus arbitrio Ordinarii loci præstituendis », habeantur. — *Cod., c. 131, § 1.*

His « addi possunt aliæ exercitationes quas Ordinarius opportunas judicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam ». — *Ibid.— Cf. Ben. XIV Instit. eccles. 103, num. 9 et 10 ; Pii IX encyc. Singulari quidem, 17 mart. 1856.*

Finis autem ob quem instituuntur, præcipuus est ut sacerdotes se invicem in colendis necessariis scientiis adjuvent, in praxi sacri ministerii uniformes fiant, et, initis consiliis et viribus, omni meliori modo quæ muneris sui sunt peragant. — *Aichner, Compend. juris ecclesiastici, § 134.*

a) « Si conventus haberi difficile sit, resolutæ quæstiones *scriptæ mittantur*, secundum normas ab Ordinario statuendas. » — *Cod., c. 131, § 2.*

b) « Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes *sæculares*, tum *religiosi*, licet exempti, curam animarum habentes, et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt. » — *Ibid., § 3.*

c) Sacerdotes contra præscriptum *de Conferentiis* contumaces, « Ordinarius pro suo prudenti arbitrio puniat ;

» Quod si fuerint *religiosi* confessarii curam animarum non gerentes, et eos audiendis sæcularium confessionibus suspendat. » — *Cod., c. 2377.*

ARTICULUS III

DE HABITU CLERICORUM ET TONSURA

« Etsi habitus non faciat monachum,

418. **I.** » **Oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre,** ut, per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. » — *Trid.,* XIV, *6, De ref.*

a) Ideo « omnes Clerici decentem *habitum* ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci præscripta, deferant ».

b) Et « *tonsuram,* seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant ». — *Cod., c. 136.*

c) « Annulo ne utantur, nisi id ipsis a jure aut Apostolico privilegio sit concessum. » — *Ibid., § 2.* — *Cf. n. 363, b.*

d) « Non licet *laicis* habitum clericalem deferre, nisi agatur, vel de Seminariorum alumnis aliisque adspirantibus ad ordines, vel de laicis servitio ecclesiæ legitime addictis, dum intra eandem ecclesiam sunt, aut extra ipsam in aliquo ministerio ecclesiastico partem habent. » — *Cod., c. 683.*

419. **II.** « **Clerici habitum ecclesiasticum et tonsuram non gestantes, graviter moneantur.** » — *Cod., can. 2379.*

a) « *Clerici minores* qui propria auctoritate, absque legitima causa, habitum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese *infra mensem* emendaverint, *ipso jure* e statu clericali decidunt. » — *Cod., c. 136, § 3.*

b) *Clerici majores,* post mensem a monitione, « ab ordinibus receptis *suspendantur ;*

» Et, si ad vitæ genus *a statu clericali alienum* notorie transierint, nec rursus moniti resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur ». — *Cod., c. 2379.* — *Cf. n. 317, b, n. 7.*

ARTICULUS IV

DE RECITATIONE DIVINI OFFICII

420. **I. Clerici omnes in sacris constituti,** licet suspensi sint aut excommunicati, exceptis iis qui ad statum laicalem legitime redacti aut regressi sunt, « tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi juxta proprios et probatos liturgicos libros ». — *Cod., can. 135.*

Eadem obligatione tenentur beneficiarii post captam beneficii possessionem. — *Cod., c. 1475.* — *Cf. n. 1539.*

421. **II. Durante bello ejusque proxima præparatione,** ab Officii divini lege *liber* existit clericus in sacris constitutus « quem bellica convocatio ad functionem adjudicavit militis, vel activi, vel ministrantis commilitonibus vulneratis ». — *S. Pœnit., 15 mart. 1912.*

Sed « clerici qui, licet in sacris constituti, nihilominus coacti fuerunt interesse bello, tum solum excusantur ab obligatione divini officii recitandi quum *actu* in acie seu in *linea* et *loco certaminis* versantur ; secus vero tenentur ad divinum officium in horis liberis quo meliori modo potuerint recitandum ; in casu vero gravis sui vel aliorum incommodi, se gerere possunt ac debent (audito si potuerint proprio confessario) juxta normas generales a Theologis traditas ». — *S. Pœnit., 17 mart. 1916.*

ARTICULUS V

DE SERVANDA CASTITATE

Ubi : de obligatione cœlibatus ; — de clericorum delictis contra bonos mores ; — et de modo procedenti contra clericos concubinarios.

§ I. De obligatione cœlibatus

A tempore saltem concilii *in Trullo*, seu *Quini-Sexti*, an. 692, *concessum est Græcis presbyteris et diaconis* uti suis uxoribus ductis ante Ordinationem, et constitutum ut non alii ad *Episcopatum* promoverentur nisi qui cœlibes vixissent, aut se continentiam perpetuo servaturos sponderent. — Verum :

422. **I. In Ecclesia Latina,** omnes clerici *majoribus* ordinibus initiati « servandæ castitatis obligatione ita tenentur ut contra eandem peccantes *sacrilegii* quoque rei sint » ; nec, post susceptum sacrum Ordinem, matrimonium *valide* contrahere possint. — *Cod., c. 132, § 1. — Trid., sess.* XXIV, *can. 9. — Cf. n. 1027.*

a) Clerici *in sacris* constituti, matrimonium, etsi tantum *civile* ut aiunt, contrahere attentantes, itemque omnes cum eis contrahere præsumentes, « incurrunt in *excommunicationem* latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ simpliciter reservatam ». — *Cod., c. 2388, § 1.*

Præterea, eorum officium ipso facto *vacat*, et, « si moniti, tempore ab Ordinario pro adjunctorum diversitate

præfinito, non resipuerint, degradentur ». — *Cod., c. 188, num. 5; et can. 2388, § 1.*

b) « *Clerici minores* possunt quidem nuptias inire ; sed, in Ecclesia latina, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso jure *e statu clericali* decidunt. » — *Cod., can. 132, § 2.*

c) « Conjugatus qui sine dispensatione apostolica ordines majores, licet bona fide, suscepit, ab eorum ordinum exercitio prohibetur. » — *Ibid., § 3.*

423. **II. Hanc disciplinam suadebant :**

a) *Exemplum Christi et Apostolorum.* — « Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicaverunt. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes..., assumpti in Apostolatum, reliquerunt officium conjugale. » — *S. Hieron., contra Jovin.*

b) *Bonum ecclesiæ.* — Maximi enim refert ut clerici præbeant cunctis fidelibus *exemplum* abnegationis voluptatum carnis, quo efficacius praxim consiliorum evangelicorum commendent ; utque *toti* sint impensi in sollicitudinem sui ministerii, ad procurandam salutem animarum ; nam « qui cum uxore est, *ait S. Paulus*, cogitat quæ mundi sunt, et divisus est ». — *I Cor.*, VII, *33.*

424. **III. Obligationem fundari** simul in *lege* ecclesiastica et in *voto*, communis est Theologorum ac Canonistarum sententia.

a) *Tolerantia* qua usa est Ecclesia respectu clericorum Ecclesiæ Orientalis, probat, neque *jure naturali*, neque *jure divino* continentiam sacris Ordinibus esse adnexam.

b) *De lege canonica* res certissima est. — Quod *ad votum* attinet, Bonifacius VIII innuit illud *implicite saltem* intercedere in susceptione sacrorum ordinum, dum, *in cap. Quod votum, De voto, in 6°*, declarandum duxit : « Illud solum votum debere dici sollemne quod sollemnizatum fuerit per susceptionem *Ordinis sacri*, aut per *professionem*, expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ».

§ II. De clericorum delictis contra bonos mores

425. **I. Clerici ipsam incontinentiæ suspicionem a se removere debent,** præsertim in detinendis apud se aut frequentandis mulieribus. — *Cf. Cod., c. 133.* — Ideo :

a) « Eisdem licet cum illis tantum *mulieribus* cohabitare in quibus *naturale fœdus* nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et hujusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum *provectiore ætate* conjuncta, omnem suspicionem amoveat. » — *Cod., c. 133,* § *2.* — *Cf. cap. 1 et 9, de cohabit. cleric. et mulierum.*

Quando clericus licite habitat cum prædictis sibi conjunctis, etiam ipsi licet habitare cum *earumdem ancillis et pedisequis ;* permittendo enim cohabitationem cum prioribus, canones etiam cum posterioribus eamdem permittere debent, cum priores posterioribus indigeant.

Ad evitandam suscipicionem, non est in ancillam assumenda mulier ante *quadragesimum* suæ ætatis annum, ut tradunt Auctores communiter. — Standum est *Statutis diœcesanis* et consuetudini receptæ.

b) « Judicium an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in *peculari aliquo casu* scandalo esse possit aut incontinentiæ afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cujus est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere. » — *Cod., c. 133,* § *3.*

c) « *Contumaces* præsumuntur concubinarii. » — *Cod., c. 133,* § *4.*

426. **II.** « **Clerici in minoribus ordinibus constituti** rei alicujus delicti contra sextum decalogi præceptum pro gravitate culpæ puniantur, etiam *dimissione* e statu clericali si delicti adjuncta id suadeant, præter pœnas de quibus in can. 2357, si his locus sit. » — *Cod., c. 2358*

Porro, ex citato canone, « laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra ætatem sexdecim annorum commissa vel ob stuprum, sodomiam, lenocinium, ipso facto *infames* sunt præter alias pœnas quas Ordinarius infligendas judicaverit ». — *Cod., c. 2357,* § *1.*

Et « qui publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi præceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis donec signa veræ resipiscentiæ dederint ». — *Ibid.,* § *2.*

427. **III.** « **Clerici in sacris,** sive sæculares sive religiosi :

a) » *Concubinarii,* monitione inutiliter præmissa, *cogantur* ab illicito contubernio recedere, et scandalum reparare, suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis. » — *Cod., c. 2359,* § *1.*

b) « Si delictum admiserint contra sextum decalogi præceptum cum minoribus infra ætatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, *suspendantur, infames* declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, *priventur,* et in casibus gravioribus *deponantur.* » — *Ibid.,* § *2.*

c) « Si aliter contra sextum decalogi præceptum deliquerint, *congruis pœnis* secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant. » — *Ibid.,* § *3.*

§ III. De modo procedendi contra clericos concubinarios

428. **I. Ordinarius clericum qui mulierem suspectam secum habeat aut quoquo modo frequentet,** « **moneat** ut eam *dimittat* vel ab eadem frequentanda sese abstineat, *comminatis* pœnis in clericos concubinarios can. 2359 statutis ». — *Cod., c. 2176.* — *Cf. n. 183.*

429. **II.** « **Si clericus, neque præcepto pareat, neque respondeat,** Ordinarius, postquam sibi constiterit id clericum præstare potuisse :

a) » Eum *suspendat* a divinis ; *Parochum* præterea *statim* parœcia privet ;

b) » Clericum vero qui *aliud beneficium sine animarum cura* habet, si, exacto bimestri tempore a suspensione, sese non emendaverit, privet dimidia parte fructuum beneficii; post alios tres menses, omnibus beneficii fructibus; post alios tres menses, ipsomet beneficio. » — *Cod., c. 2177.*

430. **III.** « **Si clericus non obediat, sed causas excusationis adducat,**

a) » Ordinarius debet super eisdem audire duos examinatores. » — *Cod., c. 2178.*

b) « Si, auditis examinatoribus, Ordinarius existimaverit allatas causas *non esse legitimas,* id clerico quamprimum significet, eique det formale præceptum ut, intra breve tempus a se definiendum, pareat. » — *Cod., c. 2179.*

431. **IV. Iterum inobedientem :**

a) Parochum *amovibilem* « Ordinarius statim ad normam can. 2177 coercere potest ». — *Cod., c. 2180.* — *Cf. num. 429.*

b) Si vero agatur de clerico qui, beneficium *inamovible* obtinens, non paret, sed *novas* allegat deductiones, « Ordinarius eas ad examen revocet, ad normam can. 2178 » ut supra. — *Ibid.*

c) Si ne eæ quidem judicentur legitimæ, « Ordinarius clerico *rursus præcipiat* ut, intra congruum tempus, mandato obtemperet ; quo tempore inutiliter transacto, procedat ad normam can. 2177 ». — *Cod., c. 2181.* — *Cf. n. 429.*

ARTICULUS VI

DE OBLECTAMENTIS ET ARTIBUS PROHIBITIS

432. **I.** « **Clerici ab iis omnibus quæ statum suum dedecent prorsus abstineant.** » — *Cod., c. 138.* — Ideo :

a) « *Indecoras artes* ne exerceant » ; et « ea etiam quæ, licet non indecora, a clericali tamen statu *aliena* sunt, vitent. » — *Cod., c. 138 et 139, § 1.*

b) « *Aleatoriis ludis,* pecunia exposita, ne vacent ;

c) » *Arma* ne gestent, nisi quando justa timendi causa subsit ;

d) » *Venationi* ne indulgeant ; clamorosam autem nunquam exerceant ;

e) » *Tabernas,* aliaque similia loca, sine necessitate,

aut alia justa causa ab Ordinario loci probata, ne ingrediantur. » — *Cod., c. 138.*

Convivia *nuptiarum* vel *natalitiorum* jure communi non vetantur clericis. Verum ex statutis plurium diœcesium ea prohibentur.

f) » *Spectaculis,* choreis et pompis quæ eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, præsertim in publicis theatris, ne intersint. » — *Cod., c. 140.*

433. **II. Medicinam vel chirurgiam** « sine *Apostolico indulto* » ne exerceant. — *Cod., c. 139, § 2.*

a) Clerici hanc artem sibi vetitam exercentes, fiunt irregulares si exinde mors sequatur. — *Cf. n. 386, f.*

b) Si tamen peritus desit, et *casus urgeat,* poterit clericus sine peccato, et sine irregularitatis periculo, mederi. — *S. Lig., lib. 7, n. 384.*

434. **III.** « **Sæcularem militiam** ne capessant *voluntarii,* nisi, cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint. » — *Cod., c. 141, § 1.*

a) Clericus minor qui, contra hoc præscriptum, « *sponte sua* militiæ nomen dederit, ipso jure e statu clericali decidit ». — *Ibid., § 2.*

b) Clerici autem qui ex *patriis legibus* militare coguntur, non incurrunt *irregularitatem,* etsi aliquem manu sua occiderint, cum jam non sit expressum in jure.

Quoties vero agatur de clericis in sacris qui, non legum necessitate coacti, *sponte sua* se obtulerunt ad arma suscipienda aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum. — *S. C. Consist., 25 oct. 1918 ; 28 mart. 1919 (Acta, X, 81 ; XI, 177).*

ARTICULUS VII

DE NEGOTIIS SÆCULARIBUS

« Docente Apostolo Paulo, *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (II Tim.,* II, *4),* constans Ecclesiæ disciplina et sacra lex hæc semper est habita, ne clerici profana negotia susci-

perent nisi in quibusdam peculiaribus et extraordinariis adjunctis et ex legitima venia. » — *S. C. Consist. decret., 18 nov. 1910.* — *Cf. tit. 50, lib. III Decretalium « Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant » ; et Trid. sess. 22, cap. 1, De ref.* — Itaque

435. **I.** « **Gestiones bonorum ad laicos pertinentium** aut officia sæcularia quæ secumferant onus reddendarum rationum », sine « *licentia sui Ordinarii* » ne ineant ». — *Cod., c. 139, § 3.*

Et « a *fidejubendo* pro aliis, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario ». — *Cod., c. 137*

« Cum nostris diebus quamplurima, Deo favente, in Christiana republica instituta sint opera *in temporale fidelium auxilium*, in primisque arcæ nummariæ, mensæ argentariæ, rurales, parsimoniales, hæc quidem opera magnopere *probanda* sunt clero, ab eoque fovenda ; non ita tamen ut ipsum a suæ conditionis ac dignitatis officiis *abducant*, terrenis negotiationibus implicent, sollicitudinibus, studiis, periculis quæ his rebus semper inhærent obnoxium faciant.

» Quapropter SSmus Dominus Noster Pius PP. X, dum hortatur quidem præcipitque ut clerus in hisce institutis condendis, tuendis augendisque, operam et consilium impendat, præsenti decreto prohibet omnino ne sacri ordinis viri, sive sæculares sive regulares, munia illa exercenda suscipiant retineantve suscepta quæ *administrationis curas*, *obligationes*, in se recepta *pericula* secumferant, qualia sunt officia *præsidis*, *moderatoris*, *a secretis*, *arcarii*, horumque similium.

» Statuit itaque ac decernit SSmus Dominus Noster, ut clerici omnes quicumque in præsens his in muneribus versantur, infra quatuor menses ab hoc edito decreto *nuntium illis mittant*, utque in posterum nemo e clero quodvis id genus munus suscipere atque excercere queat, nisi ante ab Apostolica Sede peculiarem ad id *licentiam* sit consequutus. » — *S. C. Consist., 18 nov. 1910 (Acta, II, 910).* — *Cf. S. C. Consist. decr. 20 jun. 1914 de sindacalistis societatibus in Italia (Acta, VI, 349).*

Hodie tamen, ad licentias habendas de quibus in hoc decreto, sufficit, ad normam can. 139, recursus ad Ordinarium proprium. — *Commiss. Pontif., 2-3 jun. 1918 (Acta, X, 344).*

436. **II.** « **Officia publica** quæ exercitium *laicalis* jurisdictionis vel administrationis secum ferunt » sine Apostolico indulto ne assumant ». — *Cod., c. 139, § 2*

Et « tabelliones, seu publicos notarios, nisi in *Curia ecclesiastica* ne agant ». — *Ibid.*

437. **III. Procuratoris aut Advocati munus,** sine licentia sui Ordinarii, ne exerceant « nisi in *tribunali ecclesiastico ;* aut, in *civili,* quando agitur de causa propria, aut suæ ecclesiæ.

» In laicali *judicio criminali* gravem personalem pœnam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes. » — *Cod., can. 139,* § *3.*

438. **IV. Qua ratione circa res politicas** clerici se habere debeant, quæstio hodie agitari solita est.

Clerici, quia bono *Ecclesiæ* præsertim consulere tenentur, cavere debent ne in hac re, sive per *defectum,* sive per *excessum,* a recto tramite declinent. — Porro, ex iis quæ de natura societatis ecclesiasticæ *(cf. n. 19, sq.)* proposita sunt, pronum est sequentes regulas adnotare :

a) Ceu membrum et *minister Ecclesiæ,* clericus non se immisceat rebus *mere politicis.* — Sed, in rebus arcte cum *religione* connexis, ad eum spectat tueri, tum *recta principia,* tum *jura Ecclesiæ,* legitimo quovis modo.

Et, quoniam Ecclesiæ maxime interest quales in cœtum *legumlatorum* cooptentur homines, ideo, salvo civilium legum jure, eniti necesse est ut universi homines « *tales* suffragio communi *eligant* qui, cum studio publicæ rei, studium Religionis probatum conjungant ». — *Leonis XIII enc. Litteras a vobis, 2 jul. 1893.*

b) Tanquam *civis Reipublicæ,* potest, et multoties tenetur uti *juribus civilibus* sibi competentibus ; ideoque, in publicis electionibus, tum *eligere,* tum etiam eligentium *mandatum accipere* potest, et interdum debet.

Possunt igitur clerici, in superioribus consiliis, in comitiis politicis et administrativis sedere, in quibus sæpe quæstiones ecclesiasticæ maximi momenti agitantur. — *Cf. num. 34, b.*

c) Verumtamen « senatorum aut oratorum legibus

ferendis, quos *deputatos* vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia *Sanctæ Sedis*, in locis ubi Pontificia prohibitio intercesserit.

» Idem ne attentent aliis in locis sine licentia, tum *sui Ordinarii*, tum *Ordinarii loci* in quo electio facienda est ». — *Cod., c. 139, § 4.*

Imo, in *Italia*, sacerdotibus non licet munus suscipere Consiliarii in rebus administrativis sive *municipiorum* sive *provinciarum civilium*, et ad hunc finem acceptare ut candidati in electionibus proponantur, « nisi prævio consensu tum *Ordinarii proprii* cujusque sacerdotis, tum *Ordinarii loci* in quo mandatum administrativum est exercendum ». — *S. C. Consist., 8 jun. 1914 (Acta, VI, 313).*

d) Item non indifferens sit sacerdos circa *quæstiones sociales* quæ hodie orbem commovent, memor temporis pristini quo clerus vim et influxum maximum habuit ad stabiliendum et servandum ordinem socialem. — *Cf. enc. Leonis XIII, Rerum novarum, 15 maii 1891 ; et Graves de communi, 18 janv. 1901. — Cf. n. 1136.*

e) « In perturbationibus et intestinis bellis, quibus, aliquoties civiles Status exagitantur », caveant ecclesiastici viri ne, « partium studio abrepti, uni vel alteri *politicæ factioni* se mancipent, et pro ea, contra canonicas leges, aliquid agere et moliri » audeant. — *Leonis XIII decret. per litteras S. C. C., 12 jul. 1900. — Cod., c. 141, § 1.*

439. **V.** « **Prohibentur clerici, per se vel per alios, negotiationem aut mercaturam exercere**, sive in propriam sive in aliorum utilitatem. » — *Cod., c. 142. — Cf. Ben. XIV constit. Apostolicæ servitutis, 25 feb. 1741.*

Ratio est quod clerici, per negotiationem, cum status sui dedecore, implicentur sæcularibus curis, avocentur a rebus divinis, exponantur periculo adhibendi fraudes, avaritiæ suscipionem incurrant, etc.

Nec iisdem incommodis occurritur etiamsi negotium exerceatur sub prætextu lucra inde reportata impendendi in pauperum levamen aut alias pias causas.

a) Dicitur « *per se vel per alios* » — Et recte quidem, monente Benedicto XIV, « quoniam, juxta regulam 72

juris, in 6° : *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.* — Nec verum est clericos, per interpositam personam cambiis alteriusve generis negotiationi vacantes, a curis liberari quibus negotiatores implicantur ; scimus quippe, experientia edocente, eos continuo anxios et sollicitos esse de lucro quod ex data alteri pecunia sint reportaturi, plenosque timoris ne a socio decipiantur. — *De syn., lib. 10, cap. 6, n. 4.*

Qui vero aliquod negotium clericis illicitum, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, sive *hæreditario jure*, aut *quocumque alio titulo*, sive singulariter sive communiter obtinent, illud *dimittere* tenentur. — *Cf. Ben. XIV constit. cit.*

b) Negotiatio *proprie dicta* habetur cum merces emuntur ut postea *majori pretio*, ideoque *lucri causa*, sub eadem vel sub alia forma per *conductos famulos* inducta, vendantur.

c) Verum quædam sunt species negotiationis, *improprie* talis, clericis minime interdictæ.

Istarum præcipua est, qua quis, manuum suarum labore, et honesto artificio, victum sibi suisque comparare studet. Hanc suo exemplo S. Paulus approbavit, *Act.*, XX, *34.* — *Cf. II Thess.*, III, *8.*

Altera impropriæ negotiationis species, clericis permissæ, est vendere res *ex propriis prædiis* collectas, suæque sustentationi superfluas. — *Bened. XIV, De syn., loc. cit., n. 2.*

d) Licitum quoque est ecclesiasticis, e rebus ad propriam et familiæ sustentationem coemptis, *quæ supersunt*, etiam carius quam emerint vendere, modo justi pretii non prætergrediantur limites. — *Bened. XIV, loc. cit.*

e) Item ipsis licet *obligationes* sive etiam *actiones* societatum industrialium, vel etiam commercialium, aut arcarum publicæ utilitati inservientium, emere, dummodo eæ societates nullum habeant propositum *finem illicitum* vel quomodolibet suspectum, neque clerici earumdem

societatum actionibus negotiationem exerceant. — *S. Offic.*, *17 nov. 1875 ; 15 apr. 1885.*

Sed negotiatio quæ fit cum pecuniis ad lucrandum *(jeux de bourse)* est clericis omnino prohibita. — *Cf. Clem. XIII constit. Cum primum, 17 sept. 1759.*

f) « Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se aut per alios exercentes contra præscriptum can. 142, *congruis pœnis*, pro gravitate culpæ, ab Ordinario coerceantur. » — *Cod., c. 2380.*

ARTICULUS VIII

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM

440. **I.** « **Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam;** seseque gravi *sacrilegii* delicto commaculant si quando clericis *realem injuriam* intulerint. » — *Cod., c. 119.*

a) « Qui violentas manus in personam *Romani Pontificis* injecerit : 1° *excommunicationem* contrahit latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ *specialissimo modo* reservatam ; et est ipso facto *vitandus ;* 2° est ipso jure infamis ; 3° *clericus* est degradandus. » — *Cod., c. 2343, § 1.*

b) « Qui in personam S. R. E. *Cardinalis* vel *Legati* Romani Pontificis : 1° in *excommunicationem* incurrit latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ *speciali modo* reservatam ; 2° est ipso jure infamis ; 3° *privetur* beneficiis, officiis, dignitatibus, pensionibus, et quolibet munere si quod in Ecclesia habeat. » — *Ibid., § 2.*

c) « Qui in personam *Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi* etiam titularis tantum, incurrit in *excommunicationem* latæ sententiæ, Sedi Apostolicœ speciali modo reservatam. » — *Ibid., § 3.*

d) « Qui in personam *aliorum clericorum,* vel utriusque sexus *religiosorum,* subjaceat ipso facto *excommunicationi* Ordinario proprio reservatæ ; qui præterea aliis pœnis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat. » — *Ibid., § 4.*

e) « Qui Romanum Pontificem, S. R. E. Cardinalem, Legatum Romani Pontificis, Sacras Congregationes Romanas, Tribunalia Sedis Apostolicæ eorumque Officiales majores, proprium Ordinarium, publicis ephemeridibus, concionibus, libellis, sive directe sive indirecte, *injuriis affecerit*, aut simultates vel odia contra eorundem acta, decreta, decisiones, sententias, *excitaverit*, ab Ordinario, non solum ad instantiam partis, sed etiam ex officio adigatur, per censuras quoque, ad *satisfactionem* præstandam, aliisve *congruis pœnis* vel pœnitentiis, pro gravitate culpæ et scandali reparatione, puniatur. » — *Cod., c. 2344.*

441. **II.** « **Clerici in omnibus causis, sive contentiosis sive criminalibus, apud judicem ecclesiasticum conveniri debent,** nisi aliter pro *locis particularibus* legitime provisum fuerit. » — *Cod., c. 120,* § *1.* — *Cf. n. 189.*

a) « Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicæ, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Prælati *nullius*, supremi religionum juris pontificii Superiores, Officiales majores Romanæ Curiæ, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud judicem laicum conveniri nequeunt sine venia *Sedis Apostolicæ ;*

» Ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia *Ordinarii loci* in quo causa peragitur ; quam tamen licentiam Ordinarius, præsertim cum actor est laicus, *ne deneget* sine justa et gravi causa, tum maxime cum controversiæ inter partes componendæ frustra operam dederit. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Si nihilominus ab eo qui nullam præhabuerit veniam, conveniantur, possunt, *ratione necessitatis,* ad vitanda majora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit. » — *Ibid.,* § *3.*

442. **III. Si quis, contra hoc præscriptum,** « **ausus fuerit ad judicem laicum trahere :**

a) » Aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicæ, vel Officialibus majoribus Romanæ Curiæ ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordi-

narium proprium, contrahit ipso facto *excommunicationem* Sedi Apostolicæ *speciali* modo reservatam ;

b) » Si alium Episcopum, etiam mere titularem, aut Abbatem vel Prælatum *nullius*, vel aliquem ex majoribus religionum juris pontificii Superioribus, *excommunicationem* latæ sententiæ Sedi Apostolicæ *simpliciter* reservatam ;

c) » Demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, *clericus* quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio, reservatam Ordinario ; *laicus* autem congruis pœnis, pro gravitate culpæ, a proprio Ordinario puniatur ». — *Cod., can. 2341.*

443. **IV.** « **Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis, immunes sunt.** » — *Cod., c. 121.*

Ideo damnata est sequens propositio : « Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione, potest abrogari *personalis immunitas* qua clerici ab onere subeundæ exercendæque *militiæ* eximuntur ; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta ». — *Syll., n. 32.*

444. **V.** « **Clerici qui creditoribus satisfacere coguntur,** salva sint quæ ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici judicis arbitrio, sunt *necessaria*, firma tamen eorundem *obligatione* creditoribus quamprimum satisfaciendi. » — *Cod., c. 122.*

445. **VI.** « **Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit** *(cf. n. 107,* a*)* ;

a) » Sed eadem *amittit* si ad statum laicalem reducatur, aut privatione perpetua juris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur ;

b) » *Recuperat* vero, si hæc pœna remittatur, aut ipse rursus inter clericos admittatur. » — *Cod., c. 123.*

446. **VII. Legibus civilibus :**

a) Clerici non obligantur quæ a laicis *personis* latæ sunt *specifice pro clericis et rebus ecclesiasticis*, etiamsi

commodum ecclesiarum et clericorum importent. — Nam clerici et ecclesiæ, qua tales, non subsunt jurisdictioni Principum laicorum. — *Cap. 10, De constitutionibus.*

Excipe : *nisi leges ab Ecclesia fuerint approbatæ ;* quia, in hoc casu, ex ipsius Ecclesiæ auctoritate vim obtinent.

b) Clerici et ecclesiæ non obligantur illis statutis civilibus, etiam generalibus, quæ *sacris canonibus, statui ipsorum,* nec non *libertati et immunitati ecclesiasticæ* adversantur. — Ratio est, quia hujusmodi leges sunt irrationabiles, ideoque nullius valoris. — *Cf. n. 65.*

Hoc pariter intelligendum est : *nisi accedat consensus Romani Pontificis,* qui ob graves causas potest, ex. gr. in Concordatis, quibusdam clericorum privilegiis derogare.

c) Leges civiles generales, *ob publicam Reipublicæ utilitatem* in materia clericis et laicis communi latas, quæ juribus Ecclesiæ *non adversantur,* ut sunt, ex. gr., leges quæ formam contractibus statuunt, vel pretium determinant pro mercibus, clerici *in conscientia* observare tenentur.

Alii quidem dicunt clericos his legibus obligari eo quod fuerint *ab Ecclesia receptæ,* approbatione saltem implicita.

Alii docent clericos obligari, non vi ipsarum legum, sed *indirecte,* ad eum modum quo ipse legislator suis legibus adstringitur, id est, vel ex materia necessaria, vel ad evitandum scandalum, vitandamque confusionem in societate.

Sed potius dicendum est eos teneri quia *cives* sunt, et, sub hoc respectu, subesse debent jurisdictioni Principis sæcularis. — *Cf. De Angelis, in tit. De constit., n. 13.*

d) Quamvis autem clerici iis legibus teneantur quoad earum *vim directivam,* non tamen iis obligantur quoad *vim coactivam ;* quia causæ omnes clericorum, sive civiles, sive criminales, ad *forum ecclesiasticum* exclusive pertinent. — *Cf. n. 189.*

Unde, seclusa *Ecclesiæ tolerantia* vel *positiva concessione,* si clerici deliquerint contra leges civiles, non a magistratu civili, sed a Superiore ecclesiastico, et quidem pœna ejus arbitrio statuenda, puniendi sunt.

TRACTATUS III

DE ROMANO PONTIFICE ET CURIA ROMANA

Ubi : de ipso Summo Pontifice ; — de Litteris Apostolicis ; — de Cardinalibus ; — de Curia Romana ; — de ministris et adjutoribus Romani Pontificis extra Curiam.

CAPUT I

DE IPSO SUMMO PONTIFICE

Videlicet : de electione Summi Pontificis ; — de ejusdem jurisdictione, — et temporali principatu.

ARTICULUS I

DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS

447. **I. Modus eligendi Romanum Pontificem :**

a) *Jure divino* determinatus non existit. Etenim, neque in *Scripturis*, neque in *Traditione*, ullam de hac re Dominicam institutionem reperimus ; neque, si a Christo Domino constituta fuisset eligendi Summi Pontificis forma, varia variis temporibus, sed *eadem* semper fuisset.

b) *Ad auctoritatem igitur ecclesiasticam pertinet* modum istius electionis præscribere, et secundum temporum vicissitudines variare ; eaque potestas *Romano Pontifici* competit, cui divinitus regimen universalis Ecclesiæ commissum est.

448. **II. An successorem sibi eligere** possit Romanus Pontifex, aut Coadjutorem cum futura successione ?

a) Nonnulli id *absolute affirmant* ; imo, aiunt, si hic foret modus ordinarius providendi summo Pontificatui, multa vitarentur incommoda, quia Romana Sedes nunquam vacaret, et schismata, contentiones, etc., hoc ipso cessarent.

b) Alii putant Romanum Pontificem *nullo in casu* posse successorem sibi eligere, et, si forte illum eligat, electionem esse nullam. — *Cf. Péries, De l'intervention du Pape dans l'élection de son successeur* ; — *et Cavagnis, Instit. jur. pub., lib. 2, n. 65.*

c) Alii tandem *mediam viam* ineunt, et dicunt modum provisionis per directam Summ Pontificis designationem, tanquam *ordinarium* licite adhiberi non posse ; sed, in casu veræ et *extraordinariæ* necessitatis vel utilitatis, et validum et licitum esse.

Ratio est, quia suprema et plena potestas Romani Pontificis, neque ex *natura rei*, neque ex speciali *jure divino*, ad solam legislationem de nominatione successoris restricta est. — *Cf. Suarez, De fide, disp. 10, sect. 4* ; — *et Wernz, Jus decret., tom. 2, n. 567.*

449. **III. Historia antiquarum electionum.**

a) *A primordiis Ecclesiæ*, Summi Pontificis electio erat apud *presbyteros et diaconos Urbis Romæ*, quos ipse S. Petrus tanquam senatores Romanæ Ecclesiæ instituit, et Romani Pontificis consiliarios, coadjutores, et electores esse voluit. Clero adjungebatur *populus Romanus*, qui suo consensu electionem corroboraret. — *Cf. cap. Factus, 5, causæ 7, quæst. 1.*

b) *Progressu temporis*, ad sedandum contentiones et tumultus, *Imperatores* suas manus huic electioni interponere cœperunt, non quidem auctoritate *electiva*, sed solum *opitulativa et exsecutiva*, quatenus nempe, in publicæ pacis officium, electionem promovebant, et jam factam sua auctoritate defendebant, ut ita præcaverentur factiones et schismata. — *Ferraris, v. Papa, art. 1, n. 15.*

c) Verum, quia prona est sæcularis potestas ad opprimendam Ecclesiæ libertatem, paulatim res eo devenerunt ut *non alii eligerentur Pontifices nisi qui Imperatoribus accepti essent.*

Et quidem, clerus Romanus, ad quem pertinebat electio, urgente temporum calamitate, ad vitanda dissidia et schismata, potuit aliquando electionem ita perficere ut non evaderet *absoluta* nisi *acce-*

dente talis Regis aut Imperatoris assensu ; qui enim potestatem habent eligendi, possunt etiam non eligere nisi sub tali *conditione*, qua verificata, electio absoluta evadat. — *Bouix, De Curia Rom.*

450. **IV. Electio Cardinalibus reservata.**

a) *Nicolaus II*, ut prudenter occurreret variis seditionibus et tumultuosis impressionibus cleri et populi, statuit, in concilio Later., an. 1059, et postea in concilio Romano, quod solum *cardinales Episcopi* « *præduces* » *forent* in promovenda Summi Pontificis electione, reliquis vero Cardinalibus, clero populoque Romano, remaneret dumtaxat electioni ab ipsis factæ *consentire*, salvo quodam Imperatoris privilegio. — *Cap. 1, dist. 23 ; et cap. 9, dist. 79.*

b) *Alexander III*, in concilio Lateranensi, an. 1178, statuit ut ille demum canonice electus censeretur, in quem *duæ ex tribus partibus omnium Cardinalium* consensissent ; et sic, excluso cleri, populi et Imperatoris consensu, tota Pontificis electio ad solum Cardinalium collegium redacta est, quod ad hodiernam usque diem servatum est. — *Cap. Licet, 6, De electione.*

451. **V. Disciplina Conclavis.** — Insuper, ne diuturnæ vacationis incommodis Romana Ecclesia premeretur, neque Cardinales possent ambientium studiis corrumpi, *Gregorius X*, in concilio Lugdunensi, an. 1274 *(cap. Ubi periculum, 3, De electione, in 6°)*, disciplinam *Conclavis* instituit.

Hæc pluribus subsequentium Pontificum decretis explicata est et perfecta, præsertim vero constitutionibus Clementis V *(clement. 2, De elect.)*, Pii IV, « *In eligendis* », 9 oct. 1562, Gregorii XV, « *Æterni Patris* », 15 nov. 1621, ejusdem Gregorii XV, « *Decet Romanum Pontificem* », 12 mart. 1622, et Clementis XII, « *Apostolatus officium* », 4 oct. 1732.

« Verum decursu ætatum factum est ut hæ de Romano eligendo Pontifice indictæ ac promulgatæ leges sensim multiplici varioque numero augerentur ; nonnullæ etiam temporum rationibus hominumque moribus mutatis, obsoletæ evaderent. »

Ideo Pius X, quæ de Rom. Pontifice eligendo a Decessoribus suis decreta sunt, omnia *in unam Constitutionem* digerere opportunum duxit, « integris, quantum fieri potuit, *servatis* ipsis priorum Constitutionum præscriptis », nonnullis tamen *mutatis* prout opportunius Ipsi visum est.

Edidit ergo constitutionem « *Vacante Sede Apostolica* », 25 dec. 1904, « qua sacrum Cardinalium collegium, Romana Petri sede vacante, atque in Romano Pontifice eligendo, unice utatur », abrogatis omnibus decretis hac de re antea edictis, excepta tamen sua constitutione « *Commissum Nobis* », 20 jan. 1904 de civili *Veto* seu *Exclusiva*, uti vocant, et constitutione Leonis XIII « *Prædecessores Nostri* », cum adjecta instructione, 24 maii 1882, data pro extraordinariis perturbatisque temporum adjunctis, quam in futurum quoque, ubi iisdem Sedes Apostolica conditionibus versetur, integram vigere voluit. — *Acta Pii X, tom. 3, pag. 229 sq. — Cf. Cod., Docum. 1, 2 et 3.*

a) Mortuo Pontifice, Cardinales absentes monendi sunt, ac *per decem dies exspectandi.* — Interim celebrantur exsequiæ defuncti Pontificis. — *Pii X constit. Vacante Sede Apostolica*, § *33.*

Omnibus Cardinalibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur ut, postquam ad novi Pontificis electionem advocati fuerint, nisi *legitimo impedimento* detineantur, indictionis litteris obtemperare debeant. — *Ibid.*, § *35.*

b) Exsequiis defuncti Pontificis persolutis, Cardinales in Basilica S. Petri, vel alibi, pro temporis et loci opportunitate, conveniunt ; et, celebrata prius Missa de Spiritu Sancto, statim, vel, si Patribus potius libuerit, vespere, processionaliter Conclave ingrediuntur. — *Ibid.*, § *44.*

Ibi leguntur prædictæ *constitutiones* Pii X et Leonis XIII de Romani Pontificis electione, et Cardinales, post brevem sermonem habitum a Decano, ad cellas sorte inter eos distributas divertunt. — *Ibid.*, § *45.*

Electione nondum consummata, Cardinales in Conclave *admittuntur*, quocumque tempore Civitatem advenerint. — *Ibid.*, § *34.*

c) Electio Summi Pontificis fieri debet in *Conclavi*, et eo clauso, sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV hac de re statuta. — *Ibid.*, § *47.*

Quilibet Cardinalis in Conclavi *duobus servientibus*, clericis vel

laicis, vel uno clerico et uno laico, contentus sit. Infirmis tamen tertius indulgeri potest. — *Ibid.*, § *38*.

Admittuntur et alii officiales seu ministri pro servitio Cardinalium in communi.

Clauso Conclavi, nulli ad *colloquium* cum Cardinalibus, vel aliis in Conclavi partem habentibus, admittantur nisi præsentibus Prælatis quibus Conclavis custodia concredita est, et nisi voce et idiomate intelligibili loquantur. — *Constit. cit.*, § *49*.

d) *Secretum* religiosissime servandum est ab omnibus in Conclavi partem habentibus, in iis omnibus quæ ad electionem Romani Pontificis pertinent, et quidem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. — *Ibid.*, § *51*.

Etiam *post peractam* novi Pontificis *electionem* secretum servandum est a R. E. Cardinalibus, graviter onerata eorum conscientia, de iis quæ scrutinium directe vel indirecte respiciant, vel quæ in Cardinalium Congregationibus, sive ante Conclave, sive ipso durante habitis, acta vel decreta sint, nisi ab eodem Pontifice peculiaris ad hoc *facultas* concessa fuerit. — *Ibid.*, § *53*.

e) S. P. Leo XIII, perpendens multiplices obices qui, in ea qua Sedes Apostolica versatur conditione, electioni Summi Pontificis moram afferre queant, constitutionem edidit « *Prædecessores Nostri* », 24 maii 1882, qua amplas facultates, *pro casuum varietate*, Collegio Cardinalium concessit, præsertim quoad tempus et locum electionis, quoad materialem Conclavis clausuram, etc. — Hanc autem constitutionem, pro extraordinariis iisdem adjunctis, *in posterum* vigere voluit *Pius X*, constit. cit.

452. **VI. Vocem activam** habent in electione Romani Pontificis : *Cardinales omnes, etiam nuper creati et publicati*, licet iis nondum sit os apertum, nec insignia Cardinalatus fuerint tradita. — *Greg. XV const. Decet Romanum Pontificem*. — *Pii X constit. cit.*, § *30*.

Imo, eligere possunt Cardinales excommunicati, suspensi aut interdicti, « ut eo magis vitentur dissensiones et schismata, quo minor eligentibus aderit dissidendi facultas ». — *Clement. Ne Romani, 2, De electione*. — *Ibid.*, § *29*.

a) Si forte aliquis Cardinalis saltem in *diaconatus* ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat, nisi certo et indubitato *privilegio* Pontificio munitus sit. — *Constit. Pii IV et Sixti V*. — *Ibid.*, § *32*.

b) *Sede vacante tempore concilii generalis*, electio Summi Pontificis nihilominus ad Cardinales exclusive, non vero ad Concilium spectaret.

Voluitque Pius IX ut, « statim ab accepto certo nuntio de morte Pontificis, *suspensum ipso jure intelligatur (concilium)*, et tamdiu dilatum donec novus Pontifex canonice electus illud reassumi et continuari jusserit ». — *Constit. Cum Romanis Pont., 4 dec. 1869. — Ibid., § 28.*

453. **VII. Valide eligi possunt** omnes qui jure divino, aut jure ecclesiastico *irritante*, non impediuntur.

a) Igitur, etiam *laicus* valide eligi potest ; et, a fortiori, *quilibet clericus* extra collegium Cardinalium.

Congruit tamen ut ex Cardinalibus Pontifex assumatur ; et, a tempore Urbani VI, soli Cardinales ad Summum Pontificatum evecti sunt.

b) Nec *ætas* reperitur pro hac electione constituta. — Quod aliquatenus explicat cur, infeliciori quandoque tempore, unus aut alter junior ad Pontificatum assumptus fuerit, quin *ex hac parte* aliquid contra validitatem electionis sequatur.

c) Arcentur vero tanquam *inhabiles* a valida electione : feminæ, infantes qui ad annos discretionis non pervenerunt ; item habituali amentia laborantes, non baptizati, hæretici et schismatici. — *Cf. Cap. Nova, 10, de pœnit. et remiss. — Wernz, loc. cit., n. 577.*

454. **VIII. Triplex modus electionis** esse potest : per scrutinium, compromissum, vel quasi-inspirationem. — *Pii X constit. Vacante Sede Apostolica, § 54, sq. — Cf. num. 288.*

a) Solet autem fieri per *scrutinium*, quod *bis in die* peragendum est, donec sequatur electio.

« Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit et complicaverit,.... palam deferet ad altare, penes quod stant *Scrutatores*, et in quo est calix magnus ad recipiendas schedulas paratus et patena coopertus, ibique genuflectens, aliquantulum orabit ; deinde surgens, alta et intelligibili voce ju-

rabit in hanc formam quæ in tabella super altari posita descripta habetur : *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere quem secundum Deum judico eligi debere.* Post hæc, schedulam in patenam ponet, et per patenam mittet in calicem. » — *Ibid.*, § *67.*

Post scrutinium, fit numeratio suffragiorum, eorum recognitio, et schedularum combustio. — *Ibid.*, § *75.*

Numerus suffragiorum *duarum ex tribus partibus Cardinalium* in Conclavi præsentium, ut electio per viam scrutinii valida sit, ita est censendus ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam suffragium sibi dare ullatenus possit ; electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari. — *Ibid.*, § *57.*

b) In præcedentibus constitutionibus, præsertim Gregorii XV, ad expeditiorem electionem habendam, statutum fuerat ut, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium facta non fuerit, Cardinales possent, semel in quolibet scrutinio, *accedere* alicui ex illis qui in eodem scrutinio saltem unum suffragium validum obtinuissent.

« Cum tamen hujusmodi forma accessus non parum esset ad exequendum difficilis », Pius X præscripsit ut « loco ipsius accessus, semel tam mane quam vespere, post completum scrutinium, siquidem in eo secuta non sit electio, Cardinales statim ad *novum scrutinium* peragendum procedere debeant ». — *Ibid.*, § *76.*

c) Sæculis proxime elapsis, ex prudenti quadam Ecclesiæ *tolerantia* factum est ut *Principes Galliæ, Austriæ et Hispaniæ*, contradictionem suam interponerent, per Cardinalem ad hoc deputatum, quando duæ tertiæ votorum partes in personam minus gratam conspirare videbantur.

Sed hæc « *Exclusiva* » nullo jure aut privilegio nititur ; nec Cardinales ulla lege ecclesiastica tenebantur exclusioni deferre. Et Pius IX, *const. Licet*, *8 sept. 1874*, Cardinales obsecrabat ut, « non intercessione in sæculo potentium moti, sed fixis in solam Dei gloriam et Ecclesiæ utilitatem oculis », ad electionem procederent.

Imo Pius X, constitutione « *Commissum Nobis* », 20 jan. 1904, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, speciali modo futuro Pontifici reservatæ, omnes et singulos Cardinales et omnes in Conclavi partem habentes prohibuit ne, « quovis prætextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto* sive *Exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii proponendi, ipsumve hoc *Veto*, qualibet ratione sibi cognitum, *patefaciant*, sive universo Cardinalium Col-

legio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios ». — *Cf. Cod., c. 2330.*

455. **IX. Electione peracta,** si electus consensum dederit, eo ipso, *quin indigeat ulla confirmatione,* constituitur *Vicarius Christi,* et jure divino *Primatum* obtinet, nempe plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam. — *Cod., c. 219.*

Electus statim induitur *insignia Summi Pontificatus ;* et, sedens in cathedra, recipit salutationes Cardinalium. — Tunc Cardinalis primus ex ordine diaconorum, e consueto loco, peractam electionem sollemniter populo denuntiat his verbis : « *Annuntio vobis gaudium magnum : habemus Papam Eminentissimum et Reverendissimum Dominum..., qui sibi elegit nomen ut N... in posterum vocetur* ».

456. **X. Consecratio Papæ** in Episcopum, si episcopali charactere aut aliis ordinibus non fuerit insignitus, fit a *Cardinali Decano.* — *Cf. n. 503 et 515, b.*

Verum consecratio, non ea quæ sunt jurisdictionis, sed *Ordinis* tantum potestatem confert.

a) *Coronatio* est actus mere cæremonialis ; et fit per antiquiorem Cardinalem diaconum, sequenti die Dominica vel festiva. — *Anni* autem *pontificatus* ab hac die Coronationis computantur.

b) Subinde fit *possessionis assumptio* in Basilica Lateranensi, quæ est ecclesia cathedralis Romani Pontificis, ad quam olim *sollemni processione* accedebat.

ARTICULUS II

DE JURISDICTIONE SUMMI PONTIFICIS

Nempe : de Primatu Romani Pontificis ; — nec non de juribus et prærogativis quæ ab eodem primatu, tanquam a principali fonte, derivantur.

§ I. De primatu romani pontificis

457. **I. De institutione Primatus in beato Petro.** Juxta Evangelii testimonia, Primatus jurisdictionis in

universam Dei Ecclesiam *immediate* et *directe* beato Petro Apostolo *promissus* a Christo Domino atque collatus est.

a) « Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat : *Tu vocaberis Cephas (Joan.*, I, *42)*, postquam ille suam edidit confessionem, inquiens : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, sollemnibus his verbis allocutus est Dominus : *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est ; et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ; et tibi dabo claves regni cœlorum ; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. — Matth.*, XVI, *16-19.*

» Atque uni Simoni Petro contulit Jesus, post suam resurrectionem, summi Pastoris et Rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens : *Pasce agnos meos, pasce oves meas. — Joan.*, XXI, *15-17.*

b) « Huic, tam manifestæ Sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur *pravæ eorum sententiæ* qui, constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, *negant solum Petrum præ cæteris Apostolis*, sive seorsum singulis, sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum ; aut qui affirmant eumdem primatum, *non immediate directeque ipsi beato Petro*, sed Ecclesiæ, et per hanc illi, ut ipsius Ecclesiæ ministro, delatum fuisse.

c) « Si quis igitur dixerit beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum *Apostolorum omnium principem*, et *totius Ecclesiæ militantis visibile caput ;* vel eumdem *honoris tantum*, non autem *veræ propriæque jurisdictionis primatum* ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse : anathema sit. » — *Conc. Vatic., const. Pastor Æternus, cap. 1.*

458. **II. De perpetuitate Primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.**

« Quod autem in beato Apostolo Petro, Princeps pastorum, et Pastor magnus ovium, Dominus Christus Jesus, in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id, Eodem auctore, in Ecclesia, quæ fundata super petram, ad finem sæculorum usque firma stabit, *jugiter durare neccesse est.*

a) » Nulli sane dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum Princeps et caput, fideique columma et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit ; qui ad hoc usque tempus, et semper *in suis successoribus, Episcopis Sanctæ Romanæ Sedis*, ad ipso fundatæ, ejusque consecratæ sanguine, *vivit, et præsidet, et judicium exercet. — Cf. Ephesini conc. act. 3.*

» Unde, *quicumque in hac Cathedra Petro succedit*, is, secundum Christi ipsius institutionem, *primatum Petri* in universam Ecclesiam obtinet.

b) » Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus, in accepta fortitudine petræ perseverans, *suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. — S. Leo M.. serm. 3, cap. 3.*

» Hac de causa, *ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse semper fuit omnem convenire ecclesiam*, hoc est, eos qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandæ communionis jura in omnes dimanant, *tanquam membra in capite consociata*, in unam corporis compagem coalescerent. — *S. Irenæus, adv. hæreses, lib. 3, c. 3 ; — et conc. Aquileien., an. 381.*

c) » Si quis ergo dixerit : non esse *ex ipsius Christi Domini institutione*, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam *habeat perpetuos successores ;* aut *Romanum Pontificem* non esse beati Petri in eodem primatu successorem : anathema sit. » — *Conc. Vatic., loc. cit., cap. 2.*

459. III. De vi ac ratione Primatus Rom. Pontificis.

a) Docuit proinde ac declaravit idem concilium Vaticanum : « Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias *ordinariæ* potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, *immediatam* esse : erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam *seorsum singuli* quam *simul omnes,* officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus quæ ad *fidem* et *mores,* sed etiam in iis quæ ad *disciplinam* et *regimen Ecclesiæ* per totum orbem diffusæ pertinent ; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore.

Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest...

b) » Porro, ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam, jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio, *libere communicandi cum Pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ*, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint....

c) » Et quoniam, divino Apostolici primatus jure, Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse *judicem supremum fidelium (Pii VI breve Super soliditate, 28 nov. 1786)*, et, in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse judicium recurri *(conc. œcumen. Ludg. II) ;* Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuipiam de ejus licere judicare judicio *(ep. Nicolai I ad Michaelem Imp.)*. Quare, a recto veritatis tramite aberrant qui affirmant licere, ab judiciis Romanorum Pontificum, *ad œcumenicum concilium*, tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem, *appellare.*

d) » Si quis itaque dixerit : Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad *fidem* et *mores*, sed etiam quæ ad *disciplinam* et *regimen* Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent ; aut eum habere tantum potiores partes, non vero *totam* plenitudinem hujus supremæ potestatis ; aut hanc ejus potestatem non esse *ordinariam et immediatem*, sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles : anathema sit. » — *Constit. Pastor Æternus, cap. 3. — Cf. Leonis XIII enc. Satis cognitum, 29 jun. 1896 ; — et Cod., c. 218.*

§ II. De juribus et prærogativis quæ sequuntur ex primatu

460. **I. Summus Pontifex est, jure divino, totius catholicæ unitatis centrum.**

Ad hunc quippe *finem* institutus est a Christo Domino Romani Pontificis primatus, ut in Ecclesia *unitas* servaretur *fidei* et *regiminis. — Cf. enc. Satis cognitum.*

« Fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens : hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiæ constituendam et conservandam necessarium fuisse. » — *Catech., Rom., p. 1, art. 9, § 15.*

461. **II. Supremam habet potestatem magisterii,** ita ut dogma divinitus revelatum sit : « Romanum Pontificem, cum *ex cathedra* loquitur, id est cum, omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, *ea infallibilitate pollere* qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit ; ideoque, ejusmodi Romani Pontificis definitiones, *ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse* ». — *Conc. Vatic., sess. 4, cap. 4.*

« Omnes et singuli cujuscumque status, gradus seu conditionis, etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiæ fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis *ad Universale Concilium appellantes*, sunt suspecti de hæresi, et ipso facto contrahunt *excommunicationem* Sedi Apostolicæ *speciali modo* reservatam ;

» Universitates vero, Collegia, Capitula aliæve personæ morales, quocumque nomine nuncupentur, *interdictum* speciali modo Sedi Apostolicæ pariter reservatum incurrunt. » — *Cod., c. 2332.*

462. **III. Jus habet ferendi leges** quæ *universam* Ecclesiam obligent, *independenter* ab acceptatione sive *Fidelium*, sive *Pastorum*.

a) Primatus enim jurisdictionis in aliqua societate, est prima seu suprema potestas eam societatem *regendi*, in ordine ad proprium ipsius finem, et proinde omnes *obligandi* ad servanda quæcumque necessaria sunt ad hunc finem obtinendum.

b) Unde, cum sit universalis Ecclesiæ monarcha et supremus Legislator, *abrogare* etiam potest leges quaslibet ecclesiasticas et consuetudines locales, vel in eisdem *dispensare*. — Regula enim generalis est : legis vinculum relaxari posse auctoritate eorum qui, aut *legem condiderunt*, aut *parem* cum iis potestatem habent.

463. **IV. Est igitur supra canones** a suis *Prædecessoribus* conditos, imo supra canones editos in *Concilio gene-*

rali : cum, intensive, seu quoad vim obligandi, auctoritas Romani Pontificis non sit minor auctoritate Concilii generalis.

a) Unde, *duplex* distinguitur potestas in Romano Pontifice, prout *juri existenti sese accommodat,* vel, recedens a decretis suorum prædecessorum, *de jure extraordinario procedit* et plenitudine suæ potestatis utitur.

« Concedimus, aiebat ipse *Bossuet*, in jure ecclesiastico Papam nihil non posse cum necessitas id postulaverit. » — *Defensio cleri Gallicani, lib. 9, cap. 20.*

Ideo, perperam affirmatum est a *Gallicanis*, ac deinceps a *Jansenianis :* Romani Pontificis potestatem auctoritate veterum canonum, quos antiquitas consecravit, imo et particularium ecclesiarum consuetudinibus, restringi et coarctari.

b) Attamen notandum est hic non agi de canonibus qui *auctoritati divinæ innituntur,* ita ut, licet non sint directe a Deo constituti, sint tamen cum iis quæ a Deo sunt constituta essentialiter conjuncti.

Hi enim canones, quatenus tales sunt, scilicet in sua saltem substantia, certo *immutari non possunt* per Romanum Pontificem, derogatione proprie dicta.

464. **V. Ipsi competit potestas judiciaria,** quæ in omnes causas extenditur, tum *personales,* tum *reales ;* itemque potestas *coercitiva,* nam legislativa potestas, ne inanis sit, necessario adnexam habet potestatem pœnas decernendi.

« Cuncta per mundum novit Ecclesia : quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes beati Petri Apostoli fas habeat resolvendi, utpote quod *de omni Ecclesia* jus habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio ; siquidem, ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit *appellare* permissus. » — *Epist. Nicolai I, cit. in conc. Vatic., sess. 4, cap. 3. — Cf. conc. Sardicens., can. 4 et 7.*

a) Est revera « ejusmodi *appellationum jus* adeo necessario *connexum* cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam *jurisdictionis primatu,* ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte infi-

ciari ; etenim cum, primatus prærogativa, Romanus Pontifex sit *supremus in Ecclesia judex,* cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem : ab inferioris quippe sententia, Superioris tribunal adire, omnibus concessum esse, ipsa naturalis æquitas dictat et persuadet ». — *Ben. XIV, De syn., lib. 4, cap. 5.*

b) Sed « prima Sedes a nemine judicatur ». — *Cod., can. 1556.*

465. **VI. Omnes causæ majores,** nempe quæ ad *fidem,* ad *morum* sanctitatem, ad *disciplinæ* integritatem, ad libertatem ecclesiarum multum conferunt, vel spectant ad rectam administrationem et statum *Ecclesiæ universalis,* ad sedes episcopales, ad promotionem, translationem, renuntiationem *Episcoporum,* eorumque judicium in causis majoribus, etc., Romano Pontifici *reservandæ* sunt ac referendæ ; et ideo quæ rerum ecclesiasticarum instaurationem pertinent quando, v. gr. in Gallia, *abrogato veteri jure Concordatario,* perturbationibus inde ortis *generali decreto* providendum erat.

De his enim decernere, ad Illum solum pertinet cujus auctoritas, utpote *suprema* et monarchica, ad *totam* Ecclesiam extenditur. — *Cf. Pii IX Breve ad Nuntium Parisien., 12 mart. 1848 ; — et Cod., c. 220.*

466. **VII. Graviorum criminum absolutionem,** etiam in foro *conscientiæ,* sibi *reservandi* potestatem habet.

a) Potestas enim jurisdictionis, sine qua sacerdos nec licite nec valide absolvit, est potestas in subditos, et *ad eos tantum pertinet qui subditos habent ;* ideoque, a *Summo Pontifice* et ab Episcopis, jurisdictio, ad absolvendum necessaria, in sacerdotes inferiores descendit, ita tamen ut auctoritati superiori semper obnoxia maneat sive subordinata, et proinde *coarctari* atque etiam auferri possit.

b) Porro, magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere visum est « ut atrociora quædam et graviora crimina, non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde, *merito Pontifices*

Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare ». — *Trid.*, XIV, *De pœnit.*, *cap. 7, et can. 11.*

467. **VIII. Episcopos confirmare, vel deponere**; provincias ecclesiasticas, diœceses, abbatias vel Prælaturas *nullius*, Vicariatus Apostolicos, Præfecturas Apostolicas erigere, aliter circumscribere, dividere, unire, supprimere, ad Romanum Pontificem quoque *exclusivo jure* pertinet ; et consequenter, Ipsi competit potestas certos homines, ac etiam communitates et territoria, *eximendi* ab Ordinariorum jurisdictione ; itemque, potestas sibi *reservandi* quorumdam officiorum et beneficiorum collationem. — *Cf. Pii VI const. Auctorem fidei, n. 7 et 8 ; et Cod., c. 215, § 1.*

Hinc valet in aliqua diœcesi *Administratorem* constituere, seu *Vicarium Apostolicum*, qui ibi episcopalem jurisdictionem exerceat ; item, in provinciis et regnis, *Legatos* vel *Nuntios* habere, quibus speciales Ipse demandaverit facultates ; aut *Visitatores Apostolicos* deputare qui de statu diœcesium relationem exhibeant.

468. **IX. Quæ ad sacrum ministerium,** nempe ad *Sacramenta* et sacramentalia, et generatim ad *cultum* referuntur, ea omnia, salvo jure divino, statuit ac determinat, ut sunt : ordinatio Liturgiæ, institutio festorum de præcepto, beatificatio et canonizatio Sanctorum, etc.

469. **X. Jus habet damnandi libros** qui pravam doctrinam continent, aut bonos mores offendunt, eorumque *lectionem* prohibendi.

a) Ratione enim muneris sui, omnino debet ea omnia removere quæ societati fidelium detrimentum afferunt, et, *pastor bonus*, gregem suum *a venenosis pascuis* arcere.

Porro, nemo non videt quantum Ecclesiæ noceant libri qui a rectis credendi vivendique regulis abducunt, mores corrumpunt, dissidia et seditiones adversus legitimas potestates concitant, omnia denique divina et humana jura miscere, perturbare et convellere student.

b) Ideo etiam exigere potest ut fideles *præviæ cen-*

suræ libros subjiciant ; et libertas typographiæ, in ordine ad censuram ecclesiasticam, pro fidelibus subditis Ecclesiæ catholicæ, de jure non existit, neque existere potest.

Nam cuilibet societati perfectæ competit jus *præventione* quoque mala arcendi, et ea bona protegendi quæ, si semel ablata fuerint, *nulla ratione*, aut nonnisi cum magna difficultate, *restaurari* possunt. — Jam vero, Ecclesia est *societas perfecta*, ad propagandam, conservandam et defendendam fidem catholicam morumque sanctitatem : hæc autem summa bona pravis libris impetuntur, et, semel ablata, non facile restituuntur.

Ipsæ civitates modernæ, non obstante maxima libertate typographiæ, non tamen omnes leges præventivas contra ejus abusus ex Codicibus suis eliminarunt. — *Wernz, tom. 3, n. 112.* — *Cf. Cavagnis, op. cit., n. 119 ; — et Syllab. prop. 79 et 80.*

470. **XI. Bonorum ecclesiasticorum administratio suprema Illi competit,** ita ut, solus, eorum restitutionem *condonare* possit ; ipsique reservatæ sint *alienationes* alicujus momenti, et *fundationum* reductiones. — *Cod., can. 1518.* — *Cf. Concordat. an. 1801, art. 13.*

Præterea, S. Pontifex, in ordine ad finem Ecclesiæ, *vectigalia* imponere potest, sive ipsis bonis et reditibus ecclesiasticis, sive clericis et laicis ratione bonorum privatorum. — *Cf. Wernz, op. cit., tom. 2, n. 597.*

471. **XII. Quod attinet ad jura honorifica :**

a) Summus Pontifex pluribus condecoratur *titulis*, ad maximam Ejus dignitatem et jurisdictionem significandam.

Vocatur enim : *Papa*, id est Pater patrum, *Pontifex Maximus, Vicarius Christi, Episcopus Episcoporum, Ordinarius Ordinariorum.*

Appellatur etiam *Sanctissimus :* « Quis enim sanctum dubitet esse quem apex tantæ dignitatis attollit ? In quo, si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ a loci decessore præstantur : aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat. » — *Cap. Non nos, 1, dist, 40.*

Quanto vero major et excelsior est omnibus, tanto humiliorem se reputat, et seipsum appellat *Servum servorum Dei*, memor illius Dominici præcepti : « Qui major est vestrum, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator ». — *Luc.*, XXII, *26.* — *Cf. epist. S. Pauli ad Philipp.*, II, 7.

b) *Insignia* ejus præcipua sunt :

1° *Tiara,* tribus circumdata coronis, quibus *triplex* magistri, legislatoris et judicis monarchica ipsius potestas exprimitur.

2° *Pallium,* quo « solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis *semper* utitur et *ubique,* quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur.

» *Alii* autem eo, nec semper, nec ubique, sed *in ecclesia sua* in qua jurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, *certis debent uti diebus*, quoniam vocati sunt *in partem sollicitudinis*, non in plenitudinem potestatis. » — *Cap. Ad honorem, 4, De auctoritate et usu pallii. — Cf. num. 585.*

3° *Crux,* quam ante se deferri jubet, quocumque terrarum se conferat.

Baculo vero *pastorali* non utitur (*cap. unic., De sacra unctione*), quia baculum curvum *limitatam* et ab alio *participatam* potestatem significat. — *Cf. S. Th., Supplem., q. 40, art. 7, ad 8.*

472. **XIII. In temporalia Principum** *indirectam* potestatem habet Romanus Pontifex.

a) *Ab omnibus olim admissa est* auctoritas Romani Pontificis in moderando et resolvendo pacto sociali inter Principem et populum Christianum, quæ vulgo audit potestas *deponendi Principes* et *liberandi subditos* a præstanda fidelitate. — Et revera, Romani Pontifices hoc jure, licet non sæpe, usi sunt.

b) Porro, alii hoc jus Romanorum Pontificum repetunt ex concessione seu conventione populorum *medio ævo* recepta, quæ transivit in *jus publicum.* Sed, hoc hodie mutato, dicunt ideo potestatem illam amplius non subsistere.

c) Sed verior sententia est : Romanum Pontificem et Ecclesiam habere jus seu potestatem *indirectam* in temporalia Principum, quoad societates christianas, sed exercendam tantum *in aliquibus circumstantiis*, quæ hodie non verificantur. — *De Angelis, in tit. De constitut., n. 7.*

1° Dicimus hanc potestatem esse *indirectam*, quia Christus Ecclesiæ et Petro non dedit *directe* gerenda nisi negotia *Religionis.*

Nec verum est, in societatibus etiam christianis, potestatem in Principes a Deo *per Romanum Pontificem* defluere : quod distinctionem utriusque potestatis offendit.

2° Thesis autem probatur : ex recognita subordinatione finis societatis civilis fini societatis ecclesiasticæ.

Revera, si Rex sit *incorrigibilis* in avertendo fideles a fine Ecclesiæ proprio, potest ab Ecclesia removeri, ut finis hic ultimus efficaciter obtineatur.

Præterea, cum certum sit *tyrannum* jure naturæ *amittere* jus suum et populos posse ei obedientiam denegare, sequitur Ecclesiam, quæ est judex suprema moralitatis, non modo in abstracto, sed et *in concreto*, posse jure proprio declarare quando Reges amiserint jus suum, et *populi soluti* sint ab officio obedientiæ. — Porro, casus incorrigibilitatis alicujus Principis in hostilitate contra Ecclesiam, includit tyrannidem.

Demum, in societate christiana, sub hac *implicita conditione* regnum Principi collatum est : ut Ecclesiæ sit potestas removendi obstacula quæ suo regimini spirituali opponuntur. — *Cf. Bellarm., De Romano Pontifice, lib. 5, cap. 7, et Bullam unam Sanctam Bonifacii VIII.*

3° Verumtamen, cum societas hodierna non amplius respondeat conditionibus requisitis pro exercitio hujus juris, Ecclesia, ex *christianitatis imperfectione*, eo non utitur. — *Cavagnis, Instit. juris pub. lib. 2, n. 222, sq.* — *Cf. De Angelis, loc. cit.*

ARTICULUS III

DE PRINCIPATU TEMPORALI ROMANI PONTIFICIS

473. **I. Nihil obstat quominus persona ecclesiastica officium Principis sæcularis exerceat,** ita ut potestas civilis et potestas spiritualis in eodem subjecto consistant.

a) Neque enim *jure divino* positivo id prohibitum est ; nec *utriusque jurisdictionis natura* quidquam continet quod huic compositioni adversetur.

Summus igitur Pontifex, et *spiritualem* jurisdictionem in *universalem* Ecclesiam, et *temporalem* potestatem in *aliquas provincias* habere potest.

b) Unde, merito *damnata est* in Syllabo *propositio 27 :* « Sacri Ecclesiæ ministri, Romanusque Pontifex, ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi » ; — *et altera sub num. 75 :* « De temporalis regni

cum spirituali compatibilitate, disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii ».

474. **II. Civilis principatus S. Sedis convenientia et maxima utilitas, imo et relativa necessitas,** attento *præsenti rerum ordine,* luculenter apparet : tum ex ipsa rerum natura, tum ex repetitis Ecclesiæ declarationibus.

a) Ecclesia catholica, vi divinæ suæ institutionis, *perfectæ* societatis formam obtinuit ; igitur ea *libertate* pollere debet qua, in sacro suo ministerio obeundo, nulli civili potestati *subjaceat.*

Porro, cum a suprema *Romani Pontificis* auctoritate *pendeat* totius Ecclesiæ bonum, ideo singulari divinæ Providentiæ consilio factum est ut, « in tanta Principum multitudine ac varietate, Summus Pontifex illa frueretur politica libertate quæ tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem ac jurisdictionem, toto orbe absque ullo impedimento exercendam.

» Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, *impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio,* duci quandoque posse, in universali procuratione gerenda, Sedem illam ad quam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem Ecclesiam convenire. » — *Pii IX litt. Cum catholica, 26 mart. 1860.*

Cf. alloc. consist. diei 20 jun. 1859 ; — epist. enc. « Qui nuper », 18 jun. 1859 ; — « Nullis certe », 19 jan. 1860 ; — « Respicientes », 1 nov. 1870 ; — encyc. « Immortale Dei », Leonis XIII, § Hanc vero.

Conferantur et aliæ allocutiones consistoriales : « *Quibus quantisque* », 20 apr. 1849 ; « *Si semper antea* », 20 maii 1850 : « *Novos* », 28 sept. 1860 ; « *Jamdudum* », 18 mart. 1861 ; « *Maxima quidem* », 9 jun. 1862, etc..., in quibus « proposita et asserta est doctrina quam Catholici omnes firmissime retinere debent de civili Romani Pontificis principatu ». — *Syllab.* § *9.*

b) Hinc *Episcopi,* in declaratione Summo Pontifici oblata, *die 9 jun. 1862,* civilem Sanctæ Sedis principatum, ceu « *quiddam necessarium, ac providente Deo manifeste institutum* » agnoscebant ; nec declarare dubitabant : « in præsenti re um humanarum statu, ipsum hunc princi-

patum civilem, pro bono ac libero Ecclesiæ animarumque regimine, *omnino requiri* ».

« Oportebat sane totius Ecclesiæ caput, Romanum Pontificem, *nulli Principi esse subjectum*, imo *nullius hospitem*, sed in proprio dominio ac regno sedentem, suimet juris esse, et in nobili, tranquilla et alma libertate, catholicam fidem tueri et propagare, totamque regere ac gubernare christianam rempublicam. » — *Declarat. cit.* — *Cf. Bossuet, sermon sur l'unité de l'Église.*

c) Nedum igitur asseramus « abrogationem civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conducere » *(Syll., prop. 76)*, « *necessarium*, e contra, palam edicimus, cum Pio IX, Sanctæ huic Sedi civilem principatum, ut, in bonum religionis, sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit ». — *Enc. Qui nuper, 18 jun. 1859.*

475. **III. Per occupationem Pontificiæ ditionis « grave admittitur sacrilegium,** quo una simul aliena jura contra naturalem divinamque legem usurpantur, omnis justitiæ ratio subvertitur, et cujusque civilis principatus, ac totius humanæ societatis fundamenta, penitus evertuntur.

a) » Facile (enim) intelligitur quemadmodum ejusdem Romanæ Ecclesiæ principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, *spiritualem tamen induat indolem*, vi sacræ quam habet *destinationis*, et arctissimi illius *vinculi* quo cum maximis rei christianæ rationibus conjungitur. » — *Pii IX litt. Cum catholica, 26 mart. 1860.*

b) « Usurpantes vel detinentes, per se vel per alios, bona aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subjaceant *excommunication* latæ sententiæ *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservatæ ;

» Et, si *clerici* fuerint, præterea dignitatibus, beneficiis, officiis, pensionibus priventur, atque inhabiles ad eadem declarentur. » — *Cod., c. 2345.*

CAPUT II

DE LITTERIS APOSTOLICIS

Videlicet : de earum varietate secundum materiam et formam, — speciatim vero de Rescriptis.

ARTICULUS I

DE VARIIS APOSTOLICARUM LITTERARUM SPECIEBUS

476. **I. Attenta litterarum Apostolicarum materia :**

a) Aliæ sunt *ordinationes communes,* quæ totam societatem attingunt, vel partem ipsius, et permanenter aliquid statuunt ; ideoque proprie *Constitutiones* appellantur, nam constitutio idem sonat ac *commune statutum.*

b) Aliæ vero sunt *ordinationes particulares,* quæ *privatas* tantum personas respiciunt, et dicuntur *Rescripta,* quibus scilicet Romani Pontifices respondent, aut supplicantibus pro aliqua gratia, aut referentibus de particulari aliquo negotio, aut dispositionem aliquam pro re transitoria postulantibus.

c) *Decreta* vocantur constitutiones illæ quæ, nullius ad instantiam, seu motu proprio, editæ sunt a Rom. Pontifice ; ideo statutum ipsum quandoque « *Motu proprio* » vocatur.

d) *Decretales* vero epistolæ ita nuncupantur, quia sunt Pontificiæ constitutiones quæ prodierunt ex aliorum relatione, consultatione aut postulatione.

Sæpe tamen unica denominatio Decretorum vel Decretalium usurpatur pro *quibuslibet legibus Pontificiis ;* imo, et pro tota aliqua legum ecclesiasticarum collectione ; dicunt enim : *Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX,* etc.

e) *Encyclicæ* appellantur Pontificiæ constitutiones, sive doctrinales sint sive disciplinares, quatenus diriguntur ad Episcopos totius orbis, vel alicujus regionis.

477. **II. Ratione formæ** distinguuntur in Bullas et Brevia, nisi sint Rescripta in forma *simplici* data.

a) *Bullæ* sunt litteræ papales quæ *expediuntur per Cancellariam*, sub *plumbo*, seu sigillo plumbeo, pendente ex chordulis sericis vel cannabeis ; unde litteræ bullatæ, vel simpliciter Bullæ nuncupantur, *ex nomine sigilli* quod ad ipsas litteras transivit.

Sigillum istud exhibet, ex una parte, imagines SS. Apostolorum Petri et Pauli, et, ex alia parte, nomen Pontificis regnantis.

S. Pontifex *Leo XIII*, motu proprio, 29 dec. 1878, usum *characteris theutonici* penitus sustulit in conficiendis bullis ; et *plumbea numismata* præcepit « servanda esse tantum in Apostolicis litteris collationum, erectionum et dismembrationum *beneficiorum majorum*, nec non in aliis Sanctæ Sedis *sollemnibus actis* » ; iis autem mandavit substitui *impressionem rubri coloris* sigilli noviter confecti, imagines Apostolorum Petri et Pauli referentis, inscriptione nominis regnantis Pontificis circumducta.

Et, ad tramitem constitutionis « *Sapienti consilio* » Pii X, formulæ bullarum, sive collationis beneficiorum, sive constitutionis Diœcesium et Capitulorum, reformatæ sunt. — *Acta, II, 939.*

b) *Brevia,* quorum forma minus sollemnis est, pro levioribus negotiis dari solent. Obsignantur sigillo quod dicitur *annulus Piscatoris,* exhibente imaginem Sancti Petri piscationem agentis.

Iste annulus post obitum Pontificis frangitur. Item frangitur plumbum Cancellariæ Apostolicæ. — *Cf. Pii X constit. Vacante Sede Apostolica, 25 dec. 1904.*

c) Olim in *Brevibus data* apponebatur annum incipiendo a Nativitate Domini ; in *Bullis* vero a die Incarnationis.

« In posterum vero, in omnibus Apostolicis Litteris, sive a *Cancellaria* sive a *Dataria* expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicæ, hoc est a die 25 mensis Martii, sed a Kalendis Januariis. » — *Constit. Sapienti consilio.*

d) Quavis forma dentur, litteræ Apostolicæ *eamdem auctoritatem* habent, modo de earum authenticitate constet.

478. **III.** « **Recurrentes ad laicam potestatem** ad *impediendas* litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica

vel ab ejusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte *prohibentes*, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litteræ vel acta sive alios *lædentes* vel *perterrefacientes*, ipso facto subjaceant excommunicationi Sedi Apostolicæ *speciali modo* reservatæ. » — *Cod., c. 2333.*

Per *Acta a S. Sede profecta* designantur, non tantum acta quæ immediate a S. Pontifice proficiscuntur, sed ea etiam quæ a SS. RR. Congregationibus, Tribunalibus vel Officiis proveniunt. — *S. Off., 13 jan. 1892.* — *Cf. Cod., c. 7.*

479. **IV.** « **Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicæ,** vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis *scienter utentes*, incurrunt ipso facto in excommunicationem *speciali modo* Sedi Apostolicæ reservatam. » — *Cod., c. 2360,* § *1.*

a) « *Clerici* delictum de quo in § 1 committentes, aliis pœnis præterea coerceantur, quæ usque ad *privationem* beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticæ extendi possunt ;

b) » *Religiosi* autem priventur omnibus officiis quæ in religione habent, et voce activa ac passiva, præter alias pœnas in propriis cujusque constitutionibus statutas. » — *Ibid.,* § *2.*

ARTICULUS II

DE RESCRIPTIS

Nempe : de natura et divisione Rescriptorum ; — de requisitis ad eorum valorem ; — de eorum præsentatione et exsecutione, — interpretatione, — effectu et duratione.

§ I. De natura et divisione rescriptorum

480. **I. Rescriptum,** ut ipsum nomen innuit, idem est ac *responsum* Summi Pontificis, vel alterius Ordinarii, *in scriptis* datum, ad alicujus relationem, supplicationem, vel consultationem. — Ideoque differt ab *oraculo vivæ vocis*, quod est declaratio vel concessio facta a S. Pontifice, sed viva voce tantum.

a) Fideles, non solum *jus habent communicandi cum Romano Pontifice* et rescripta ab eo obtinendi, sed, insuper, hoc jus ipsis competit *independenter* a civili potestate. — *Cf. n. 19, 64 ; — et conc. Vaticanum, constit. Pastor Æternus cap. 3.*

Hinc merito Pius IX, in allocutione consistoriali « *Nunquam fore* », 15 dec. 1856, damnavit hanc propositionem : « Gratiæ a Romano Pontifice concessæ, existimari debent tanquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ ». — *Cf. Syllab., n. 29.*

Et, in allocutione « *Maxima quidem* », 9 junii 1862, damnavit aliam propositionem : « Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites, et fideles populi, cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent ». — *Cf. Syll., err. 49.*

b) « Rescripta, tum Sedis Apostolicæ tum aliorum Ordinariorum, impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur. » — *Cod., c. 36.*

c) « Rescriptum impetrari potest *pro alio,* etiam præter ejus assensum ; et, licet ipse possit gratia per rescriptum concessa *non uti,* rescriptum tamen valet ante ejus acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat. » — *Cod., c. 37.*

d) « Gratia ab una Sacra Congregatione vel Officio Romanæ Curiæ *denegata,* invalide *ab alia Sacra Congregatione* vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Sacræ Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi cœptum fuit, salvo jure S. Pœnitentiariæ pro foro interno. » — *Cod., c. 43.*

e) « Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, *nulla facta denegationis mentione ;*

» Facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus. » — *Cod., c. 44, § 1.*

f) « Gratia a *Vicario generali* denegata et postea, nulla facta hujus denegationis mentione, ab *Episcopo* impetrata, invalida est ;

» Gratia autem ab Episcopo denegata nequit *valide,*

etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari. » — *Ibid.*, § 2.

481. **II. Rescriptum dari potest in forma gratiosa, vel in forma commissoria.**

a) Rescriptum est in *forma gratiosa*, quando gratia conceditur absque alterius ministerio. Quo in casu rescriptum dicitur continere *gratiam factam* quæ *jus quæsitum* parit.

b) Est in *forma commissoria* quando Romanus Pontifex per se gratiam non concedit, sed, aut imperat *exsecutori necessario* ut, servatis servandis, gratiam supplicanti largiatur (et tunc hæc forma quandoque appellatur *mixta*), aut concedit facultatem *exsecutori voluntario* gratiam impertiendi pro suo prudenti arbitrio.

482. **III. Rescriptorum forma intrinseca** ipsius petitionis formæ respondet, cum rescriptum *ad instantiam* concedatur.

a) *Petitio* autem *triplici parte* constat : prima, quæ dicitur *narrativa*, facti cum suis adjunctis expositionem exhibet ; secunda quæ *postulativa* est, substantiam instantiæ exprimit ; tertia rationum momenta evolvit quæ Principis animum movere possunt, et dicitur pars *persuasiva*, seu *impulsiva*.

b) Rescriptum igitur pariter constat : prima parte *narrativa*, qua breviter species facti resumitur ; secunda parte *dispositiva*, quæ decisionem continet et voluntatem rescribentis declarat ; tertia parte *doctrinali*, seu exornativa, qua Pontifex exponit rationes juridicas suæ decisionis, commoda vel incommoda postulationis, etc.
Horum exempla sunt Decretales RR. Pontificum, in veteri *Corpore juris canonici*.

§ II. De requisitis ad valorem rescripti

483. **I. De requisitis ex parte precum.** — Rescripta Pontificia semper exprimunt vel subaudiunt clausulam : « Si preces veritate nitantur ». — *Cap. Ex parte, 2, De rescriptis ; Cod., c. 40.*

Unde, expositio facti *obreptione* vel *subreptione* vitiari non debet, nempe allegatione falsi, aut reticentia veri

quod, de jure, aut ex praxi et stylo Curiæ, exprimi debet. Verumtamen :

a) Reticentia veri, seu *subreptio*, in precibus « non obstat quominus rescriptum vim habeat ratumque sit, dummodo expressa fuerint quæ de stylo Curiæ sunt ad validitatem exprimenda ». — *Cod., c. 42, § 1.*

b) Nec obstat expositio falsi, seu *obreptio*, « dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis *una* saltem motiva *vera* sit ». — *Ibid., § 2.*

c) « Vitium obreptionis vel subreptionis in *una* tantum parte rescripti *aliam* non infirmat, si una simul plures gratiæ per rescriptum concedantur. » — *Ibid., § 3.* — *Cf. reg. 37 juris in 6°.*

d) Cum rescriptis ad preces alicujus impetratis apponitur clausula : *Motu proprio*, « valent quidem ea si in precibus *reticeatur* veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si *falsa* causa finalis eaque *unica* proponatur ». — *Cod., c. 45.*

e) Et, dispensatio concessa a *minori impedimento* ad matrimonium contrahendum, « nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur etsi *unica* causa finalis in precibus exposita falsa fuerit ». — *Cod., c. 1054.*

f) « In rescriptis quorum nullus est exsecutor, preces veritate nitantur oportet tempore quo rescriptum *datum* est; in ceteris tempore *exsecutionis.* » — *Cod., can. 41.*

g) « Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum *fraude* vel *dolo* verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpæ gravitate puniri », salva tamen validitate rescripti in casibus de quibus supra. — *Cod., can. 2361.*

484. **II. Ex parte responsionis :**

a) Omnes illæ sollemnitates requiruntur quæ necessariæ sunt ad probandam authenticitatem rescripti.

b) « Rescripta, etiam *Motu proprio* concessa, personæ de jure communi *inhabili* ad consequendam gra-

tiam de qua agitur, itemque edita contra alicujus loci *legitimam consuetudinem* vel statutum peculiare, vel contra *jus alteri jam quæsitum*, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur. » — *Cod., c. 46.*

c) » Rescripta non fiunt irrita ob errorem in *nomine* personæ cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, judicio Ordinarii, nulla sit de *ipsa persona* vel *re* dubitatio. » — *Cod., can. 47.*

† 485. **III. Ex parte ipsius impetrantis,** requirebatur olim *immunitas ab excommunicatione.* — *Cf. cap. 1, De rescriptis, in 6°.*

Unde, *ad cautelam*, in rescriptis et bullis Papalibus, absolutio a censuris in forma gratiosa concedi solebat, ad effectum *tantum* illius rescripti vel bullæ consequendum.

A die vero 3 nov. 1908, quo die inceperunt vim legis habere præscripta in constitutione « *Sapienti consilio* », gratiæ ac dispensationes omne genus a Sancta Sede concessæ « etiam censura irretitis, *ratæ sunt* ac legitimæ, nisi de iis agatur qui *nominatim excommunicati* sint, aut a S. Sede *nominatim* pariter pœna *suspensionis a divinis* multati ». — *Normæ peculiares, cap. 3, art. 1* (*Acta, I, 64*). — *Cf. Cod., c. 36, § 2.*

§ III. De exsecutione rescriptorum

486. **I. Rescriptum exsecutori præsentari debet,** nisi sit in forma *gratiosa*, nullo adsignato exsecutore. Nam :

a) Rescripta in forma *commissoria* a tempore exsecutionis vim obtinent, et solum *jus ad rem* tribuunt.

Sacræ Congregationes Romanæ deputare solent certos ac determinatos *exsecutores*, habita præsertim ratione officii.

Sacra Pœnitentiaria suas dispensationes pro foro conscientiæ committere solet *confessario impetrantis.*

b) Rescripta vero *gratiosa*, quibus nempe a Sede Apostolica gratia conceditur absque interjecto exsecutore, a die *datæ*, seu a momento quo datæ sunt litteræ, vim habent, et *jus in re* quodammodo acquisitum important. — *Cod., c. 38.*

Unde, ex. gr., si Episcopus indultum obtinuerit quod *datum* est

die prima, et ab eodem *receptum* est die tertia januarii, duabus illis diebus intermediis eodem *valide* utitur, etsi *illicite*, ignorans concessionem.

c) « Rescripta quarum præsentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi *quovis tempore*, modo absit fraus et dolus. » — *Cod., c. 52.*

d) Rescriptum Sedis Apostolicæ in quo *nullus datur exsecutor*, « tunc tantum debet Ordinario impetrantis *præsentari*, cum id in eisdem litteris præcipitur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oportet ». — *Cod., c. 51.*

487. **II. Rescripti exsecutor :**

a) « Invalide suo munere fungitur antequam *litteras receperit*, earumque authenticitatem et integritatem *recognoverit*, nisi prævia earumdem notitia ad eum fuerit *auctoritate rescribentis* transmissa ». — *Cod., c. 53.*

Ideo invalida est *dispensatio matrimonialis*, ab Ordinario exsecutioni mandata post habitam notitiam per *telegraphum*, antequam pervenerit authenticum documentum gratiæ concessæ, nisi tamen notitia telegraphica transmissa fuerit *ex officio* auctoritate Sanctæ Sedis. — *S. Off., 14 aug. 1892.*

b) Si in rescripto committatur *merum exsecutionis ministerium*, « exsecutio rescripti *denegari* non potest, nisi : aut manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis aut obreptionis *nullum* esse, aut in rescripto apponantur *conditiones* quas exsecutori constet non esse impletas, aut qui rescriptum impetravit adeo, judicio exsecutoris, videatur *indignus* ut aliorum offensioni futura sit gratiæ concessio ;

» Quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem ». — *Cod., c. 54, § 1.*

c) Quod si in rescripto *concessio gratiæ* exsecutori committatur, « ipsius est pro prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare ». — *Ibid., § 2.* — *Cf. Ord. serv. in Curia Rom., Normæ pecul., cap. 3, art. 1.*

488. **III. Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere,** « nisi substitutio

prohibita fuerit, aut substituti persona præfinita ». — *Cod., c. 57, § 1.*

« Si tamen fuerit electa *industria personæ,* exsecutori non licet alteri committere nisi actus præparatorios. » — *Ibid., § 2.*

489. **IV. Etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio** « rescripta quælibet exsecutioni mandari possunt, nisi fuerit electa industria personæ ». — *Cod., can. 58.*

Hinc, nisi aliud expresse cautum fuerit, *Vicarius Capitularis* exsequi potest rescripta Apostolica « quæ Episcopo vel præcedenti Rectori diœcesis remissa sint; et generatim ad ipsum pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessæ ». — *Cod., c. 435, § 2; et 368, § 2.*

490. **V.** « **Exsecutor procedere debet ad mandati normam.** » — *Cod., c. 55.*

a) Ideo, « nisi *conditiones essentiales* in litteris appositas diligenter impleverit, ac *substantialem* rescripti formam servaverit, *irrita* est exsecutio ». — *Ibid.*

Ratio est quia commissarius, vel judex delegatus, nullam habet potestatem nisi *quatenus commissa est* a delegante. Ergo, si ipse agat contra formam mandati sive rescripti, hujusque limites a delegante positos excedat, nihil agit, cum *limitatam* dumtaxat acceperit potestatem, videlicet *juxta formam sibi præscriptam*, et sub tacita conditione : *si eam observaverit.*

b) « Conditiones in rescriptis tunc tantum *essentiales* pro eorum validitate censentur cum per particulas *si, dummodo,* vel aliam ejusdem significationis, exprimuntur. » — *Cod., c. 39.*

Clausulas in rescriptis *S. Pœnitentiariæ* apponi solitas, inferius descriptas invenies, *n. 546.*

c) In rescriptis quæ super dispensationibus matrimonialibus expediuntur, clausula hujusmodi apponi solet : « *Discretioni tuæ per præsentes committimus et mandamus, quatenus de præmissis te diligenter informes, et, si vera sunt exposita, super quo conscientiam tuam oneramus, cum eisdem exponentibus dispenses.* »

1° Ad hanc inquisitionem peragendam, Ordinarius plerumque

delegat *parochum* qui instantiam redegit, quique, si opus est, interrogat ipsos oratores, eorumve parentes, aut alias personas fide dignas, pro prudenti arbitrio. — *S. Pœnitentiaria, 5 sept. 1899.*

2° Hæc nova verificatio causarum dispensationis, vi litterarum Apostolicarum instituenda, *non requiritur ad validitatem exsecutionis*, ut patet tum ex tenore præfatæ clausulæ quæ, jussu Leonis XIII, 28 aug. 1885, in hujusmodi rescriptis inseritur, tum ex responsione Sacræ Pœnitentiariæ, 27 apr. 1886.

3° Attamen « cognitio causæ, quæ, prout in litteris Apostolicis exprimitur, præmittenda necessario est ante illarum exsecutionem, ejusmodi esse debet ut judex delegatus, quoad veritatem expositorum, *conscientiæ suæ* satisfactum esse sentiat ». — *Sac. Pœnitent., 1 jul. 1859.*

491. **VI. « Exsecutio rescriptorum quæ forum externum respiciunt, scripto facienda est. »** — *Cod., c. 56.*

In hoc scripto, Ordinarius, pro exsecutione dispensationum matrimonialium, commemorat *mandatum* sibi ab Apostolica Sede factum, verificationem et implementum *clausularum*, injungit ea quæ *injungenda* sunt, et tandem, *dispensat expressis verbis*, auctoritate Apostolica, et prolem susceptam, si qua sit, *legitimam* declarat ; proles enim non legitimatur per subsequens matrimonium, cum inter oratores matrimonium, ob impedimentum, consistere nequiverit, ideoque legitimari debet per rescriptum Superioris. — *Cf. Gasparri, De matrim., n. 397.*

a) Dispensatio suas vires exerit, et removet impedimentum, quando Ordinarius *subscribit* decretum, accedente oratorum *acceptatione.*

Sed *petitio* dispensationis ab ipsis partibus facta, vel a tertia persona de eorum mandato aut tacito consensu, *implicitam* continet acceptationem : ideoque, in hoc casu, dispensatio statim valet a momento quo Ordinarius decretum subscribit, etsi partes præsentes non sint, ita ut matrimonium *postea* initum *valeat*, licet partes fulminationem *ignoraverint*, quæ tamen in hoc a gravi peccato non excusantur ; *antea* vero initum sit *nullum*, etsi partes putaverint dispensationem fulminatam fuisse. — *Gasparri, op. cit., num. 398.*

b) « Exsecutori fas est, si quomodolibet in rescriptorum exsecutione erraverit, *iterum* eadem exsecutioni mandare. » — *Cod., c. 59, § 1.*

c) « Quod attinet ad *taxas* pro rescriptorum exsecutione, servetur præscriptum can. 1507, § 1. » — *Ibid.*, § *2.* — *Cf. num. 914, a.*

§ IV. De interpretatione rescriptorum

492. **I. Sola pars dispositiva jus facit;** et, in dubio, interpretanda est juxta allegata in contextu et exposita in supplicatione, et ita ut aliquid operetur. — *Cf. cap. 25, De verborum significatione.*

Verba autem rescripti intelligenda sunt secundum propriam significationem, *usu communi* receptam et *stylo Curiæ ;* et, quando non constat de contraria voluntate rescribentis, explicari debent secundum *jus commune*, quum omnis recessus a jure communi censeatur odiosus. — *Cod.*, *c. 49.*

493. **II. Strictam interpretationem** recipiunt « rescripta quæ ad *lites* referuntur, vel *jura* alii quæsita lædunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad *beneficii* ecclesiastici assecutionem ». — *Cod., c. 50.*

Cetera omnia « *latam* » interpretationem habent, cum « beneficia principum sint interpretanda largissime » *(cap. 16, De verb. signific.)*. — *Cod., loc. cit.* — *Cf. n. 106.*

494. **III. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur :**

a) « Peculiare, in iis quæ *peculiariter* exprimuntur, prævalet generali ». — *Cod.*, *c. 48*, § *1.*

b) « Si sint æque peculiaria aut generalia, *prius tempore* prævalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit. » — *Ibid.*, § *2.*

c) « Quod si eodem die fuerint concessa, nec liqueat uter prior impetraverit, *utrumque irritum est*, et, si res ferat, rursus ad eum qui rescripta dedit, est recurrendum. » — *Ibid.*, § *3.*

§ V. De effectu et duratione rescriptorum

495. **I. Rescripta per se jus particulare dicunt,** pro eo scilicet negotio, et erga eas personas pro quibus data

sunt. Ideoque non debent « ad *casus alios* præter expressos extendi ». — *Cod., c. 49.*

Per accidens tamen jus generale constituere possunt : nempe, si promulgentur a Principe ad modum *legis ;* vel inserantur in *collectione authentica legum*, ut evenit, ex. gr., in compilatione Decretalium Gregorii IX ; vel tandem *jus commune ita interpretentur* ut amplius dubitandi locus non supersit.

496. **II. Exspirant rescripta :**

a) Sive ex *natura rei*, sive *elapso tempore* in eisdem assignato, ut si gratia concessa sit ad triennium vel quinquennium.

b) *Morte exsecutoris*, si exsequendi potestas, vel jurisdictio, commissa sit *ratione personæ*, nempe, si industria et fides personæ electa sit, quod ex tenore rescripti dignoscitur. — *Cf. n. 489.*

Si vero commissio facta sit *ratione dignitatis*, aut *officii*, tunc morte exsecutoris rescriptum non cessat, sed potestas illud exsequendi transit ad successorem, cum dignitas non intereat.

c) *Revocatione concedentis*, quæ expressa esse potest vel tacita. — *Cod., c. 60.*

Expressa, quando disertis verbis R. Pontifex gratiam concessam annullat, si, v. gr., evaserit bono publico damnosa. — *Cf., ex. gr., cap. ult. De rescriptis, in 6°.*

Tacita, quando concessum est aliud rescriptum contrarium, quod, juxta superius dicta, priori sit præferendum.

Rescriptum, per peculia em Super oris actum revocatum, « *perdurat* usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit, significetur ». — *Cod., c. 60, § 1.*

Per *legem contrariam* « nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa ege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis ». — *Ibid., § 2.*

d) *Renuntiatione*, si rescriptum contineat favorem *solius impetrantis*, cum unusquisque possit favori propter se introducto renuntiare.

Nemo enim cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, « nisi alio ex capite exsurgat obligatio ». — *Cod., c. 69. — Cf. n. 107, a.*

497. **III. Per Apostolicæ Sedis aut diœcesis vacationem** « nullum ejusdem Sedis Apostolicæ aut Ordinarii rescriptum perimitur, nisi aliud ex *additis clausulis* appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis *in eodem expressis,* et res adhuc integra sit » — *Cod., c. 61.*

CAPUT III

DE CARDINALIBUS

Videlicet : de eorum nomine et origine, — numero et creatione, — officiis, — dignitate et privilegiis.

ARTICULUS I

DE NOMINE ET ORIGINE CARDINALIUM

498. **I. Nomen Cardinalium antiquissimum est.** — Quivis enim Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui certæ alicujus ecclesiæ proprius et ordinarius minister esset, *Cardinalis* dicebatur, quia eidem ecclesiæ suæ tanquam *cardo* affixus foret, atque, ideo, ecclesia circa eum, *veluti valva circa cardinem*, volveretur.

Ideo, apud ecclesiasticos Scriptores, sæpissime verbum occurrit *cardinandi* seu *incardinandi*, hoc est, certæ ecclesiæ perpetuo addicendi. — *Soglia, Institutiones juris publici, part. 2, § 41.*

499. **II. Ad Romanam Ecclesiam quod attinet,**

a) In ea erant tituli, sive ecclesiæ, in quibus sacri conventus fiebant, et sacramenta administrabantur : unde *Cardinales Presbyteri.*

b) Erant et diaconiæ in Urbis regionibus, hospitales nempe domus cum adhærentibus sacellis et oratoriis, diaconis idcirco commissæ : unde *Cardinales Diaconi*, qui etiam *Regionarii vocabantur.*

c) Episcopi quoque *suburbicarii*, cum censerentur incardinati ecclesiæ Romani Pontificis, a sæculo octavo nomen Cardinalium consecuti sunt.

Hodie, *hæ suburbicariæ sunt sedes :* Portuensis et Sanctæ Rufinæ. Albanensis, Prænestina, Sabinensis, Tusculana, Veliterna. — *Cf. Pii X motu proprio Edita a Nobis, 5 maii 1914.*

500. **III. Hoc nomen commune, successivis temporibus, exclusive reservatum fuit** Cardinalibus ecclesiæ *Romanæ*, qui *Senatum* Pontificis efformabant.

Quanquam enim Romanæ et aliarum ecclesiarum Cardinales fuerint nomine et origine pares, attamen *Romani Cardinales* omnium *nobilissimi* semper habiti sunt : ideo quod præcipua pars essent Presbyterii Pontificis seu cleri Romani, ad quem electiones Summorum Pontificum præcipue pertinebant ; eosdemque Pontifices in maximis Ecclesiæ negotiis opera et consilio juvabant ; quinimo, Romanæ et universalis Ecclesiæ bona atque jura, vacante Sede, tuebantur. — *Soglia, ibid.* — *Cf. Bouix, De Cur. Rom., p. 1.*

ARTICULUS II

DE NUMERO ET CREATIONE CARDINALIUM

501. **I. Cardinalium numerus, in ecclesia Romana,** incertus *olim* fuit et vagus.

a) *Ineunte sæculo XII*, septem Cardinales Episcopi, viginti octo presbyteri, et octodecim diaconi fuisse videntur. Sed is numerus adeo *imminui* cœpit, ut electioni Nicolai III octo tantum Cardinales interfuerint.

Rursus autem in dies *adauctus est* eorum numerus, præcipue occasione schismati Avenionensis, cum duo, et interdum tres de Pontificatu contendentes, suos quisque Cardinales creabat, qui ejus partibus adhærerent. — *Soglia, ibid.*

b) *Sixtus V* decrevit ne Cardinales in posterum plures essent quam *septuaginta*, « sequi cupiens mandatum Domini factum ad Moysen de congregandis septuaginta viris de senibus Israel, quos nosset senes populi esse atque magistros, ut secum onus populi sustentarent, et non ipse solus gravaretur ». — *Constit. Postquam, 3 dec. 1586.* — *Cf. ejusd. Pontif. constit. Religiosa sanctorum, 16 apr. 1587.*

502. **II.** « **Sacrum Collegium in tres ordines distribuitur :** *episcopalem*, ad quem soli pertinent sex Cardinales diœcesibus suburbicariis præpositi ; *presbyteralem*, qui constat Cardinalibus quinquaginta ; *diaconalem*, qui quatuordecim. » — *Cod., c. 231, § 1.*

a) « Cardinalibus ordinis presbyteralis ac diaconalis suus cuique *titulus* aut *diaconia* in Urbe assignatur a Romano Pontifice. » — *Ibid., § 2.*

b) » Per *optionem* in Consistorio factam, et a Summo Pontifice approbatam, possunt, servata prioritate ordinis et promotionis, Cardinales ex ordine presbyterali *transire* ad alium titulum, et Cardinales ex ordine diaconali ad aliam diaconiam, et, si per integrum decennium in ordine diaconali permanserint, etiam ad ordinem presbyteralem. » — *Cod., c. 236, § 1.*

c) Cardinalis ad sedem *suburbicariam* promotus, et in ejusdem possessionem canonice immissus, « est verus Episcopus suæ diœcesis, eaque potestate in eam pollet quam Episcopi *residentiales* in propria diœcesi obtinent ». — *Cod., c. 240, § 1.*

d) Ceteri Cardinales in suis titulis vel diaconiis, postquam eorundem canonicam possessionem ceperint, « omnia possunt quæ *locorum Ordinarii* in suis ecclesiis, *exceptis* ordine judiciorum et qualibet jurisdictione in fideles, sed salva potestate in iis quæ ad disciplinam, morum correctionem, servitium ecclesiæ pertinent ». — *Ibid., § 2.*

e) « Cum throno et baldachino Cardinalis ordinis *presbyteralis* potest in suo titulo *pontificalia* peragere, et Cardinalis ordinis *diaconalis* in sua diaconia pontificaliter assistere, et nemo alius ibidem id potest sine Cardinalis assensu ;

» In aliis vero Urbis ecclesiis Cardinales throno et baldachino uti nequeunt sine licentia Romani Pontificis. » — *Ibid., § 3.*

503. **III.** « **Sacro Cardinalium Collegio præest Decanus,** idest antiquior promotione ad aliquam Sedem suburbicariam, cui tamen nulla est in ceteros Cardinales jurisdictio, sed ipse primus habetur inter æquales. » — *Cod., c. 237, § 1.*

« Vacante decanatu, ipso jure succedit *Subdecanus*, sive is tempore vacationis sit præsens in Curia, sive in sua suburbicaria diœcesi commoretur, sive absit ad tempus ob sibi commissum munus a Romano Pontifice. » — *Ibid., § 2.*

504. **IV.** « **Cardinales libere a Romano Pontifice ex toto terrarum orbe eliguntur** », ut « in regimine univer-

salis Ecclesiæ Romano Pontifici assistere valeant, ac de *omnibus* christianorum regnorum provinciarumque moribus, rebus et negotiis, prompte et fideliter, certa ab eis notitia, pro rerum emergentium opportunitate, habeatur ». — *Sixti V constit. Postquam.* — *Cod., c. 232, § 1.*

Neque Principes catholici, cum Cardinalem quemdam Romano Pontifici commendant, vero jure præsentandi gaudent, aut liberam creationem Cardinalium impedire possunt.

505. **V.** « **Creantur et publicantur a Romano Pontifice Cardinales in Consistorio;** sicque creati et publicati, obtinent jus ad electionem Romani Pontificis, et privilegia de quibus in canone 239. » — *Cod., c. 233, § 1.* — *Cf. num. 515.*

a) Summus Pontifex *interrogare solet* Cardinales in Consistorio, quid ipsis videatur de promovendis ; et, Cardinalibus approbantibus, statim decretum promotionis edicitur ; sed hæc interrogatio, et assensus relativus, *meram cæremoniam* constituunt.

b) *Si promotus in Urbe commoretur*, stata die ad Aulam Apostolicam accedit, et a Summo Pontifice *rubro bireto* decoratur.

Tum *publicum* indicitur pro certa die *Consistorium*, in quo, expletis quibusdam cæremoniis sollemnibus, Romanus Pontifex Cardinali promoto imponit *galerum rubrum ;* ipsi quoque *os claudit*, quæ cæremonia inducta est « ut Cardinales, antequam in Consistoriis et Congregationibus suffragium ferant, de modestia quæ ab ipsis in his et in aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur ». — *Constit. Pii X*, *Vacante Sede Apostolica*, § *30.*

Deinde vero, *in alio Consistorio secreto*, Summus Pontifex novis Cardinalibus *os aperit*, id est, facultatem concedit suffragium in negotiis collegialiter tractandis cum aliis Cardinalibus emittendi ; *annulum cardinalitium* tradit, eisque singillatim proprium *titulum*, nec non aliquas ex Romanis *Congregationibus* adsignat, in quibus ceu judices sedeant.

c) *Si promotus absit*, ad eum mittitur per Legatum specialem, qui dici solet *Ablegatus*, *biretum rubrum*, in cujus receptione jurare debet se, intra annum, « nisi legitimo detineatur impedimento, Summum Pontificem aditurum ». — *Sixti V*, *constit. Postquam ; Cod.*, *c. 234 et 2397.*

Cardinales *coronæ*, ut aiunt, per manum Principis recipiunt biretum, pileolum autem per ipsum Ablegatum.

d) « Nisi aliter in casibus particularibus fuerit a Sancte Sede provisum, per promotionem ad sacram purpuram, non solum ipso facto *vacant* dignitates omnes, ecclesiæ, beneficia quæ promotus possideat ; sed etiam pensiones ecclesiasticæ amittuntur. » — *Cod., can. 235.*

506. **VI. Si Romanus Pontifex, promoti nomine sibi in pectore reservato,** creationem alicujus in Consistorio annuntiaverit, « sic promotus nullis interim gaudet Cardinalium juribus et privilegiis ;

» Sed postquam a Romano Pontifice ejus nomen *publicatum* fuerit, iisdem fruitur a publicatione, jure vero præcedentiæ a reservatione in pectore ». — *Cod., c. 233, § 2.*

Hinc, licet innotescat personæ promotio, tamen, si S. Pontifex demoriatur quin nomen ejus in Consistorio publicaverit, persona illa *non admittitur in Conclavi*, et novus Pontifex non tenetur creationem factam ratam habere et nomen in Consistorio publicare, *nisi Summus Pontifex expresse statuerit* eos post mortem suam fore declarandos.

507. **VII. Dotes requisitas in Cardinalibus,** quas concilium Tridentinum commemorat, *sess. 24, cap. 1, De ref.*, diligenter recensuit Sixtus V, *cit. constit. Postquam.*

Nam, « ut, non solum honore, sed etiam *re ipsa cardines* sint super quibus ostia universalis Ecclesiæ tuto nitantur, divinaque et humana ministeria sibi commissa utilius exsequi possint », *voluit idem Pontifex*, « ut lectissimi et præcellentes viri in ipsum Collegium adscribantur ». — *Sixti V cit. constit. Postquam, § 14.*

a) Sint igitur « in ordine presbyteratus constituti, doctrina, pietate ac rerum agendarum prudentia egregie præstantes ». — *Cod., can. 232, § 1.*

b) A cardinalatus autem dignitate *arcentur :*

1° « *Illegitimi*, etiamsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati ; itemque alii *irregulares* vel a sacris ordinibus impediti secundum canonicas sanctiones, etsi cum ipsis auctoritate Apostolica fuerit ad ordines et dignitates etiam episcopalem dispensatum.

2° » Qui *prolem*, etiam ex legitimo matrimonio susceptam, vel *nepotem* ex ea habent.

3° » Qui primo aut secundo gradu *consanguinitatis* alicui Cardinali viventi conjuncti sunt ». — *Cod., c. 232, § 2.*

ARTICULUS III

DE CARDINALIUM OFFICIIS

508. **I. Sede plena,** « S. R. E. Cardinales *Senatum Romani Pontificis* constituunt, eidemque in regenda Ecclesia præcipui consiliarii et adjutores assistunt », maxime in Consistorio, in Curiæ Dicasteriis, in Legationibus, etc. — *Cod., c. 230.* — *Cf. Trid.,* xxv, *1, de ref.*

509. **II.** « **Cardinales tenentur obligatione residendi in Curia,** nec fas est ipsis ab eadem discedere sine licentia Romani Pontificis. » — *Cod., c. 238,* § *1.*

a) « Hæc obligatio urget quoque Cardinales Episcopos *suburbicarios ;* sed ipsi non indigent licentia ut sese conferant ad diœceses sibi commissas, quoties opportunum judicaverint. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Cardinales qui sunt Episcopi alicujus diœcesis *non suburbicariæ,* lege residendi in Curia *eximuntur ;* sed cum ad Urbem venerint, Summum Pontificem adeant, nec ab Urbe discedant antequam ab eodem abeundi licentiam impetraverint. » — *Ibid.,* § *3.*

510. **III. Consistorium** vocatur : *consessus Cardinalium,* præside Romano Pontifice.

Distingui solet in extraordinarium, seu *publicum,* et in ordinarium, seu *secretum.*

a) *In Consistorio publico* non tractari solent negotia, sed potius cæremonialia quædam peragi : veluti Regum et Principum, atque ab eisdem missorum oratorum, receptio ; galeri traditio Cardinalibus noviter creatis ; et alia hujusmodi.

Consistorium semi-publicum celebratur ante sollemnem sanctorum canonizationem. Huic interesse, imo et votum dare, permittuntur Archiepiscopi et Episcopi quotquot tunc temporis Romæ commorentur.

b) *In Consistorio secreto,* solebat antiquitus Pontifex *per seipsum* dirimere causas omnes de quibus nunc co-

gnoscunt et pronuntiant variæ Cardinalium Congregationes aliaque tribunalia. Hinc, fere quotidie primitus habebatur hoc Consistorium. — *Crescente autem negotiorum numero,* cœperunt quibusdam Tribunalibus et Officialibus multa committi, retentis certis causarum speciebus in Consistorio dirimendis. — *Juxta hodiernam consuetudinem,* rarius illud habetur, ad Papæ placitum. — *Cf. Bouix, De Curia Rom.; — et Wernz, Jus Decret., tom. II, n. 656.*

511. **IV. Negotia consistorialia sunt :** promotiones Cardinalium ; promotiones ad cathedrales, metropolitanas, et alias superiores ecclesias ; Episcoporum translationes ; diœcesium creationes, uniones, dismembrationes ; concessiones pallii, et, generatim, negotia ecclesiastica *magni momenti* quæ cum Regibus aut Principibus componenda veniunt, nisi tamen absque Consistorio ea expedire magis opportunum duxerit Summus Pontifex.

a) Ut vero causæ cum ea quam rerum gravitas exposcit maturitate discutiantur, sicque præparatæ deferantur ad Consistorium in quo definitio seu decretum detur, *Congregatio* quæ dicitur *consistorialis* instituta est a Sixto V, constitutione « *Immensa* », 22 jan. 1588, et a Pio X novis facultatibus ditata. — *Cf. n. 534.*

b) Solent etiam Summi Pontifices, in secreto Consistorio, *Sacrum Collegium alloqui*, sive de generali totius Ecclesiæ statu, sive de exorta in alicujus regionis ecclesias procella, sive de irrepentibus erroneis ac periculosis doctrinis, morumve corruptelis ; simul exprimendo quid ipsi probent, quidque rejiciant, doleant et condemnent.

Quæ allocutiones eo consilio fiunt ut, postea juris publici factæ, et, perlata per totum mundum eorum notitia, certiores fiant Episcopi, clerus ac populi, de perversorum moliminibus, de latente sub novis doctrinis errore ac periculo, ac de via tandem quam, inter contemporaneas commotiones ac rerum circumstantias, sequi tuto possint aut etiam debeant. — *Bouix, loc. cit.,* § *3.*

512. **V. Cardinalis Vicarius** præsidet omnibus officiis *diœcesanæ* Urbis curiæ.

a) Diœcesana Urbis Curia, seu *Vicariatus,* in *quatuor Officia* dispertitur : 1° de divino cultu et Visitatione

Apostolica, 2° de cleri et christiani populi disciplii
3° de judiciariis negotiis, et 4° de œconomica administ
tione. — *Pii X constit. Etsi Nos, 1 jan. 1912 (Acta IV,*

b) Obnoxius autem Cardinali Vicario, *singulis* qu
tuor memoratis officiis *præest Prælatus* a S. Pontif
electus, cui omnes qui in eodem officio sunt administ
directo et proxime subsunt. — *Ibid.*

c) Morte Pontificis *non exspirat Cardinalis Vica
auctoritas,* sed etiam Sede vacante perseverat, ut const
ex prædicta constitutione.

513. **VI. Vacante Sede Apostolica,** « illud gravis
mum sanctissimumque est, summum dominici gregis P
torem et caput, ad catholicam Ecclesiam provide sol
terque regendam, *eligere,* qui, in beati Petri locum suc
dens, Christi Jesu in terris personam gerat ». — *Pii
constit. Vacante Sede Apost., 25 dec. 1904. — Cf. cap. U
periculum, 3, de elect., in 6°. — Cod., c. 241.*

a) Ad Cardinales vero non transit *jurisdictio Sum
Pontificis* prout transiret jurisdictio ordinaria in Capit
lum, sede episcopali vacante.

Unde leges a Romanis Pontificibus latæ, per cœtu
Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, ipsa vacante, corrigi
immutari nullo modo possunt. — *Cf. Pii X cons
Vacante Sede Apost., § 1, sq.*

b) S. R. Eccles. *Camerarii* et *Pœnitentiarii Majo*
officia non cessant per obitum Pontificis.

Cardinali *Camerario*, vacante Sede Apostolica, incumbit cura
administratio bonorum ac jurium temporalium ipsius S. Sedis.
Ejusdem Camerarii erit Pontificis mortem jure recognoscere at
authenticum mortis actum conficere. — *Ibid., § 12, sq.*

c) *Cancellarii* S. R. E., *Datarii* et *Secretarii brevi*
officia per obitum R. Pontificis omnino exspirant.

Item cessat munus cardinalis *Secretarii Status,* eoq
munere fungitur Prælatus S. Collegii Secretarius.

E contra, *Cardinalis* in Urbe *Vicarii* officium et jur
dictio non exspirant morte Romani Pontificis ; nec Le

m, Nuntiorum ac Delegatorum Apostolicorum offi- et potestas. — *Ibid.*

d) « *Sacræ Congregationes*, eadem Sede vacante, nul- potestatem habent in iis quæ, Sede plena, facere et dire non possunt nisi *facto verbo cum SSmo*, vel *ex entia SSmi*, vel *vigore specialium et extraordinaria- facultatum* quæ a Romano Pontifice earumdem Con- ationum Præfectis concedi solent.

Facultates vero quæ ipsis per Litteras Apostolicas butæ sunt, et proinde tamquam *ordinariæ* atque rum Congregationum *propriæ* censentur, eæ morte ani Pontificis non exstinguuntur. » — *Pii X constit. ante Sede Apostolica*, § *22, sq.*

oluit autem Pius X ut « his facultatibus *ordinariis* Sa- Congregationes solummodo in iis gratiis concedendis *minoris momenti* sunt, libere, pro rei opportunitate, tur », nisi res talis sit quæ « nullam admittat moram », nc possit S. Congregatio aliquid decernere « per mo- tamen provisionis, donec eligatur Pontifex ». — *Ibid.*

ARTICULUS IV

DE DIGNITATE ET PRIVILEGIIS CARDINALIUM

514. **I. Cardinalium dignitas amplissima est,** ob pri- um R. Pontificis cujus *Consiliarii* sunt et *Adjutores.* Inde Cardinales *cujuscumque ordinis*, Episcopis, Archi- copis, et Patrarchis ipsis, *dignitate præstant.*

Quis non videat, *ait Eugenius IV*, Cardinalatus dignitatem episcopali esse majorem dignitate, cum illa *privatæ* unius æ præsit utilitati, ista *publicæ* totius populi christiani.... In smodi prælationibus, officium ac dignitas, sive jurisdictio, onderat Ordini ; atque jure cautum est ut clericus alios quos- que Ordine superiores, etiam Episcopos, antecedat, propter jurisdictionem quam exercet, et personam quam repræsentat. » *tit. Non mediocri, an. 1440.*

515. **II. Nonnulla privilegia** ratione tantæ dignitatis dinalibus concessa sunt, quæ in novo Codice accurate nsentur.

a) Pr... privilegia quæ in hoc Codice suis in titulis en...antur, « Cardinales omnes, a sua promotione in Consistori facultate gaudent :

» 1° Audiendi ubique terrarum *confessiones* etiam religiosoru utriusque sexus, et absolvendi ab omnibus *peccatis* et *censuris* etia reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicæ *specialissin* modo reservatis et illis quæ adnexæ sunt revelationi secreti S. Offic

» 2° Sibi suisque familiaribus *eligendi sacerdotem* confessionib excipiendis, qui, si jurisdictione careat, eam *ipso jure* obtine etiam quod spectat ad peccata et censuras, reservatas quoque, il tantum censuris exceptis de quibus in num. 1 ;

» 3° *Verbum Dei* ubique prædicandi ;

» 4° Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret una Missam in feria V majoris hebdomadæ, ac tres Missas in nocte N tivitatis Domini ;

» 5° Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus *indu gentiis* a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, alias coronas prec torias, cruces, numismata, statuas, *scapularia* a Sede Apostoli probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis ;

» 6° Sub unica benedictione erigendi, in ecclesiis et orator etiam privatis aliisque piis locis, stationes *Viæ Crucis* cum omn bus indulgentiis quæ hujusmodi pium exercitium peragentibus in pertitæ sunt ; nec non benedicendi, pro fidelibus qui causa infirm tatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes *Viæ Cru* visitare nequeant, *Crucifixi icones* cum applicatione omnium indu gentiarum devoto exercitio ejusdem *Viæ Crucis* a Romanis Ponti cibus adnexarum ;

» 7° Celebrandi super *aram portatilem*, non solum in dor propriæ habitationis, sed ubicunque degunt ; et permittendi ut al Missa, ipsis adstantibus, celebretur ;

» 8° Celebrandi in *mari*, debitis cautelis adhibitis ;

» 9° In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi *propr calendario* conformem ;

» 10° Fruendi *altari privilegiato* personali quotidiano ;

» 11° Lucrandi *in propriis sacellis* indulgentias, ad quas acqu rendas præscripta sit visitatio templi alicujus vel publicæ ædicu civitatis seu loci in quo Cardinales actu commorentur, quo privi gio etiam eorum familiares frui possunt ;

» 12° *Benedicendi* ubique populo more Episcoporum ; sed Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus ;

» 13° More Episcoporum gestandi *crucem ante pectus* etiam sup mozetam atque utendi *mitra* et baculo pastorali ;

» 14° Sacrum celebrandi in quolibet *privato* sacello sine præju-
icio illius qui indulto gaudet ;

» 15° *Pontificalia* cum throno et baldachino peragendi in omnibus cclesiis extra Urbem, Ordinario præmonito, si ecclesia sit cathe-ralis ;

» 16° *Honoribus* locorum Ordinariis tribui solitis fruendi quocum-ue se conferant ;

» 17° Fidem faciendi in foro externo, de *oraculo pontificio* testantes ;

» 18° Fruendi sacello ab Ordinarii visitatione exempto ;

» 19° De reditibus beneficiariis *libere disponendi* etiam per testa-aentum, salvo præscripto can. 1298 *(cf. n. 1444)* ;

» 20° *Consecrationes* et *benedictiones* ecclesiarum, altarium, sacræ upellectilis, Abbatum, aliasve similes, excepta oleorum sacrorum onsecratione, si Cardinalis charactere episcopali careat, ubique ocorum, servatis servandis, peragendi, firmo præscripto can. 1157 de requisito Ordinarii consensu) ;

» 21° *Præcedendi* omnibus Prælatis etiam Patriarchis, imo ipsis egatis Pontificiis, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio esidens ; Cardinalis autem Legatus *a latere* præcedit extra Urbem mnibus aliis ;

» 22° Conferendi *primam tonsuram* et *ordines minores*, dum-aodo promovendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras ;

» 23° Ministrandi *sacramentum confirmationis*, firmo onere ins-riptionis nominis confirmati ad normam juris ;

» 24° Concedendi indulgentias *ducentorum* dierum, etiam toties uoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suæ juris-ictionis vel protectionis ; item in aliis locis, sed a præsentibus so-ummodo, singulis vicibus, lucrandas ». — *Cod.*, c. *239*, § *1*.

b) « Cardinalis *Decanus* gaudet privilegio *ordinandi* et *conse-randi* electum Pontificem, si hic ordinatione vel episcopali conse-ratione indigeat, et tunc pallio utitur ; quod privilegium, absente ardinali Decano, competit Subdecano, eoque etiam absente, anti-uiori Cardinali Episcopo suburbicario. » — *Ibid.*, § *2*.

c) « Demum, Cardinalis *Proto-diaconus* pallia Archiepiscopis t Episcopis privilegio fruentibus eorumve procuratoribus, vice omani Pontificis, imponit ; et nomen novi electi Pontificis populo nnuntiat. » — *Ibid.*, § *3*.

516. **III. Tituli quoque et signa externa** amplissi-nam Cardinalium dignitatem commendant.

Urbanus VIII, decreto consistor., 10 jun. 1630, edixit it Cardinales « *Eminentissimi* » vocarentur.

Innocentius IV, anno 1244, Legatis suis Cardinalibu *galerum rubrum* et *purpureas vestes* concessit, quod privilegium omnibus Cardinalibus, a concilio Lugdunensi commune factum est.

Et « *merito*, ait S. Antoninus, *purpura* his quasi regibus data es cujus color in galero eximiæ caritatis est symbolum cujus igne i ardere debent, ut semper pro defensione et bono Ecclesiæ sangu nem fundere sint parati ».

CAPUT IV

DE ROMANÆ CURIÆ DICASTERIIS IN GENERE

Videlicet : de institutione — et auctoritate Dicasteriorum ; — et de ratione adeundi Sanctæ Sedis Officia, cum iisque agendi.

ARTICULUS I

DE INSTITUTIONE DICASTERIORUM AD NORMAM JURIS NOVISSIMI

517. **I.** « **Sapienti consilio, sa. me. Pontifex Xystus V,** Decessorum vestigiis inhærens, eorumque cœpta *perficiens,* sacros Cardinalium cœtus, seu Romanas Congregationes, quarum aliquot jam erant ad certa negotia institutæ, *augeri* numero voluit, ac suis quamque finibus contineri.

» Quare, Apostolicis Litteris, die 22 mensis januarii an. 1587, queis initium « *Immensa* », ejusmodi Congregationes constituit quindecim, ut, « partita inter eos aliosque romanæ Curiæ magistratus ingenti curarum negotiorumque mole » quæ solet ad Sanctam Sedem deferri, jam necesse non esset tam multa in *Consistorio* agi ac deliberari, simulque possent *controversiæ diligentius expendi,* et *celerius* faciliusque eorum *expediri negotia* qui undique, sive gratiæ impetrandæ, aliisve de causis ad Summum Pontificem confugerent. » — *Pii X constit. Sapienti consilio, 29 jun. 1908.*

518. **II.** « **Quantum vero utilitatis** ex sacris his Congregationibus accesserit, sive ad ecclesiasticam *disciplinam* tuendam, sive ad *justitiam* administrandam, sive ad ipsos *Romanos Pontifices* relevandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos, compertum ex Ecclesiæ historia exploratumque omnibus est. » — *Ibid.*

519. **III. Decursu temporis haud integre perstitit** ordinatio Romanæ Curiæ a Sixto V potissimum per memoratas Apostolicas litteras constituta.

« Nam et Sacrarum Congregationum *numerus*, pro rerum ac temporum necessitatibus, modo auctus est, modo deminutus ; atque ipsa *jurisdictio* unicuique Congregationi primitus attributa, modo novis Romanorum Pontificum præscriptis, modo usu aliquo sensim inducto ratoque habito, mutationibus obnoxia fuit.

» Quo factum est ut hodie singularum jurisdictio, seu *competentia*, non omnibus *perspicua* nec *bene divisa* evaserit, plures ex Sacris Congregationibus eadem de re jus dicere valeant, et nonnullæ ad pauca tantum negotia expedienda redactæ sint, dum aliæ negotiis obruuntur. » — *Ibid.*

520. **IV. Quamobrem, ut Romana Curia** « **modo apto, et omnibus perspicuo,** Romano Pontifici Ecclesiæque operam suam præstare facilius valeat et suppetias ferre perfectius », voluit Pius X ut « Congregationes, Tribunalia et Officia quæ Romanam Curiam componunt, et quibus Ecclesiæ universæ negotia pertractanda reservantur », a die 3 mensis novembris 1908 non alia sint, præter consueta Consistoria, quam quæ sua constitutione « *Sapienti consilio* », 29 jun. 1908, decernuntur; « eaque *numero, ordine, competentia* divisa et constituta maneant his legibus » quæ in prædicta Constitutione positæ sunt. — *Ibid.*

Huic accesserunt : « *Lex propria S. Romanæ Rotæ et Signaturæ Apostolicæ* » et « *Ordo servandus in sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis Curiæ Romanæ* » qui Normas tum *communes*, tum *peculiares* exhibet. Has autem leges et normas idem Pontifex « ad unguem ab omnibus observari » mandavit. — *Cf. Acta Apost. Sedis, I, pag. 20, sq.*

521. **V. Abrogata igitur jurium cumulatione in S. Sedis officiis,** sua cuique negotio est constituta sedes.

a) Non tamen intacta mansit Pii X constitutio, cui, post experimentum, auctoritate Pontificia utiles quædam derogationes appositæ sunt.

b) « Controversiam, si qua exoriatur, de *competentia* inter Sacras Congregationes, Tribunalia vel Officia Romanæ Curiæ, dirimit cœtus S. R. E. Cardinalium quos Romanus Pontifex singulis vicibus designaverit. » — *Cod., c. 245.*

522. **VI.** « **In singulis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis, servanda est disciplina** et tractanda sunt negotia secundum normas, tum generales tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex præstituerit ». — *Cod., c. 243*, § *1.* — *Cf. Acta Apost. Sedis, I, 36, sq.*

a) « Omnes qui ad Congregationes, Tribunalia, Officia Romanæ Curiæ pertinent, ad *secretum* servandum tenentur intra fines et secundum modum ex disciplina unicuique propria determinatum. » — *Ibid.*, § *2.*

b) « Singulis Congregationibus præest *Cardinalis Præfectus*, vel, si eisdem præsit ipsemet Romanus Pontifex, eas dirigit Cardinalis *Secretarius ;* quibus *adjunguntur* Cardinales quos Pontifex eis adscribendos censuerit, cum aliis necessariis administris. » — *Cod., c. 246.*

c) « *Collectiones decretorum* Romanarum Congregationum rursus edi nequeunt nisi impetrata prius licentia, et servatis conditionibus a Moderatoribus uniuscujusque Congregationis præscriptis. » — *Cod., c. 1389.*

523. **VII. De taxationibus et procurationibus.**

a) « In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur, non modo taxatio *Sanctæ Sedi* solvenda et remuneratio *agenti* debita, sed etiam pecuniæ summa cujus repetendæ jus habet *diœcesana Curia* pro exsecutione rescriptorum, si hæc necessaria sit ; quæ quidem summa pontificia taxatione erit inferior. » — *Norm. comm., cap. 11.*

« Taxatio *pauperibus*, sive cives privati sint, sive instituti piæve causæ, si petita gratia moraliter necessaria sit, non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quæstum facere, *ex dimidia parte minuetur*, aut etiam, si visum fuerit, *omnino condonabitur*, integris tamen oratori manentibus *impensis* pro tabellariis, pro exscriptione, aliisque id genus necessariis.

» His in casibus, etiam *agentis procuratio* ad partem dimidiam redigetur, aut omnino condonabitur, salvis impensis pro Tabellariis. » — *Ibid.*

b) « *Ordinarii*, secreto percontati *parochos*, quæ vera sit oratorum conditio *significabunt* in singulis casibus, aga-

turne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competatne ipsis jus ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata utriusque partis conscientia super expositorum veritate ; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio sarciendi quidquid injuria sublatum sit. » — *Ibid.*

« Si qui autem iniqua voluntate *renuant* satisfacere taxationem ad aliquam consequendam dispensationem præscriptam, cujus tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et peccata vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Iidem, impetratæ gratiæ notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri prudenterque licebit ab ipsis) *ex justitia* aliquid Sanctæ Sedi deberi.

» Utcumque tamen gratiæ *validitati* nihil unquam officiet *error* aut *fraus* circa œconomicam petentis conditionem. » — *Ibid.*

c) « Usus autem S. Congregationis *de Propaganda fide* exemptionis *a qualibet taxatione* in suæ jurisdictionis locis, incolumis servetur. » — *Ibid.*

524. **VIII. Feriæ autumnales** decurrunt a die 20 mensis Augusti, ad diem 10 mensis octobris.

« Hoc spatio temporis *Officium nullum erit intermissum ;* sed in unoquoque tot aderunt, tum majoris tum minoris ordinis administri, quot satis esse existimentur urgentioribus expediendis negotiis *ordinariæ administrationis ;* majorum enim tractationes, ac de gravioribus et implicatioribus rebus deliberationes, in mensem Novembrem differentur. Quod si urgens rei gravitas postulet ut cito occurratur, intra meræ necessitatis fines providebitur. » — *Norm. communes, cap. 5 ; — et Decretum Benedicti XV, 30 jul. 1915 (Acta,* VII, *378).*

ARTICULUS II

DE AUCTORITATE DICASTERIORUM CURIÆ ROMANÆ

525. **I. Romanæ Curiæ Dicasteria nomine et auctoritate Romani Pontificis procedunt.** — Etenim :

a) Nomine *Sedis Apostolicæ* vel *Sanctæ Sedis* in novo Codice veniunt : « non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quæ

idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiæ universæ expedire solet ». — *Cod., c. 7.*

b) « Nihil *grave* aut *extraordinarium* in iisdem Congregationibus, Tribunalibus, Officiis agatur, nisi a Moderatoribus eorundem *Romano Pontifici* fuerit antea significatum. » — *Cod., c. 244, § 1.*

c) « Gratiæ quævis ac resolutiones indigent *pontificia approbatione*, exceptis iis pro quibus eorundem Officiorum, Tribunalium, Congregationum Moderatoribus *speciales facultates* tributæ sint, exceptisque sententiis Tribunalis Sacræ Romanæ Rotæ et Signaturæ Apostolicæ. » — *Cod., ibid., § 2.* — *Cf. constit. Sapienti consilio.* — Ideo :

526. **II. Decreta generalia SS. Congregationum vim legis universalis habent,** facta debita promulgatione in « *Commentario Officiali* » quoties promulgatione sit opus. — *Cf. Pii X constit. Promulgandi, 3 kal. oct. 1908.*

a) Equidem decisiones SS. CC. non sunt *infallibiles* in materia *doctrinali*, cum prærogativa infallibilitatis qua R. Pontifex gaudet non sit aliis *communicabilis*, sed omnino personalis et propria.

Attamen catholici tenentur eas qua par est reverentia ac *interno mentis assensu* amplecti et profiteri.

Ideo S. Cong. S. Officii, approbante Pio X, sequentem propositionem damnavit : « Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a S. Congregatione Indicis, aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas, nihili pendunt ». — *Decret. Lamentabili sane, 3 jul. 1907.* — *Cf. n. 53.*

b) Promulgato novo juris canonici Codice, « ne crebra novarum legum varietate, tanti operis stabilitas in discrimen aliquando vocetur », voluit Benedictus XV ut « Sacræ Romanæ Congregationes *nova Decreta generalia* jamnunc ne ferant nisi qua *gravis Ecclesiæ necessitas* aliud suadeat.

» Ordinarium igitur earum munus, in hoc genere, erit : tum curare ut Codicis præscripta religiose serventur, tum *Instructiones*, si res ferat, edere, quæ iisdem Codicis præceptis majorem et lucem afferant et efficientiam pariant.

» Ejusmodi vero documenta sic conficiantur ut, non

modo sint, sed appareant etiam quasi quædam explanationes et *complementa* canonum, qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur. » — *Ben. XV motu proprio Cum juris canonici, 15 sept. 1917 (Acta,* IX, *483)*.

c) « Si quando, decursu temporum, Ecclesiæ universæ bonum postulabit ut *novum generale decretum* ab aliqua Sacra Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat ; quod si a Codicis præscriptis *dissentiat,* Summum Pontificem de ejusmodi discrepantia moneat.

» Decretum autem a Pontifice adprobatum eadem S. Congregatio ad *Consilium* deferat (ad Codicis canones authentice interpretandos eodem *motu proprio* institutum), cujus erit ad decreti sententiam canonem vel canones redigere.

» Si decretum e præscripto Codicis *discrepet,* Consilium indicet cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit.

» Si in decreto res vertatur de qua Codex *sileat,* Consilium constituat quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis qui proxime antecedit, *bis, ter,* etc. repetito, ne canon sede sua moveatur ullus, aut numerorum series quoquo pacto perturbetur.

» Quæ omnia, statim post Sacræ Congregationis decretum, in *Acta Apostolicæ Sedis* referantur. » — *Ibid.* — *Cf. num. 78 et 87, d.*

527. **III. Decisiones SS. Congregationum datæ pro aliquo particulari casu :**

a) Jus speciale inducunt, seu vim legis habent aut præcepti pro *personis* quarum ad instantiam datæ sint.

b) Et, licet resolutiones hujusmodi personas extraneas non respiciant quæ in iisdem etiam conditionibus versantur, attamen plurimæ decisiones conformes, a SS. Congregationibus prolatæ, *jus traditionale* constituunt seu praxim et *stylum Curiæ,* cui contraire nefas est.

Verumtamen, ad *prudenter utendum* hisce Sacrarum Congregationum resolutionibus, sedulo attendendum est ad omnes et singulas *facti* circumstantias, quia difficile est, ideoque non semper tutum, sententiam alicujus S. Congregationis ad casus qui videntur similes transferre,

528. **IV. Approbatio S. Pontificis** accedere potest decretis et decisionibus SS. Congregationum : vel in *forma communi*, vel in *forma specifica*.

a) Approbatio *in forma communi* relinquit decretum in *sua natura*, nec illud reddit validum si nullum sit ob aliquem essentialem defectum, ex. gr. formæ.

Approbatio autem *in forma specifica* reddit actum undequaque *validum* etiamsi in se consideratum nullum esset, quia Romanus Pontifex in decretis et legibus condendis jure communi non obligatur.

b) Formulæ sequentes : « *Facto verbo cum Sanctissimo* », vel « *SSmus D. N. Ben. Papa XV Em. Patrum resolutionem approbare* (quandoque additur *et confirmare*) *dignatus est* », exhibent approbationem in forma *communi*.

Formulæ autem : « *Ex motu proprio* », — « *Ex certa scientia* », — « *De Apostolicæ auctoritatis plenitudine* », — « *Non obstante quacumque lege seu consuetudine in contrarium* », — « *Supplentes omnes juris et facti defectus* », significant approbationem dari in forma *specifica*.

ARTICULUS III

DE RATIONE ADEUNDI S. SEDIS OFFICIA

529. **I. Pro privatis.**

a) « Christifideli *cuique* patet aditus ad S. Sedis Officia, servata forma quæ decet ; et facultas est cum iisdem agendi *per se* de suis negotiis. » — *Norm. comm., cap. 10.*

b) « *Advocati* opera uti volenti in quæstionibus quæ illum admittant, fas non erit patronum proponere quemlibet ; sed optio ei dabitur inter *approbatos* » de quibus *Norm. comm., cap. 7, et Lex propria, tit. 3.*

c) Si vero *Procuratoris* seu *Agentis* desideret operam, sui particularis ac privati negotii causa, « potest ad id munus deputare *quemlibet suæ fiduciæ virum*, dummodo catholicum, integra fama, et ad Officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem.

» Præterea oportet eumdem *legitimo mandato* munire,

quod in Actis, ad ipsius Officii cautionem, servabitur ; aut sin minus apud Moderatores ejusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas conditiones.

» Si exhibitum virum Moderatores judicaverint admitti non posse, certiorem facient mandantem, ut aliter consulat. » — *Normæ communes, cap. 9.*

530. **II. Pro Ordinariis.**

a) « Ordinarius unusquisque potest ipse *per se* in variis Apostolicæ Sedis Officiis negotia libere tractare, non solum quæ *se ipsum* spectent, sed etiam quæ *diœcesim* ac sibi subditos fideles ad ipsum confugientes.

» Quoties Ordinarius velit ipse per se de negotio aliquo agere, sive præsens in Curia, sive per litteras a sua sede mittendas, Officium præmonebit quocum ei erit agendum. Tunc vero in positione adnotabitur : *personalis pro Ordinario ;* resque nullis interpositis procuratoribus agetur.

» Ordinarius, qui petit directo agere cum Officio aliquo, sibi assumit solvendas impensas, non modo pro acceptis redditisque litteris et scriptis, aut pro aliis rebus necessariis, sed etiam pro taxationibus præscriptis in singulis actis. » — *Normæ communes, cap. 10, art. 4 et seq.*

b) « Si *advocato* fuerit opus, etiam Ordinariis cohibetur optio, ita ut nequeant ipsum deligere nisi ex *approbatis.* » — *Ibid., art. 7.*

c) « Ad *Procuratoris* munus legitime et *constanter* obeundum pro *Episcopo* ejusque *diœcesi,* oportet inscriptum habere nomen in Procuratorum albo, quod patebit in Officio a secretis sacræ Congregationis Consistorialis. » — *Normæ communes, cap: 9.*

« *Vicario Capitulari* non licet electum ab Episcopo procuratorem cum alio *mutare ;* at poterit cum Sanctæ Sedis Officiis *directo* agere, ad normam *art. 4, 5* et *6* hujus sectionis. » — *Normæ communes, cap. 10.*

531. **III. Forma supplicis libelli.**

a) Supplex libellus *interius* inscribitur « *Beatissime Pater* » vel « *Eminentissime Domine* ».

Mox, sed in linea infra posita, inscribuntur nomen, qualitates, diœcesis et patria supplicantis ; deinde, nulla determinata forma necessario adhibenda, sed stylo nitido et convenienti, simpliciter exponitur petitionis objectum. — *Cf. num. 483.*

Exterius italice, vel alia lingua, litteræ inscribuntur : « *All' Eminentissimo Cardinale Prefetto della S. Congregazione del Concilio* » vel « *dei Riti, dei Sacramenti, etc., Roma* ».

b) *Linguæ* admissæ apud S. Congregationes, attento jure antiquo, erant *latina, itala* et *gallica.*

Nunc admittuntur explicite aliæ linguæ, nempe *anglica, hispanica, germanica* et *lusitana.* — *Cf. Norm. pecul., cap. 6, n. 5.*

c) Haud raro accidit ut Ordinarii aliquid habeant ad S. Sedem deferendum quod *secreto silentii* tegendum sit ; et tunc ipsis « curæ sit scripta committere *occlusa* diligenter, etiamsi per suos rerum Agentes vel Procuratores ea transmittere velint ». — *S. C. Consist., 25 nov. 1908 (Acta, I, 211). — Cf. n. 978, h.*

532. **IV. Modus respondendi SS. Congregationum.**

a) Proprium est Congregationum Romanarum, ut sententiam pure et simpliciter dicant, respondendo plerumque ad dubia proposita : « *Affirmative* », vel « *Negative* ».

b) Aliquando additur « *Ad mentem* ». Quæ verba significant explicandam esse, in casu, vel forsan ex æquitate moderandam sententiam quæ, ex stricto jure, debebat sic dari ; idque, *secundum mentem S. Congregationis :* quæ, si debeat remanere secreta, innotescet soli Secretario et aliis quorum interest ; secus, hoc modo manifestatur : « *Mens est, etc....* »

c) Nunquam vero *rationes decisionis* exprimunt ; repræsentant enim Supremum Legislatorem, Romanum Pontificem, qui, dum legem jubet, non tenetur suæ voluntatis rationem manifestare.

Qua in re, animadvertunt Auctores : certum non esse Cardinales, *in sententia ferenda, moveri ab illis argumentis* quæ, sive in *foliis*

a Secretario exhibitis, sive in allegationibus *Advocatorum* adducuntur, adeo ut argumenta illa rationem decidendi constituant. Nam Cardinales, accuratum studium et examen decisioni quæstionis præmittentes, utique possunt ab aliis rationibus, præterquam ab argumentis a Secretario vel ab Advocatis propositis, ad sententiam proferendam induci. — *Santi, De offic. jud. ord., n. 63.*

d) Nonnulla verba occurrunt in responsionibus SS. CC. rite intelligenda ; v. gr. : « *Dilata* » id est, differtur responsio ; — « *Reponatur* » id est, nulla data responsione, petitio reponitur in archivo S. Congregationis ; — « *Facto verbo cum Sanctissimo* » nempe quando res ad S. Pontificem delata est ; — « *In decretis, In decisis* » id est, standum est priori sententiæ ; — « *Providebitur in casibus particularibus* » id est, negatur responsio generalis, proponantur ideo casus determinati.

Et, cum preces non admittuntur, vel petitio minus congrua est, supplex libellus dimitti solet clausula « *Lectum* », quæ indicat postulatum lectum quidem seu relatum fuisse, sed nulla esse responsione dignum. — *Cf. num. 546, ubi de Sac. Pœnitentiaria.*

CAPUT V

DE ROMANÆ CURIÆ DICASTERIIS IN SPECIE

« Curia Romana constat Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis prout inferius enumerantur et describuntur. » — *Cod., can. 242.*

ARTICULUS I

DE SACRIS CONGREGATIONIBUS

533. **I.** « **Congregatio S. Officii,** cui ipse Summus Pontifex præest, tutatur *doctrinam* fidei et morum. » — *Cod., c. 247, § 1.*

Sæculo XVI, exorta hæresi Lutherana, Paulus III Sacram *Universalis Inquisitionis* Congregationem instituit, constitutione sua « *Licet* », 21 jul. 1542. — Hanc confirmavit et perfecit Sixtus V, constit. « *Immensa* », *22 jan. 1588.*

Tandem Pius X, constit. « *Sapienti consilio* », Congregationem Universalis Inquisitionis sub nomine *Sancti Officii* iterum instauravit.

Appellatur autem *Sanctum Officium* quia nullum datur officium sanctius illo quod versatur in doctrina fidei atque morum tuenda. — *Cf. Capello, De Curia Romana, pag. 59, sq.*

a) Congregatio S. Officii « judicat de iis *delictis* quæ sibimet secundum propriam ejusdem legem reservantur, cum potestate has criminales causas videndi, non solum in gradu *appellationis* a tribunali Ordinarii loci, sed etiam in *prima instantia* si directe ad ipsam delatæ fuerint ». — *Cod., c. 247, § 2.*

b) « Ipsa sola cognoscit ea quæ, sive directe sive indirecte, in jure aut in facto, circa *privilegium*, uti aiunt, *Paulinum* et matrimonii impedimenta *disparitatis cultus* et *mixtæ religionis* versantur ; itemque ad eam spectat facultas dispensandi in hisce impedimentis.

» Quare quælibet hujusmodi quæstio ad hanc Congre-

gationem est deferenda, quæ tamen potest, si ita censeat et casus ferat, quæstionem *remittere* ad aliam Congregationem vel ad Tribunal Sacræ Romanæ Rotæ. » — *Ibid.*, § *3.*

c) Quod fuerat usque adhuc munus proprium S. Congregationis *Indicis*, erit posthac Sancti Officii, de libris ceterisque scriptis censuram ferre. — *Ben. XV motu proprio 25 martii 1917 (Acta, IX, 167).*

Ideo ad hanc Congregationem S. Officii pertinet : « non solum *delatos* sibi libros diligenter excutere, eos, si oportuerit, prohibere, et dispensationes concedere ; sed etiam ex officio *inquirere*, qua opportuniore licebit via, quæ in vulgus edantur scripta cujuslibet generis damnanda, et in memoriam Ordinariorum reducere quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctæ Sedi denuntiare. » — *Cod., c. 247,* § *4.*

d) « Ipsa una competens est circa ea omnia quæ jejunium eucharisticum pro *sacerdotibus* Missam celebrantibus respiciunt. » — *Ibid.*, § *5.*

534. **II.** « **Congregationis Consistorialis** *Præfectus* est ipse Romanus Pontifex.

» Præter alios, *ad eandem pertinent* ex officio : Cardinales Secretarius S. Officii, Præfectus Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum et Secretarius Status.

» Inter *Consultores* ejusdem semper sunt Assessor S. Officii, Secretarius Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis et Secretarius Congregationis de Seminariis et Universitatibus studiorum. » — *Cod., can. 248,* § *1.*

a) « Ad hanc Congregationem spectat : non modo parare agenda in *Consistoriis*, sed præterea, in locis Congregationi de Prop. Fide non obnoxiis, *novas diœceses* ac provincias et *capitula* tum cathedralia tum collegialia constituere ; diœceses jam constitutas *dividere ;* Episcopos, Administratores Apostolicos, Coadjutores et Auxiliares Episcoporum constituendos *proponere ;* canonicas *inquisitiones* seu processus super promovendis indicere actosque diligenter expendere, ipsorum periclitari doctrinam », salvo jure S. Cong. pro negotiis ecclesiasticis

extraordinariis, quoties de his rebus cum civilibus Guberniis agendum est. — *Ibid.*, § *2*. — *Cf. n. 541 et 597.*

b) « Ab hac Congregatione dependent ea omnia quæ pertinent ad constitutonem, conservationem et *statum* diœcesium.

» Quare ipsa vigilat super impletis vel minus *obligationibus* quibus Ordinarii tenentur ; cognoscit ea quæ ab Episcopis *scripto relata sint* de statu suarum diœcesium ; indicit *visitationes apostolicas*, examinatque eas quæ fuerint absolutæ, *transmissis* in utroque casu ad singulas Congregationes iis ad deliberandum negotiis quæ ad eas peculiariter pertinent. » — *Ibid.*, § *3*.

Ante Pii X constit. « *Sapienti consilio* » hæc ad Congregationes Episcoporum et Concilii pertinebant.

535. **III. Congregationi de disciplina Sacramentorum,** quam Pius X instituit, constit. » *Sapienti consilio* »,

a) Proposita est « universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Cong. *S. Officii* » circa ea quæ statuta sunt de privilegio Paulino et de impedimentis tum disparitatis cultus, tum mixtæ religionis, itemque incolumi jure *Congregationis Rituum* « circa ritus et cæremonias quæ in sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent. » — *Cod., can. 249,* § *1.*

b) « Ad illam itaque spectant ea omnia quæ *decerni concedique* solent tum in disciplina matrimonii, tum in disciplina aliorum Sacramentorum, nec non in celebratione Sacrificii Eucharistici, iis tantum *exceptis* quæ aliis Congregationibus reservata sunt. » — *Ibid.*, § *2*.

c) « Ipsa cognoscit quoque, et *exclusive*, de facto inconsummationis matrimonii et de exsistentia causarum ad dispensationem concedendam, nec non de iis omnibus quæ cum his sunt connexa. Potest tamen cognitionem horum omnium, si id expedire judicaverit, ad Sacram Romanam Rotam remittere.

d) » Pariter ad eam deferri possunt quæstiones de *validitate matrimonii*, quas tamen, si accuratiorem dis-

quisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat.

e) » Eodem modo ad ipsam pertinet videre de obligationibus ordinibus majoribus adnexis, atque examinare quæstiones de ipsa validitate *sacræ ordinationis*, aut eas ad tribunal competens remittere.

» Et ita porro de aliis Sacramentis. » — *Ibid.*, § *3.*

536. **IV. Congregationi Concilii** « ea pars negotiorum est commissa quæ ad *universam disciplinam* cleri *sæcularis* populique christiani refertur ». — *Cod., c. 250,* § *1.*

Congregatio *Concilii* ideo dicta est quia a Sixto V instituta fuerat ad decretorum *concilii Tridentini* interpretationem.

Facta autem novi Codicis promulgatione, Benedictus XV Consilium seu *Commissionem* instituit « *cui uni jus erit Codicis canones authentice interpretandi*, audita tamen, in rebus majoris momenti, Sacra ea Congregatione cujus propria res erit quæ Consilio disceptanda proponitur ». — *Motu proprio Cum juris canonici*, *15 sept. 1917 (Acta*, *IX*, *483)*.

a) Congregationis Concilii est : « curare ut christianæ vitæ præcepta serventur, cum facultate opportune ab eisdem fideles *dispensandi ;*

» Moderari quæ *parochos* et *canonicos* spectant; aut quæ pias sodalitates, pias uniones (etiamsi dependeant a religiosis vel erectæ sint in eorum ecclesiis seu domibus), pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, mobilia et immobilia, tributa diœcesana, taxas Curiarum episcopalium aliaque hujusmodi attingunt.

b) » Eidem reservata est facultas *eximendi* a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectat ; *admittendi* ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiastica, etiam pertinentia ad religiosos ; *permittendi* ut fideles acquirant bona ecclesiastica, a potestate civili usurpata.

c) » Videt quoque de iis omnibus quæ ad *immunitatem* ecclesiasticam pertinent, itemque de controversiis circa *præcedentiam*, salvo jure Congregationis de sodalibus religiosis et Congregationis Cæremonialis.

d) » Ad eandem pertinent ea omnia quæ ad *Conciliorum* celebrationem et recognitionem atque ad Episcoporum cœtus seu cônferentias referuntur, extra loca quæ subsunt Congregationi de Prop. Fide.

e) » Est autem hæc Congregatio competens in omnibus controversiis negotia eidem commissa spectantibus, quas in *linea disciplinari* pertractandas censuerit; cetera ad tribunal competens sunt deferenda. » — *Cod., c. 250.*

f) « *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii* » est perfectissima *Collectio* quæ decisiones hujus Sacræ Congregationis, ordine chronologico, inde ab anno 1718 exhibet.

Hic, cum ex officio a Secretario S. Congregationis fuerit publicatus, aliqua ratione *authentica* collectio appellari potuit ; at nequaquam fuit *Codex legalis* cujus singulæ partes, ex ipsa earum insertione, vim legis universalis obtinuerint. — *Wernz, op. cit., tom. 1, n. 270.*

537. **V. Congregatio negotiis religiosorum sodalium præposita** « ea sibi exclusive vindicat quæ respiciunt regimen, disciplinam, studia, bona et privilegia religiosorum sodalium utriusque sexus, tum *sollemnibus* tum *simplicibus votis* adstrictorum, eorumque qui, quamvis *sine votis*, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque *tertiorum Ordinum sæcularium*, incolumi jure Congregationis de Prop. Fide ». — *Cod., c. 251, § 1.*

Duplex, primitus constituta erat Congregatio : una *super consultationibus Episcoporum*, sub Gregorii XIII pontificatu ; altera *super consultationibus Regularium*, a Sixto V erecta ; et idem Pontifex Sixtus V, constitutione « *Immensa* », easdem *sejunctas* confirmavit.

Cum vero eisdem Congregationibus commissum esset quoddam universale ac politicum regimen cleri sæcularis et regularis ; cumque, in hoc duplici regimine, *uniformitas* et quædam utriusque cleri *conspiratio* concors et efficax, ad bonum Ecclesiæ Christi procurandum necessaria videretur, hinc, anno 1601, sub Clemente VIII, ex duabus *una* Sacra Congregatio conflata est *negotiis Episcoporum et Regularium* præposita.

Collectaneam in usum Secretariæ S. C. Episc. et Reg. edidit cardinalis *Bizzarri* an. 1863, in qua recensentur decreta et selectæ resolutiones hujus Congregationis, quæ nunquam tamen collectionem *authenticam* publicavit.

Tandem Pius X, qui jam, per constit. « *Sacræ Congregationi* », 26 maii 1906, duas speciales Congregationes huic adjectas, unam nempe « *Super disciplina regulari* » et alteram « *De statu Regularium Ordinum* » aboleverat, earum facultates in S. Congregationem Episcoporum et Regularium transferendo, voluit, per constit. « *Sapienti consilio* », peculiarem Congregationem instituere quæ solos *Religiosos* respiceret, ceteris negotiis *Episcopos* respicientibus ad alias Congregationes devolutis.

a) « Quæstionibus ordine judiciario tractandis ad tribunal competens *remissis*, et incolumi semper jure Congregationis S. Officii et Congregationis Concilii circa negotia ad ipsas spectantia, hæc Congregatio quæstiones omnes suæ competentiæ in *linea disciplinari* dirimit ;

» Sed si quæstio vertatur inter religiosum sodalem et personam *non religiosam*, ipsa, præsertim ad instantiam partis, potest quoque, si æquum judicaverit, eandem quæstionem ad aliam Congregationem aut tribunal remittere. » — *Cod., c. 251, § 2.*

b) « Huic denique Congregationi reservatur concessio *dispensationum* a jure communi pro sodalibus religiosis. » — *Ibid., § 3.*

c) Dubia circa competentiam S. C. Concilii et S. C. de Religiosis, in quibusdam negotiis Religiosorum, resolvit cœtus Cardinalium a S. Pontifice peculiariter designatus, die 24 mart. 1919. — *Cf. Acta, XI, 251.*

538. **VI. Congregatio de Propaganda Fide** « *missionibus* ad prædicandum Evangelium et catholicam doctrinam præest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna ». — *Cod., can. 252, § 1.*

Unde liquet quam late pateat *territorialis* jurisdictio hujus sacræ Congregationis, quæ *auctorem* habuit Gregorium XV, constit. « *Inscrutabili* », 22 jun. 1622.

Amplissimæ ejus potestati quoad materiarum et causarum species *limites* apposuit Pius X, constit. « *Sapienti consilio* », ut ex dicendis patebit.

Hæc S. Congregatio quasi suum *Codicem* habuit in *Bullario*

S. C. de Propaganda fide, quod denuo prodiit sub titulo generali « *Jus Pontificium de Propaganda Fide, SS. D. N. Leonis XIII P. M. jussu recognitum* ».

Quæ collectio, licet jussu S. Pontificis, et secundum regulas ab eadem S. Cong. probatas sit concinnata, tamen, sensu stricto, collectio *authentica* non fuit. — *Wernz, Jus decret., tom. 1, n. 272.*

a) Congregatio *de Propaganda fide* « curat ea omnia quæ ad *Conciliorum* celebrationem et recognitionem in locis sibi subjectis pertinent. » — *Cod., c. 252, § 2.*

b) » Ejus jurisdictio iis est *circumscripta* regionibus ubi, sacra hierarchia *nondum constituta*, status missionis perseverat.

» Huic Congregationi sunt etiam subjectæ regiones quæ, etsi hierarchia inibi constituta sit, adhuc *inchoatum aliquid* præseferunt. » — *Ibid., § 3.*

Ex his tamen quædam a jurisdictione Congregationis de Propaganda fide *exemptæ* sunt a Pio X in cit. constitutione. Decrevit enim ad jus commune deductas : « in *Europa*, ecclesiasticas provincias Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ et Hollandiæ ac diœcesim Luxemburgensem ; in *America*, provincias ecclesiasticas Dominii Canadensis, Terræ Novæ et Fœderatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum* ».

c) « Eidem pariter subsunt societates ecclesiasticorum ac *Seminaria* quæ exclusive fundata sunt *eo fine* ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus, præsertim quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas. » — *Cod., c. 252, § 3.*

d) « Hæc autem Congregatio tenetur ad competentes Congregationes *deferre* negotia quæ aut *fidem* attingunt, aut causas *matrimoniales*, aut generales normas circa sacrorum *rituum* disciplinam tradendas vel interpretandas. » — *Ibid., § 4.*

e) » Quod vero spectat ad sodales *religiosos*, eadem Congregatio sibi vindicat quidquid religiosos qua *missionarios*, sive uti singulos sive simul sumptos, tangit.

» Quiqduid vero religiosos *qua tales*, sive uti singulos sive simul sumptos attingit, ad Congregationem religio-

sorum negotiis præpositam remittat aut relinquat. » — *Ibid.*, § *5.*

539. **VII. Congregatio Sacrorum Rituum :**

a) « Jus habet videndi et statuendi ea omnia quæ *sacros ritus* et cæremonias Ecclesiæ Latinæ *proxime* spectant, non autem quæ *latius* ad sacros ritus referuntur, cujusmodi sunt præcedentiæ jura aliaque id genus, de quibus sive servato ordine judiciario sive in linea disciplinari disceptetur.

b) » Ejus proinde est præsertim *advigilare* ut sacri ritus ac cæremoniæ diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quæ Ecclesiæ Latinæ cultum respiciunt ; *dispensationes* concedere opportunas ; *insignia* et *honoris privilegia*, tam personalia et ad tempus quam localia et perpetua, quæ ad sacros ritus vel cæremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in hæc abusus irrepant.

c) » Denique ea omnia agit quæ ad *beatificationem* et *canonizationem* Servorum Dei vel ad *sacras reliquias* quoquo modo referuntur. » — *Cod., c. 253.*

d) *Collectio authentica* decretorum, S. Congr. Rituum quæ, ineunte sæc. XIX, cura *Alovsii Gardellini* cum approbatione Pii VII, prodierat, correcta et locupletata, jussu Leonis XIII publicata est. Et statuit Pontifex « decreta hucusque evulgata, in iis quæ a decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti *abrogata* esse censenda, iis tantum exceptis quæ pro particularibus ecclesiis *indulti* seu privilegii rationem habent ». — *S. C. Rit., 16 feb. 1898.* *Volumen VI* anno 1912 prodiit, sub auspiciis Pii X, qui decreta in hoc volumine contenta sua auctoritate approbavit, atque *authentica* declaravit.

540. **VIII. Ad Congregationem Cæremonialem** « pertinet moderatio cæremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum quas *Patres Cardinales* extra pontificale sacellum peragunt ;

» Itemque eadem Congregatio cognoscit quæstiones de *præcedentia* tum Patrum Cardinalium tum Legatorum

quos variæ Nationes ad Sanctam Sedem mittunt ». — *Cod., c. 254.*

541. **IX. Ad Congregationem pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis :**

a) « Spectat diœceses constituere vel dividere, et ad vacantes diœceses idoneos viros promovere quoties hisce de rebus cum *civilibus Guberniis* agendum est ;

b) » Insuper Congregatio in ea negotia incumbit quæ *ejus examini subjiciuntur* a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status, præsertim ex illis quæ cum legibus civilibus conjunctum aliquid habent, et ad pacta conventa cum variis Nationibus referuntur ». — *Cod., c. 255.*

c) Quod spectat ad originem hujus Congregationis : Pius VI, anno 1793, *extraordinariam* instituit Congregationem super negotiis ecclesiasticis regni Galliarum, quam Pius VII, anno 1805, generaliori nomine appellavit « *a negotiis ecclesiasticis extraordinariis* ». Qui, cum post exilium in Urbe rediret, istam Congregationem, anno 1814, pro omnibus causis gravissimis eo tempore præsertim inter Sedem Apostolicam et non paucas Civitates pendentibus, denuo instauravit, quæ paulatim facta est *ordinaria*, quoniam in dies difficultates magni momenti cum Guberniis civilibus erant solvendæ. — *Wernz, op. cit., tom. II, n. 666.*

542. **X. Congregatio de Seminariis et Universitatibus studiorum :**

a) « Vigilat super omnibus quæ ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia *Seminariorum* pertinent, incolumi jure Congregationis de Prop. Fide.

b) » Eidem pariter commissa est moderatio regiminis ac studiorum in quibus versari debent athenæa, seu quas vocant *Universitates* vel *Facultates*, quæ ab Ecclesiæ auctoritate dependent, comprehensis iis quæ a religiosæ alicujus familiæ sodalibus diriguntur.

» Novas institutiones perpendit approbatque ; facultatem concedit *academicos gradus* conferendi, normasque tradit quibus ii conferri debeant, et, ubi agitur de viro

singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre. » — *Cod., c. 256, § 1.*

c) « In hac Sacra Congregatione *connumerantur,* inter alios Cardinales, Secretarius Congregationis Consistorialis et, inter Consultores, Assessor ejusdem Congregationis. » — *Ibid., § 2.*

d) Hæc nova Congregatio a Benedicto XV instituta est, motu proprio « *Seminaria clericorum* », 4 nov. 1915 *(Acta, VII, 493)*, ut ad eam pertineant quæ usque adhuc de Seminariorum rebus apud Congregationem Consistorialem agebantur.

543. **XI.** « **Congregationi pro Ecclesia Orientali** præest ipse Romanus Pontifex. » — *Cod., c. 257, § 1.*

Hæc Congregatio, quam instituit Pius IX per litteras « *Romani Pontifices* », 6 jan. 1862, unita erat a Pio X Congregationi de Propaganda fide, per constit. « *Sapienti consilio* ».

Sed voluit Benedictus XV *propriam* Sacram Congregationem instituere pro negotiis ritus orientalis. Et « proprium *altiorum studiorum* domicilium de rebus orientalibus in Urbe condere decrevit, idque, et omni apparatu, quem hujus ætatis eruditio postulat, ornatum, et doctoribus in unoquoque genere peritissimis Orientisque perstudiosis insigne ». — *Motu proprio, 15 oct. 1917 (Acta, IX, pag. 531).*

a) « Huic Congregationi reservantur omnia cujusque generis negotia quæ, sive ad *personas,* sive ad *disciplinam,* sive ad *ritus* Ecclesiarum orientalium referuntur, etiamsi sint mixta, quæ scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant.

b) » Quare, pro Ecclesiis ritus orientalis, hæc Congregatio *omnibus facultatibus* potitur quas aliæ Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, incolumi tamen jure Congregationis S. Officii ad normam can. 247.

c) » Hæc Congregatio controversias dirimit via *disciplinari;* quas vero ordine *judiciario* dirimendas judicaverit, ad tribunal remittet quod ipsa Congregatio designaverit. » — *Cod., c. 257.*

ARTICULUS II

DE TRIBUNALIBUS CURIÆ ROMANÆ

Sunt tria, nempe : Sacra Pœnitentiaria, — Sacra Romana Rota — et Signatura Apostolica.

§ I. De Sacra Pœnitentiaria

« Præter alia plura, pro variis causarum generibus constituta, Romanæ Curiæ tribunalia, *ait Benedictus XIV*, voluerunt imprimis Romani Pontifices, jam inde *a vetustissimis usque temporibus*, exstare in ea, et *nunquam defecturum* perpetuo conservari, instar fontis patentis Domui David in ablutionem peccatoris, *Apostolicæ Pœnitentiariæ officium*, ad quod universi fideles, ex omni christiani orbis regione pro suis quisque spiritualibus morbis quantumlibet occultis, sive *per se*, sive *per arcanas litteras*, propriis etiam suppressis nominibus, tuto confugere possent, et convenientem medicinam, *secreta* et *gratuita* curatione, protinus consequerentur. » — *Ben. XIV constit. Pastor bonus, 13 april. 1744. — Cf. ejusd. Pontif. constit. In Apostolicæ, ead. die datam.*

544. **I.** « **Hujus tribunalis jurisdictio** coarctatur ad ea dumtaxat quæ *forum internum*, etiam non sacramentale, respiciunt.

a) » Quare hoc tribunal pro solo foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes ; excutit præterea quæstiones conscientiæ easque dirimit. » — *Cod., c. 258, § 1.*

Sacra Pœnitentiaria *dispensat* pro casibus tantum *occultis*, seu ad forum externum vel contentiosum non deductis nec deducendis. — *Absolvit* autem in omnibus casibus, sive *occultis*, sive *publicis*, quia absolutio, natura sua, respicit *forum conscientiæ*, cum hoc tamen discrimine quod absolutio, in casibus occultis, conceditur per Confessarios, in publicis autem per Ordinarios. — *Capello, De Curia Rom., pag. 356.*

Attento *jure antiquo*, facultas erat Sacræ Pœnitentiariæ dispensandi ab impedimentis *matrimonialibus* etiam *publicis*, pro *pauperibus*. — Sed per constit. « *Sapienti consilio* » tribunalis hujus ambitus ad solum forum internum redactus est.

b) « Sacræ Pœnitentiariæ præficitur Cardinalis Pœnitentiarius Major. » — *Cod., c. 258, § 1.*

Majoris Pœnitentiarii *facultates*, quas maxima cura determinavit Benedictus XIV constit. « *Pastor bonus* », Sede Apostolica *vacante*, non cessant. — *Cf. Pii X constit. Vacante Sede Apostolica, n. 12.*

c) Juxta memoratæ constitutionis Benedicti XIV præscripta, *omnia secreto et gratis* in hoc sacro tribunali expediuntur. — *Normæ pecul., cap. 8, art. 1.*

Hinc Fideles nulla causa præpediri possunt quominus ad hoc sacrum tribunal recurrant.

545. **II. Recursus ad Sacram Pœnitentiariam maxime facilis est.**

Omnes enim, sive *ecclesiasticæ* personæ sive *laicæ*, sive viri sive mulieres, sive *per se* sive *per alios* (ideoque per Confessarium), ipsam per litteras adire possunt.

a) Huic epistolæ, quæ *quocumque idiomate* exarari potest, apponitur hæc superscriptio : « *Eminentissimo Cardinali Majori Pœnitentiario, Romam* », vel æquivalens in lingua vernacula.

Intus vero sint hæc prima verba : « *Eminentissime et Reverendissime Domine* », vel « *Beatissime Pater* ».

b) Ubi agitur de *casibus occultis*, non exprimitur nomen personæ pro qua recurritur, sed designatur persona per litteram *N.*, vel mentito nomine. — Ex. gr. « *Caia mulier emisit votum simplex castitatis ; manet in periculo castitatis nisi nubat : supplicat secum dispensari in voto, ad effectum contrahendi matrimonium* ».

Hujusmodi casus occulti, ad forum conscientiæ pertinentes, *litteris obsignatis* sunt proponendi ; nec debent Confessarii aut animarum Pastores, casus ipsos Procuratoribus præsertim laicis narrare, ut super ipsis libellos supplices conficiant Sacræ Pœnitentiariæ exhibendos. — *Monitum S. Pœnitentiariæ.*

c) Accurate autem sub finem epistolæ, exprimatur *nomen illius ad quem dirigendum est responsum,* itemque accurate ponatur nomen loci, ut tuto responsum perveniat.

Si scribens velit quod responsum ad *aliam* personam distinctam, alibi fortasse commorantem, transmittatur, uti debet in libello his verbis aut similibus : « *Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad.... (nomen, cognomen, locus)* ».

d) Debet clare exprimi casus cum circumstantiis necessariis, et gratia quæ postulatur ; sed præsertim procuret confessarius ut exprimatur *vera causa recursus*, ne *obreptione* aut *subreptione* vitietur rescriptum.

e) Recursus patet ad Sacram Pœnitentiariam etiam pro absolutionibus et dispensationibus *quas posset Episcopus concedere.*

Et, quandoque, ob certas circumstantias et indicia extra forum conscientiæ habita, *posset Episcopus suspicari* quænam sit persona pro qua ad ipsum recurritur : quo casu, pœnitens, qui forsan a recursu ad Episcopum refugeret, recursum ad Sacram Pœnitentiariam ultro admittet. — *Bouix*, *De Curia Rom.*, *p. 252.*

546. **III. In rescribendo** solet Sacra Pœnitentiaria absolutiones, dispensationes, aliasve gratias concedere per formam *commissionis*. — *Cf. n. 481.*

a) Si Confessarius ipse supplicem libellum porrexerit, litteræ S. Pœnitentiariæ ita inscribuntur : « *Discreto viro N. confessario, salutem in Domino* ».

Si vero ipse orator scripserit, litteræ inscribuntur hoc modo : « *Discreto viro Confessario, ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium eligendo, salutem in Domino* ». Et tunc orator qui litteras a S. Pœnitentiaria recepit, tenetur eas tradere uni ex Confessariis ab Episcopo approbatis, ut concessionem pro sua discretione exsequatur. — *Cf. n. 263, d.*

Quandoque exsecutio gratiæ, pro subjecta materia, committitur *Episcopo*, vel ejus *Vicario generali.*

Nulla *formula* taxative determinata est pro exsecutione. Satisfacit Confessarius aut Episcopus si dicat se auctoritate Apostolica sibi *delegata* dispensare vel absolvere.

b) Clausula « *Si ita est* » intelligitur de veritate causæ finalis ob quam conceditur gratia. Sufficit vero assertio pœnitentis, cui fides adhibenda est.

c) Clausula « *In foro conscientiæ tantum* » indicat concessionem non valere quoad forum externum.

Sed verba « *In utroque foro absolvas* » ita intelligenda sunt « ut requiratur una tantum absolutio in foro externo impertienda, quæ valeat etiam pro interno ». — *S. Pœnitentiaria, 27 apr. 1886.*

d) Clausula « *Audita prius sacramentali confessione* », vel « *in actu sacramentalis confessionis tantum* », necessariam reddit præviam sacramentalem confessionem, ipsi confessario exsecutori factam. Confessarius ergo, primum absolvat de more pœnitentem, et, postea, commissionem exsequatur. — *Nulla specialis formula* determinatur qua necessario confessarius uti debeat.

1° Absolutio *sacrilege* suscepta, non officit validitati dispensationis. — *Quod pluries a S. Pœnit. decisum est.*

2° Si confessarius advertat pœnitentem, ex sua *indispositione*, a peccatis absolvi rite non posse, curare debet ut idem pœnitens *rite disponatur ;* vel, si disponi nequeat in præsenti, *differre* debet, una cum absolutione a peccatis, dispensationis concessionem, nisi forte *urgens aliqua necessitas* suadeat dispensationes accelerare.

Unde, quandoque confessarius *dispensationem* concedere potest, etiamsi *absolutionem* a peccatis suspendendam esse censeat. — *S. Pœnit., 19 maii 1834.*

e) Clausula « *Injuncta ei gravi pœnitentia* » intelligenda est juxta vires pœnitentis.

Omissio autem pœnitentiæ injunctæ non secum fert dispensationis invaliditatem, etiamsi pœnitentia ficto animo a pœnitente accipiatur. — *Sac. Pœnitentiaria, 14 sept. ; 12 nov. 1891.*

Eadem S. Pœnitentiaria, *die 8 apr. 1890*, declaravit : « In præfinienda pœnitentiæ qualitate, gravitate, duratione, etc., quæ dispensantis aut delegati arbitrio juri conformi remittitur, neque *severitatis*, neque *humanitatis* fines esse excedendos, rationemque

habendam conditionis, ætatis, infirmitatis, officii, sexus, etc. eorum quibus pœna irrogari injungitur ».

f) Clausula « *Præsentibus laceratis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ* » intelligenda est moraliter, nempe saltem infra triduum post exsecutionem rescripti.

g) *Abbreviationes* in rescriptis S. Pœnitentiariæ adhiberi solitas, quæ nonnullis confessariis difficultatem ingerere possunt, hic referimus cum integris respondentibus verbis :

Alr-aliter ; *als*-alias ; *aplica*-apostolica ; *appbatis*-approbatis ; *aucte*-auctoritate ; *cen*-censuris ; *circumpeoni*-circumspectioni ; *confeone*-confessione ; *consciæ*-conscientiæ ; *discreoni*-discretioni ; *effum*-effectum ; *excoe*-excommunicatione ; *gnali*-generali ; *humoi*-hujusmodi ; *infraptum*-infrascriptum ; *irregulte*-irregularitate ; *igr*-igitur ; *lia*-licentia ; *lite*-licite ; *ltima*-legitima ; *lræ*-litteræ ; *miraone*-miseratione ; *nultus*-nullatenus ; *Ordio*-Ordinario ; *Pp*-Papa ; *ptur*-præfertur ; *pntium*-præsentium ; *pbter*-presbyter ; *pœnia*-pœnitentia ; *poe*-posse ; *qtnus*-quatenus ; *saluri*-salutari ; *spealr*-specialiter ; etc. — *Cf. Battandier, Annuaire Pontif., 1900, pag. 528.*

547. **IV. Quidquid ad Indulgentias pertinet,** ad Sacram Congregationem *S. Officii* devolutum erat ex constitutione « *Sapienti consilio* » Pii X. Verum, attributa hodie huic S. Congregationi censura librorum quæ Sac. Congregationis Indicis munus proprium erat, « ne Sancti Officii negotiorum moles nimis ex hac accessione crescat », voluit Benedictus XV ut quidquid ad Indulgentias pertinet, nunc jam sit *Pœnitentiariæ* Apostolicæ. — *Motu proprio, 25 martii 1917 (Acta, IX, 167).*

Ideo *Sectio de Indulgentiis* quæ erat apud S. Officium, cum suis Officialibus, ad Pœnitentiariam Apostolicam translata est. — *Ibid.*

« Ejusdem igitur est de iis omnibus judicare quæ spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo jure S.Officii videndi ea quæ doctrinam *dogmaticam* circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt. » — *Cod., c. 258, § 2.*

§ II. De Sacra Romana Rota

« Causæ *ordinem judiciarium* requirentes aguntur apud Sacram Romanam Rotam et apud Supremum Tribunal Signaturæ Apostolicæ, salvo jure Congregationis S. Officii et Congregationis Sacrorum Rituum in causas sibi proprias. » — *Cod., c. 259.*

548. **I.** « **Tribunal ordinarium a Sancta Sede constitutum pro appellationibus recipiendis** est *Sacra Rota Romana,* quæ est tribunal collegiale constans certo Auditorum numero cui præsidet Decanus, qui primus est inter pares. » — *Cod., c. 1598, § 1.*

a) » Ii sacerdotes esse debent *laurea doctorali* in utroque saltem jure præditi. Et Auditorum *electio* Romano Pontifici reservatur. » — *Ibid., § 2 et 3.*

b) « Sacra Rota jus dicit, aut per singulos *turnos* trium Auditorum, aut videntibus *omnibus*, nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat. » — *Ibid., § 4.*

549. **II. « Sacra Rota judicat :**

a) » In *secunda instantia,* causas quæ a quorumvis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu dijudicatæ fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferantur ;

b) » In *ultima instantia,* causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia jam cognitas, quæ in rem judicatam non transierint.

c) » Hoc tribunal judicat, etiam in *prima instantia,* causas de quibus in can. 1557, § 2 *(cf. n. 1547, c)*, aliasve quas *Romanus Pontifex,* sive motu proprio, sive ad instantiam partium, ad suum tribunal *advocaverit* et Sacræ Rotæ commiserit ;

» Easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota judicat quoque in secunda et tertia

instantia ope turnorum qui sibi invicem succedunt. » — *Cod., c. 1599.*

d) Sed « *causæ majores* penitus excluduntur ab ambitu competentiæ hujus tribunalis ». — *Cod., c. 1600.* Et « contra *Ordinariorum* decreta non datur *appellatio* seu *recursus* ad Sacram Rotam ; sed de ejusmodi recursibus exclusive cognoscunt Sacræ Congregationes ». — *Cod., c. 1601.*

e) *Speciales regulas* in judiciis apud S. Rotam servandas confirmavit Pius X die 10 augusti 1910, easque publicari et promulgari mandavit in Commentario Officiali S. Sedis. — *Cf. Acta, II, 783, sq.*

§ III. De Signatura Apostolica

« Supremum Signaturæ Apostolicæ Tribunal constat nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quorum unus Præfecti munere fungitur. » — *Cod., c. 1602.*

550. **I. « Apostolica Signatura videt,**

a) » Potestate *ordinaria :*

» 1° De violatione *secreti*, ac de damnis ab Auditoribus Sacræ Rotæ illatis eo quod actum *nullum* vel *injustum* posuerint ;

» 2° De *exceptione suspicionis* contra aliquem Sacræ Rotæ Auditorem ;

» 3° De *querela nullitatis* contra sententiam rotalem ;

» 4° De expostulatione pro *restitutione in integrum* adversus rotalem sententiam quæ in rem judicatam transierit ;

» 5° De recursibus adversus sententias rotales in *causis matrimonialibus* quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit ;

» 6° De *conflictu competentiæ* quem enasci contingat inter tribunalia inferiora. » — *Cod., c. 1603, § 1.*

b) « Videt ex potestate *delegata* de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectis ad obtinen-

dam causæ commissionem apud Sacram Rotam. » — *Ibid.*, § *2.*

551. **II. Regulæ servandæ in judiciis** apud supremum *Signaturæ Apostolicæ* tribunal, approbatæ et confirmatæ sunt a S. Pontifice Pio X, et in *Acta Apostolicæ Sedis* relata et promulgata, ut vim *legis peculiaris* habeant. — *Ex Signatura Apost., 6 mart. 1912.* — *Cf. Acta, IV, 188, sq. ;* — *et Cod., c. 1604.*

ARTICULUS III

DE OFFICIIS CURIÆ ROMANÆ

552. **I. Cancellariæ Apostolicæ,** cui præest Cardinalis Cancellarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, hoc est proprium munus « Apostolicas expedire litteras seu *bullas* pro beneficiorum et officiorum *consistorialium* provisione, novarum provinciarum et diœcesium ac capitulorum institutione et pro aliis *majoribus* Ecclesiæ negotiis conficiendis.

» Quæ litteræ seu bullæ ne expediantur nisi de mandato *Congregationis Consistorialis* circa negotia ad ejus competentiam spectantia, aut de mandato *Summi Pontificis* circa alia negotia, servatis in singulis casibus ipsius mandati terminis ». — *Cod., c. 260.*

553. **II. Datariæ Apostolicæ,** quam moderatur Cardinalis Datarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, commissum est « cognoscere de idoneitate promovendorum ad beneficia *non consistorialia* Apostolicæ Sedi *reservata ;* conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione ; *eximere,* in conferendo beneficio, a conditionibus requisitis, quoties ejus collatio ad Ordinarium non pertinet ; curare *pensiones* et onera quæ Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit ». — *Cod., c. 261.*

Olim *amplissima erat* competentia Datariæ ; nam, præter hanc collationem beneficiorum, attingebat quoque dispensationes ab *impedimentis matrimonii publicis* et a nonnullis irregularitatibus, itemque plurimas concessiones quas enumerat Benedictus XIV, *constit.* « *Gravissimum* », *26 nov. 1745.*

554. **III. Cameræ Apostolicæ,** cui præsidet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Camerarius, « cura est atque administratio bonorum ac jurium *temporalium* Sanctæ Sedis, quo tempore præsertim hæc *vacua* habeatur ; et tunc adamussim serventur normæ statutæ in const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904 ». — *Cod., c. 262.* — *Cf. Cod., Docum. 1.*

555. **IV. Officium Secretariæ Status,** cujus moderator est Cardinalis Secretarius Status, constat triplici parte, hoc ordine :

« 1° Prima pars, cui præsidet *Secretarius* Congregationis *pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis*, versatur in negotiis quæ eidem Congregationi examinanda subjici debent ad normam can. 255, ceteris pro diversa eorum natura ad peculiares Congregationes remissis ;

» 2° Altera pars, cui præest *Substitutus*, incumbit in ordinaria negotia ;

» 3° Tertiam partem dirigit *Cancellarius* Brevium Apostolicorum, qui vacat expeditioni Brevium. » — *Cod., c. 263.*

556. **V.** « **Ad Secretarias Brevium ad Principes, et Epistolarum latinarum,** spectat munus latine scribendi acta Summi Pontificis, ab eodem illis commissa. » — *Cod., can. 264.*

CAPUT VI

DE ADJUTORIBUS ROMANI PONTIFICIS EXTRA CURIAM

Nempe : de Legatis, — Vicariis, Præfectis, — et Administratoribus Apostolicis ; — de Patriarchis, — et Metropolitis.

ARTICULUS I

DE LEGATIS ROMANI PONTIFICIS

557. **I. Jure ipso Primatus** Romanus Pontifex, « dum agnorum et ovium sibi concreditorum curam gerit universam, suo fungitur Apostolico munere per ecclesiasticos viros, sive *stabiles*, sive *ad tempus*, veluti magis expedire censuerit, *delegatos*, præcipiens eisdem ut ibi suas vices obeant, eamque jurisdictionem exerceant quam Is per se, si adesset, exerceret ». — *Pius VI, ad Metropolit., super Nuntiaturis, 20 jan. 1789.*

Ideoque « Romano Pontifici jus est, a civili potestate *independens*, in quamlibet mundi partem Legatos cum vel sine ecclesiastica jurisdictione mittendi ». — *Cod., can. 265.*

558. **II. Legati dividuntur** in Legatos *natos* et Legatos *missos*.

a) *Legati nati* illi erant quorum dignitati, quam in Ecclesia obtinebant, munus legationis erat adnexum.

Hodie vero hujus officii non supersunt nisi tituli, quibus decorantur in Gallia Archiepiscopi Rhemensis, Lugdunensis, Bituricensis et Burdigalensis.

Nam « Episcopis qui, *ratione sedis*, titulo Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale jus ». — *Cod., c. 270.*

b) « Dicitur *Legatus a latere* Cardinalis qui a Summo Pontifice tanquam *alter ego* cum hoc titulo mittitur, et tantum potest quantum ei a Summo Pontifice demandatum est. » — *Cod., c. 266.*

Legati a latere ita appellantur, quia assumuntur e numero Cardinalium qui Romano Pontifici adsistunt. — Mittuntur ad *gravioris* alicujus negotii tractationem, qua absoluta, recedunt.

c) *Legati* qui dicuntur simpliciter *missi*, non solent assumi ex Cardinalibus ; et, vel deputantur ad expediendum aliquod particulare negotium, ita ut, eo completo, Legatus ad Urbem *redeat*, cessetque legatio ; vel mittuntur in aliquam regionem cum jurisdictione *stabili*, et tunc *Nuntiorum* nomine veniunt.

d) « Legati qui mittuntur cum titulo *Nuntii* aut *Internuntii* :

» 1° Fovent, secundum normas a Sancta Sede receptas, relationes inter Sedem Apostolicam et *civilia Gubernia* apud quæ legatione *stabili* funguntur ;

» 2° In territorio sibi assignato *advigilare* debent in Ecclesiarum statum, et Romanum Pontificem de eodem certiorem reddere ;

» 3° Præter has duas ordinarias potestates, *alias* plerumque facultates obtinent, quæ tamen sunt omnes delegatæ. » — *Cod., c. 267, § 1.*

e) Qui vero mittuntur cum titulo *Delegati Apostolici* unam habent *ordinariam* potestatem advigilandi in ecclesiarum statum, et « charactere diplomatico, quem vocant, omnino carent ». — *Ex Secret. Status, 8 maii 1915.* — *Cod., ibid., § 2.*

559. **III.** « **Legatorum munus** cum omnibus facultatibus eisdem commissis :

a) » Non exspirat, *vacante Sede Apostolica*, nisi aliter in litteris Pontificiis fuerit statutum. » — *Cod., can. 268, § 1.* — *Pii X constit. Vacante sede Apostolica, 25 dec. 1904.*

b) « *Cessat* autem : expleto mandato, revocatione eisdem intimata, renuntiatione a Romano Pontifice acceptata. » — *Ibid., § 2.*

560. **IV.** « **Legati Ordinariis locorum liberum suæ jurisdictionis exercitium relinquant.** » — *Cod., c. 269, § 1.*

a) « Licet forte charactere episcopali careant, *præcedunt* tamen omnibus Ordinariis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti.

b) » Si *charactere episcopali* sint aucti, possunt, sine Ordinariorum licentia, in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina etiam in pontificalibus, adhibito quoque throno et baldachino, peragere. » — *Ibid.*, § *2 et 3.*

ARTICULUS II

DE VICARIIS ET PRÆFECTIS APOSTOLICIS

561. **I. Territoria quæ erecta non sunt in diœceses** reguntur per Vicarios aut Præfectos Apostolicos « qui omnes ab una Apostolica Sede nominantur ». — *Cod., can. 293.*

a) Vicarii Apostolici pastorale regimen *nomine Romani Pontificis* exercent ; dum Episcopus residentialis *suo nomine* gregem pascit, et, licet Pontificiæ auctoritati subditus, non tamen est Papæ vicarius.

b) Vicarii Apostolici : *alii consecrantur in Episcopos*, ad titulum alicujus ecclesiæ in partibus infidelium sitæ, et appellantur *Episcopi Titulares ;* alii vero *charactere episcopali carent*, et proprie dicuntur *Præfecti Apostolici.* Non enim est necessarius episcopalis Ordo ut quis Vicarius Apostolicus esse possit ; sed additur consecratio episcopalis quando *utilis reputatur* ad recte administrandam regionem quæ Vicario Apostolico committitur.

c) « Vicarius et Præfectus Apostolicus *possessionem sui territorii* capiunt, ille litteras apostolicas, hic decretum seu patentes litteras Sacræ Congregationis de Prop. Fide, per se vel per procuratorem, ostendentes ei qui territorium regit ad normam can. 309 » *(cf. n. 569).* — *Cod., c. 293, § 2.*

562. **II. « Iisdem juribus et facultatibus quæ in propriis diœcesibus competunt Episcopis residentialibus »**

Vicarii et Præfecti Apostolici in suo territorio gaudent, « nisi quid Apostolica Sedes reservaverit ». — *Cod., can. 294, § 1.*

Non tamen iis competit ut in canone Missæ nominentur. *S. C. Rit., 8 mart. 1919 (Acta, XI, 145).*

a) Etiam ii qui *charactere episcopali carent* « possunt, intra sui territorii fines, ac perdurante munere, omnes benedictiones Episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare, indulgentias quinquaginta dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre ad normam can. 782, § 3, 957, § 2 ». — *Ibid., § 2.* — *Cf. n. 607 et 371.*

b) « Vicarii et Præfecti Apostolici ab omnibus *missionariis*, etiam religiosis, possunt ac debent exigere ut suas patentes seu alias quasvis eorum missionis, destinationis, constitutionis ac deputationis *litteras exhibeant*, easque exhibere recusantibus exercitium cujusvis ministerii ecclesiastici prohibere. » — *Cod., c. 295.*

c) « Ipsis non licet, inconsulta *Sede Apostolica*, concedere missionariis *ab ea missis* veniam in perpetuum deserendi vicariatum aut præfecturam, vel alio transeundi, nec eos quoquo modo expellere.

» In casu autem *publici scandali*, possunt ipsi, audito suo Consilio, et, si agatur de religiosis, præmonito, quantum fieri potest, Superiore, missionarium statim removere, facta tamen illico certiore Apostolica Sede. » — *Cod., c. 307.*

d) « Omnes missionarii, etiam regulares, *licentiam* sacri ministerii exercendi petant a Vicariis et Præfectis Apostolicis, qui tamen eam ne denegent nisi singulis, et gravem ob causam. » — *Cod., c. 295, § 2.*

e) « Quæ de *Conciliis plenariis* et *provincialibus* can. 281-291 præscribuntur, applicari debent, congrua congruis referendo, Conciliis plenariis vel regionalibus et provincialibus, in regionibus Sacræ Congregationi de Prop. Fide subjectis ; quæ de *Synodo diœcesana* can. 356-362, Synodo vicariatus apostolici ;

» Sed nullum est præfinitum *tempus* pro Concilii provincialis et Synodi celebratione ; et canones Conciliorum, antequam promulgentur, *recognosci* debent a Sacra Congregatione de Prop. Fide. » — *Cod., c. 304,* § *2.* — *Cf. n. 772, sq. ; et 653, sq.*

f) Item legibus quæ de *archivo* constituendo Episcopis præscribuntur, « etiam Vicarii ac Præfecti Apostolici, habita locorum personarumque ratione, æque tenentur ». — *Ibid.,* § *1.*

563. **III.** « **Etiam missionarii regulares subjiciuntur Vicarii et Præfecti Apostolici jurisdictioni, visitationi et correctioni** in iis quæ pertinent ad missionum regimen, curam animarum, Sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem ejusdem missionis. » — *Cod., c. 296,* § *1.*

a) « Quamvis Vicariis et Præfectis Apostolicis nullo modo liceat, præter casus in jure prævisos, se in *disciplinam religiosam* ingerere quæ a Superiore religioso dependet, si tamen circa ea de quibus in superiore paragrapho *conflictus* oriatur inter mandatum Vicarii aut Præfecti Apostolici et mandatum Superioris, prius prævalere debet, salvo jure recursus *in devolutivo* ad Sanctam Sedem, et salvis peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Deficientibus e clero sæculari sacerdotibus, Vicarii et Præfecti Apostolici possunt, audito eorum Superiore, *cogere religiosos,* etiam exemptos, vicariatui vel præfecturæ addictos, ad *animarum curam* exercendam, salvis pariter peculiaribus statutis a Sede Apostolica probatis. » — *Cod., c. 297.*

564. **IV.** « **Si qua dissidia in iis quæ ad curam animarum pertinent,** sive inter singulos missionarios, sive inter diversas religiones, sive inter missionarios et alios quoslibet, oriri contigerit, ea quamprimum componere curent Vicarii ac Præfecti Apostolici, qui hujusmodi

quæstiones, ubi opus fuerit, *dirimant*, integro tamen jure *recursus* ad Apostolicam Sedem, qui decreti effectum non suspendit. » — *Cod., c. 298.*

565. **V.** « **Plenam accuratamque relationem de suo quisque pastorali officio,** deque omnibus quæcumque ad statum vicariatus vel præfecturæ, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam, ad fidelium denique ipsorum curæ commissorum salutem quavis ratione pertineant », *Sedi Apostolicæ* exhibendi obligatione tenentur Vicarii ac Præfecti Apostolici, ad normam can. 340. — *Cod., c. 300,* § *1.* — *Cf. n. 723.*

Hæc relatio « *scripta* esse debet, et subscripta, tum ab ipso Vicario aut Præfecto, tum ab uno saltem ex consiliariis de quibus in can. 302 ». — *Ibid.* — *Cf. n. 566, b.*

a) « Imo, etiam *sub cujusque anni exitum*, ad Sanctam Sedem mittant elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum annuæque Sacramentorum administrationis, una cum aliis notatu dignioribus. » — *Ibid.,* § *2.*

b) Vicarii Apostolici insuper obligatione tenentur « *Sacra Limina* Beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi, eadem prorsus lege qua Episcopi residentiales, ad normam can. 341 ;

» Cui tamen muneri, si quid graviter obstet ne per se ipsi illud expleant, satisfacere possunt per *procuratorem* etiam in Urbe degentem ». — *Cod., c. 299.* — *Cf. n. 724.*

566. **VI.** « **In regione sibi commissa commorentur,** a qua sine gravi et urgenti causa per notabile tempus iis *abesse* ne liceat, inconsulta Sede Apostolica. » — *Cod., can. 301,* § *1.*

a) « Regionem sibi concreditam, quandocumque sit opus, debent ipsi per se, vel, si legitime impediti fuerint, per alium *visitare*, eaque omnia in visitatione expendere quæ ad fidem, bonos mores, Sacramentorum administrationem, prædicationem verbi Dei, festorum observantiam, cultum divinum, juventutis institutionem, disciplinam ecclesiasticam referuntur. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Constituant *Consilium* ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, quorum sententiam, saltem per epistolam, audiant in *gravioribus* et difficilioribus negotiis. » — *Cod., c. 302.*

c) « Prout siverit opportunitas, missionarios saltem præcipuos, tum *religiosos* tum *sæculares,* proprii territorii *congregent* semel saltem in anno, ut possint ex singulorum experientia et consilio deducere quæ sint ordinanda perfectius. » — *Cod., c. 303.*

d) « Studiosissime curent, onerata graviter eorum conscientia, ut ex christianis *indigenis* seu incolis suæ regionis probati clerici rite instituantur ac *sacerdotio* initientur. » — *Cod., c. 305.*

567. **VII. Missæ sacrificium pro populis sibi commissis** « applicare debent *saltem* in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Sancti Joseph ejus sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, servato præscripto can. 339, § 2, sq. ». — *Cod., c. 306. — Cf. n. 732, sq.*

568. **VIII. Privilegia honorifica quæ jus concedit Episcopis titularibus** « competunt Vicariis et Præfectis *charactere episcopali* auctis ».

« Si autem charactere episcopali *careant,* habent tantum, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia *Protonotariorum* apostolicorum de numero participantium. » — *Cod., c. 308.*

569. **IX. Deficiente Vicario, aut Præfecto Apostolico,** vel eorum jurisdictione impedita, ad normam can. *429,* § *1 (cf. n. 859) :*

a) *Pro-vicarius* aut *pro-præfectus,* « qui nullam habet, vivente Vicario aut Præfecto, potestatem, nisi quæ fuerit ab eodem sibi commissa », debet « *totum regimen* assumere, et in hoc munere permanere donec a Sancta Sede aliter fuerit provisum ». — *Cod., c. 309,* § *2.*

b) Ideo « Vicarii et Præfecti, ubi primum in territorium suum advenerint, *deputent*, ex uno vel altero clero, Pro-vicarium vel Pro-præfectum idoneum, nisi *Coadjutor* cum futura successione a Sancta Sede datus fuerit ». — *Ibid.*, § *1.*

c) « Pari modo Pro-vicarius aut Pro-præfectus, qui titulari successerit, *statim deputet* ecclesiasticum virum qui sibi, ut supra, in munere succedat. » — *Ibid.*, § *3.*

d) « Si forte contingat ut nemo, sive a titulari sive a pro-titulari, uti administrator fuerit designatus, tunc *senior in Vicariatu* vel præfectura, is nempe qui sit præsens in territorio et suas destinationis litteras in eodem prius exhibuerit, censetur *delegatus a Sancta Sede* ut regimen assumat, et, inter plures æque seniores, antiquior sacerdotio. » — *Ibid.*, § *4.*

e) « Ad quos vicariatus aut præfecturæ cura devenerit ad normam can. 309, ii debent quamprimum *certiorem facere* Apostolicam Sedem.

» Interim uti possunt *omnibus facultatibus*, sive ordinariis, sive delegatis, quibus Vicarius vel Præfectus pollebat, nisi commissæ fuerint ob industriam personæ. » — *Cod., c. 310.*

570. **X. Qui vicariatui vel præfecturæ apostolicæ ad certum tempus præpositus est,** « debet in regimine cum omnibus facultatibus sibi concessis permanere, licet definitum tempus fuerit præterlapsum, *donec successor* canonicam sui muneris possessionem ceperit ». — *Cod., can. 311.*

ARTICULUS III

DE ADMINISTRATORIBUS APOSTOLICIS

571. **I. Diœcesis canonice erectæ regimen,** sive plena, sive vacante sede, « aliquando Summus Pontifex, ob graves et speciales causas, Administratori Apostolico vel *in perpetuum* vel *ad tempus* committit ». — *Cod., can. 312.*

a) « Quilibet Administrator Apostolicus, si datus fuerit diœcesi *sede plena*, canonicam administrationis possessionem init, ostendens litteras suæ nominationis, tum Episcopo si sit mentis consiliique compos et in diœcesi versetur, tum etiam Capitulo ad normam can. 334, § 3. » — *Cod., c. 313, § 1. — Cf. n. 601.*

b) « Si sedes fuerit *vacans*, vel si Episcopus non sit mentis consiliique compos, aut in diœcesi non moretur, Administrator Apostolicus possessionem sumit ad instar Episcopi secundum cit. can. 334, § 3. » — *Ibid., § 2.*

572. **II. Jura, officia ac privilegia Administratoris Apostolici** « desumantur ex *litteris* suæ deputationis, vel, nisi in eisdem aliud caveatur expresse, ex præscripto canonum qui sequuntur ». — *Cod., c. 314.*

a) Administrator Apostolicus *permanenter* constitutus « iisdem juribus et honoribus fruitur, iisdemque obligationibus tenetur ac Episcopus residentialis ». — *Cod., c. 315, § 1.*

b) Si *ad tempus* datus sit :

« 1° Eadem jura ac officia habet ac *Vicarius Capitularis ;* sed, sede plena, potest diœcesim visitare ad tramitem juris ; nec tenetur obligatione applicandæ Missæ pro populo, quæ Episcopum gravat ;

» 2° Ad *honorifica privilegia* quod attinet, valeat præscriptum can. 308 *(cf. n. 568) ;*

» Sed Episcopo qui, ad aliam sedem *translatus*, prioris *retinet* administrationem, in hac quoque omnia Episcoporum residentialium honorifica privilegia competunt. » — *Cod., c. 315, § 2.*

c) « Si Administrator Apostolicus diœcesi, *sede plena*, præficiatur, jurisdictio Episcopi ejusque Vicarii Generalis suspenditur. » — *Cod., c. 316, § 1.*

« Quanquam autem Administrator Apostolicus Episcopi auctoritati non subest, non debet tamen se immiscere causis *Episcopum ipsum* spectantibus, neque in Vicarium ejus Generalem judicium seu processum instruere, aut

animadvertere ob acta præteritæ administrationis. » — *Ibid.*, § 2.

d) « Si *impedita* fuerit jurisdictio Administratoris Apostolici, aut si idem Administrator *defecerit*, Sedes Apostolica statim *moneatur ;*

» Et interim, si diœcesis vacet, aut Episcopus non sit sui compos, valent præscripta can. 429, sq. *(cf. n. 861, sq.)* ; *secus*, Episcopus diœcesim regit, nisi Sedes Apostolica aliud præstituerit. » — *Cod., c. 317.*

e) « Administratoris Apostolici jurisdictio Romani Pontificis aut Episcopi *obitu* non cessat.

» Cessat vero cum Episcopus diœcesis vacantis *possessionem* legitime ceperit. » — *Cod., c. 318.*

ARTICULUS IV

DE PATRIARCHIS

573. **I. Summus Pontifex quosdam Episcopos in partem sollicitudinis universalis Ecclesiæ vocavit.**

a) Licet enim *jure divino* Episcopi omnes pares sint Ordine et potestate, uno excepto S. Pontifice qui, non Ordine quidem sed jurisdictione ceteris præstat, *jure tamen ecclesiastico* dantur diversi gradus jurisdictionis, ita ut alii aliis subjiciantur, et sic varia exsurgat inter ipsos præcellentia et dignitas. — *Cf. n. 46, b.*

Quod *ideo inductum est* ut melius Ecclesiæ servaretur unitas : cum « essent, in singulis provinciis, Prælati quorum inter fratres prima haberetur sententia ; et rur us, quidam, in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Sancti Petri Sedem universalis Ecclesia conflueret, et nihil unquam a suo capite dissideret ». — *Ep. S. Leonis ad Anast. Thessal.* — *Cf. Pii IX constit. Reversurus, 4 id. jul. 1867.*

b) Hinc, gradus medium locum obtinentes inter Romanum Pontificem et Episcopos, considerari possunt ceu *partialis communicatio* potestatis supremæ in Ecclesia, facta a Prima Sede.

Primum gradum obtinent *Patriarchæ ;* secundum,

Primates ; et tertium, *Metropolitæ,* quibus simplices Episcopi subsunt. — *Cod., c. 280.*

574. **II. Origo Patriarchatus.**

a) Patriarcha *quoad nomen* idem sonat ac *princeps patrum,* et dicitur de Episcopo qui jurisdictionem habet supra Episcopos ac Archiepiscopos alicujus regionis, ac ipsos Primates præcedit honore.

b) *Tres* tantum sedes patriarchales *antiquitas* recognovit : nempe *Romanam, Alexandrinam,* et *Antiochenam.*

Harum sedium dignitas *a primatu Beati Petri repetenda est,* qui « sublimavit sedem *(Romanam)* in qua etiam quiescere et præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem *(Alexandrinam)* in quam discipulum Evangelistam misit. Ipse firmavit sedem *(Antiochenam)* in qua septem annis, quamvis alio discessurus, sedit ». — *Gregorii Magni epist. ad Eulogium Alexandrinum.* — *Cf. Wernz, Jus Decret., t. 2, n. 715, sq.*

c) Successu temporis, dignitas patriarchalis tributa est etiam *Episcopo Hierosolymitano,* ob memoriam passionis et sepulturæ Dominicæ.

d) *Episcopi Byzantini,* quando sedes Imperii Romani fuit Constantinopolim translata, ambitiose adlaboraverunt ut ecclesia Constantinopolitana, post Romanam, præ omnibus dignitatis locum occuparet. Et demum Innocentius III, in concilio Lateranensi, an. 1215, hanc prærogativam admisit. — *Cf. cap. 23, De privilegiis.*

Unde : « Sancta Romana Ecclesia *quatuor sedes patriarchales* instituit, inter quas, post ipsam *Romanam Ecclesiam, Constantinopolitanam* primum, *Alexandrinam* secundum, *Antiochenam* tertium, *Hierosolymitanam* quartum locum obtinere voluit, ipsasque multis prærogativis et honoribus ac privilegiis decoravit. » — *Cap. 3, De elect., extravag. comm.*

575. **III. Patriarcharum jura in Metropolitas** eadem ferme erant quæ Metropolitis in Episcopos competebant.

Ideoque poterant *confirmare* et *consecrare* Episcopos et Archiepiscopos, nec non *appellationes* ex toto districtu recipere ; ordine *dignitatis,* proximum post Cardinales

locum obtinebant ; *pallium* Metropolitis concedebant, postquam ipsi a R. Pontifice illud acceperant ; et *crucem* præ se ferebant, per universum tractum sui Patriarchatus, etc. — *Cf. cap. 23, De privilegiis.*

576. **IV. Patriarchæ Titulares.**

a) Prædictarum sedium patriarchalium civitates occupatæ sunt ab *Infidelibus*, vel a *Schismaticis* detinentur ; verumtamen, ut earum *memoria* servetur, Romanus Pontifex Patriarchas creare pergit qui actualem curam non exercent, sed Romæ commorantur, *solo titulo* insigniti, ac propterea etiam pallium non accipientes.

b) Excipitur solus Patriarcha *Hierosolymitanus*, cui Summus Pontifex Pius IX, *constit.* « *Nulla celebrior* », *22 jul. 1847*, exercitium jurisdictionis restituit cum residendi obligatione ; hæc tamen jurisdictio, ex ipso tenore constitutionis, limites juris metropolitici non excedit.

577. **V. Patriarchæ minores.**

a) Præter quatuor prædictos Patriarchas, qui *majores* dicuntur, progressu temporis, *in Occidente*, alii a Romano Pontifice condecorati sunt hoc titulo, sed *Patriarchæ minores* appellari solent.

b) Hodie tres illi sunt, nempe : Episcopus Venetiarum *(Venise)* Archiepiscopus Ulyssiponensis *(Lisbonne)*, et Archiepiscopus Toletanus *(Tolède)*.

Isti nomen quidem et honores Patriarchatus obtinent, sed ipsorum jurisdictio metropoliticam non excedit. — *Cf. Philipps, Du Droit ecclés. dans ses principes gén.*, § *69*, *sq.*

578. **VI. In Oriente,** exstant Patriarchæ catholici diversorum rituum, quibus eadem fere jura ac privilegia quibus Patriarchæ antiqui fruebantur, Apostolica Sedes recognovit.

Tales sunt : Patriarcha Antiochenus *Melchitarum*, Patriarcha Antiochenus *Maronitarum*, Patriarcha Antiochenus *Syrorum*, Patriarcha Babylonensis *nationis Chaldæorum* in Mesopotamia, Patriarcha Ciliciæ *Armenorum ;* et, nuper, Alexandriæ instaurata

est patriarchalis dignitas pro ecclesia catholica Coptorum. — *Cf Leonis XIII constit. Christi Domini, 6 kal. dec. 1895.*

Restituta in Indiis orientalibus hierarchia ecclesiastica, *constit* « *Humanæ salutis* », *Leonis XIII, 1 sept. 1886*, Archiepiscopatu *Goanus* dignitate patriarchali auctus est, sed *ad honorem* tantum

Patriarchis, tum orientalis tum latini ritus, titulus tribuitu « *Excellentiæ Reverendissimæ* ». — *S. C. Cærem., 3 jun. 1893.*

a) « Inter varios catholicos ritus, ad illum quis *pertinet* cuju cæremoniis *baptizatus* fuit, nisi forte baptismus a ritus alieni mi nistro, vel fraude collatus fuit, vel ob gravem necessitatem cun sacerdos proprii ritus præsto esse non potuit, vel ex dispensation apostolica cum facultas data fuit ut quis certo quodam ritu bapti zaretur quin tamen eidem adscriptus maneret. » — *Cod., c. 98, § 1*

b) « Nemini licet sine venia Apostolicæ Sedis ad alium ritum *transire*, aut, post legitimum transitum, ad pristinum reverti. » — *Ibid., § 3.*

Nec clerici « ullo modo *inducere* præsumant sive latinos ad orien talem, sive orientales ad latinum ritum assumendum ». — *Ibid., § 2*

Attamen « integrum est mulieri diversi ritus, ad ritum viri, *i matrimonio ineundo* vel eo durante, transire ; matrimonio autem *soluto*, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi jure parti culari aliud cautum sit ». — *Ibid., § 4.*

c) « Quicumque orientalis *extra patriarchale territorium con morans*, sub administratione sit cleri latini ; ritui tamen suo perma nebit adscriptus, ita ut, nihil diuturnitate aliave causa ulla suffra gante, recidat in ditionem Patriarchæ, simul ac in ejus territorium revenerit. » — *Leonis XIII constit. Orientalium dignitas, 30 nov 1894 ; et litt. Auspicia, 19 mart. 1896.*

d) « Mos, quamvis diuturnus, *sacræ Synaxis* ritu alieno sus cipiendæ, non secumfert ritus mutationem. » — *Cod., c. 98, § 5.* — *Cf. n. 949 ; — et Pii X constit. Tradita ab antiquis (Acta,. IV, 609)*

ARTICULUS V

DE PRIMATIBUS SEU EXARCHIS

579. **I. Primatialis sedes illa est** cui, in perpetuum adnexum est certum quoddam jus *supra omnes alicuju regionis Metropolitas,* ita tamen ut, vel ipsa patriar chali sedi subjaceat, vel, si forte sit extra omnem patriar

chatum, patriarchalis denominationis prærogativam non habeat.

Episcopi qui, in civitate principali alicujus regni vel nationis, ita constituti sunt ut ceteris sive Episcopis sive Metropolitis hujus regionis præessent, in Occidente *Primales*, et in Oriente *Exarchæ* dicti sunt. — *Cf. Phillips, Du Droit ecclés. dans ses princ. gén.*, § 72.

580. **II. Primatum jura.** — Primates, sicut et Patriarchæ, nihil juris habent præ ceteris Episcopis, nisi « quantum *sacri canones* concedunt, vel prisca illis *consuetudo* contulit ». — *Cap. 9, De offic. judicis ordinarii.*

Imo *hodie* Primates haud secus ac Patriarchæ, solam *honoris* prærogativam, nullam vero jurisdictionem habent, « nisi jure particulari de aliquibus aliud constet ». — *Cod., c. 271.*

In Gallia, cum nulla sedes a tempore Concordati in primatialem erecta fuerit, omnes in nostris partibus provinciæ ecclesiasticæ sunt jure æquales, ac ab invicem independentes ; et, si quibusdam Episcopis, ex. gr. *Lugdunensi*, *Burdigalensi*, *Carthaginiensi*, benignitas Apostolica indulserit præferre titulum Primatis, id *ad honorem* solum et commemorationem temporis acti concessum est.

ARTICULUS VI

DE METROPOLITIS SEU ARCHIEPISCOPIS

581. **I. Natura et origo hujus dignitatis.**

a) Archiepiscopus *quoad nomen* idem sonat ac princeps Episcoporum ; et *quoad rem* definiri potest : Episcopus sibi subditos habens Episcopos alicujus provinciæ ecclesiasticæ, quibus alii Episcopi non subjiciuntur.

b) Appellatur quoque *Metropolita*, eo quod sit præsul *Metropolis*, id est urbis matris aliorum vicinarum urbium. — Nam, quemadmodum in regimine civili præsides habentur qui totius provinciæ præfecturam gerunt, ita Ecclesia in quibusdam civitatibus Episcopos præfecit quibus aliarum civitatum Episcopi subderentur.

c) *Origo Metropolitarum* non immerito ad ipsa tempora Apostolica communiter refertur. Nam *Titus* et *Timotheus,* in Asia et in insula Cretensi, mandatum acceperunt a S. Paulo ceteris provinciæ Episcopis invigilandi et præsidendi. Et jam in concilio Nicæno jubebatur « antiquos mores circa Metropolitas observari ».

Subsequentibus vero temporibus, iste gradus jurisdictionis explicatus est, magisque determinatus.

d) Hæc dignitas « conjuncta est cum sede episcopali a *Romano Pontifice* determinata vel probata ». — *Cod., can. 272.*

582. **II. Potestas Metropolitarum in genere.**

a) Cum *jure divino* Episcopi omnes infra S. Pontificem auctoritate pares sint, et proinde Archiepiscopi potestas ex *delegatione* R. Pontificis sit repetenda, nihil potest Metropolita, extra suam diœcesim, nisi quod fuerit a jure *expressum,* aut a R. Pontifice *specialiter* demandatum.

b) Unde, non mirum est jura Metropolitarum *progressu temporis fuisse imminuta ;* potestatem enim, quam Romanus Pontifex concessit, potuit ipse tollere, vel ex parte revocare. — *Cf. Wernz, loc. cit., n. 723, sq.* — *Cf. Phillips op. cit. § 73.*

c) Jam vero, potestas Archiepiscopi considerari potest : vel in ordine ad *Episcopos suffraganeos*; vel in ordine ad *subditos suffraganeorum.* — Porro,

583. **III. In ordine ad ipsos Episcopos suffraganeos :**

a) Archiepiscopus, ne suffraganei suo muneri desint, debet « vigilare ut *fides* ac *disciplina ecclesiastica* accurate serventur, et de abusibus Romanum Pontificem certiorem facere ». — *Cod. c. 274, n. 4.*

b) Ad ipsum pertinet *Concilium* in *provincia sua* cogere, eique præesse. — *Cf. n. 776 sq.*

c) *Confirmare* autem et *consecrare* Episcopos suffraganeos, jure hodierno Summo Pontifici reservata sunt.

584. **IV. In ordine ad subditos suffraganeorum,** Archiepiscopus potest quidem « in omnibus ecclesiis, etiam exemptis, Ordinario loci præmonito si ecclesia sit cathedralis, peragere *pontificalia* uti Episcopus in proprio territorio, populo benedicere, *cruce* ante se delata incedere » ; item « *indulgentias* centum dierum sicuti in propria diœcesi concedere ». Sed non potest « alia exercere quæ jurisdictionem importent » nisi in casibus appellationis, devolutionis, aut visitationis. — *Cod., c. 274, num. 2 et 6.*

a) « *Appellationem* recipit a sententiis definitivis aut interlocutoriis definitivarum vim habentibus, prolatis in Curiis suffraganeis, ad normam can. 1594, § 1 ». — *Ibid., num. 7.*

Non datur autem appellatio a sententiis *ex informata conscientia*, quibus nempe suffraganeus *extrajudicialiter* suspensionis pœnam pronuntiat, aut ascensum ad Ordines recusat ; tunc enim recursus tantum habetur ad Sedem Apostolicam. — *Cf. n. 275.*

b) *Devolutio* ad Metropolitam locum habet :

1° Quando Capitulum cathedrale, infra octo dies post mortem Episcopi, *Vicarium Capitularem* non constituit, vel non idoneum deputavit. — *Ibid., n. 3.* — *Cf. n. 863.*

2° Cum Suffraganeus, « justo impedimento non detentus », omiserit a *patronis* ad beneficia præsentatos instituere « intra tempus jure statutum ». — *Ibid., n. 1.*

« Qui, alius negligentiam vel impotentiam supplens, officium confert, *nullam* inde *potestatem* acquirit in nominatum ; sed hujus juridicus status perinde constituitur ac si provisio ad ordinariam juris normam peracta fuisset. » — *Cod., c. 158.*

3° Ad ipsum quoque pertinet controversias de quibus in can. 1572, § 2, in prima instantia dirimere. — *Cod., can. 274, n. 8.* — *Cf. n. 668, b.*

c) Metropolita *canonicam visitationem* diœcesis peragere potest, causa prius ab Apostolica Sede probata, « si eam Suffraganeus neglexerit ;

» Tempore autem visitationis *potest* : prædicare, confessiones audire, etiam absolvendo a casibus Episcopo

reservatis, de vita et honestate clericorum inquirere, clericos infamia notatos Ordinariis ipsorum, ut eos puniant, denuntiare, notoria crimina, manifestas et notorias offensas, tum sibi tum suis forte illatas, justis pœnis, censuris non exclusis, punire. » — *Cod., c. 274, n. 5.* — *Cf. Trid., XXIV, 3, de ref.*

585. **V. Insignia Archiepiscoporum,** præter ea quæ cum ceteris Episcopis habent communia, sunt *Crux* et *Pallium.*

a) *Crux* Archiepiscopis præfertur *per totam provinciam,* etiam in locis exemptis ; et significat « nusquam eos procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi crucem et imperium aut constabiliendum aut propagandum ». — *Thomass., De veteri et nova Eccles. discipl., p. 1, lib. 2, cap. 8.* — *Cf. clement. 2, De privilegiis.*

b) *Pallium,* quod defertur super vestes pontificales, est fascia quædam, lata circiter tres digitos, ex *candida lana* contexta, et *nigris crucibus* decorata ; formam habet circuli humeros constringentis, cum duabus lineis ab utraque parte pendentibus.

Die festo *Sanctæ Agnetis,* in ejusdem templo, singulis annis, duo agni candidi benedicuntur, ex quorum lana, permixta reliquæ lanæ, Pallia conficiuntur, et deferuntur asservanda prope sepulchrum Beati Petri : ideoque Pallium *de corpore sancti Petri* sumptum esse dicitur.

c) De *origine* Pallii disputatur apud eruditos. Admodum probabile est Pallium originem ducere ab ipso pallio S. Petri quo utebatur in sacris, et cujus fasciolæ mittebantur a Summis Pontificibus, in signum collatæ potestatis.

d) Unde, *Pallium significat* potestatem supra-episcopalem, seu *participationem* aliquam potestatis primatialis Petri, residentis in Romano Pontifice ; et mittitur ad eos quibus Romanus Pontifex partem suæ sollicitudinis in universam Ecclesiam committit, in ordine ad aliquam provinciam, vel determinatam regionem. — *Cf. cap. 4, De auct. et usu pallii ;* — *et Pii VI litt., 9 dec. 1783.*

e) Cum pallium sit signum collatæ auctoritatis supra-episcopalis, Metropolita, *ante pallii impositionem* et, « secluso speciali indulto Apostolico, *illicite* poneret actus, sive jurisdictionis metropolitanæ, sive ordinis episcopalis in quibus ad normam legum liturgicarum usus pallii requiritur ». — *Cod., c. 276. — Cf. cap. 28, De elect.*

f) *Pallium petendum est a Summo Pontifice,* intra tres menses a consecratione, vel, si jam consecratus erat Archiepiscopus, a provisione canonica in Consistorio.

Pallium petere potest Archiepiscopus, sive *per se*, sive *per procuratorem*, in Consistorio. — Illud recipit a primo Cardinali diacono, postquam fidelitatis et obedientiæ Summo Pontifici juramentum emiserit. — *Cf. Pontific. Rom., tit. De pallio. — Cod., c. 275.*

g) « Metropolita uti potest pallio intra quamlibet ecclesiam etiam exemptam suæ provinciæ in Missarum sollemnibus, diebus in Pontificali Romano designatis, aliisque forte sibi concessis ; nullatenus vero extra provinciam, etsi Ordinarii loci consensus accedat. » — *Cod., can. 277. — Cap. 4, de auctorit. et usu pallii.*

h) Pallium conceditur *personæ,* intuitu jurisdictionis *in aliquam provinciam.* Hinc, alteri commodari non potest ; nec transit ad heredes dignitatis, sed cum Archiepiscopo sepeliri debet. — *Cap. 2, eod., tit. — Cod., can. 279.*

Ideo etiam non datur Patriarchis nec Archiepiscopis *Titularibus ;* et Archiepiscopus, de una ad aliam sedem translatus, *novum pallium* petere debet. — *Cod., c. 278.*

i) *Ex privilegio S. Pontificis,* nonnulli, qui et re et nomine sunt simplices Episcopi, consueverunt pallio decorari ; sed hujusmodi concessio, quæ aliquando est privilegium *personæ,* non Sedis, aliquando privilegium *Sedis,* non personæ, fit *in meram honoris significationem,* neque eximit Episcopum a jurisdictione Metropolitana, nec turbat ordinem præcedentiæ inter suffraganeos. — *Cf. Bened. XIV, De syn. diœc., lib. 13, cap. 15, n. 8 et 10.*

TRACTATUS IV

DE EPISCOPO ET SYNODIS EPISCOPORUM

« Christianæ rei administratio, proxime et secundum Pontificem Romanum, ad Episcopos pertinet : qui scilicet, quanquam Pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri principes ; cumque singulas ecclesias singuli administrent, sunt *quasi principales artifices.... in ædificio spirituali* (*S. Thom.*, *Quodlib. 1, art. 14)*, atque habent munerum adjutores, ac ministros consiliorum, clericos. » — *Encyc. Sapientiæ christianæ, Leonis XIII*, § *Contra non pauci.*

CAPUT I

DE NATURA EPISCOPATUS

Nempe : de notione officii episcopalis in genere ; — de potestate Ordinis, — et de potestate Jurisdictionis

ARTICULUS I

DE NOTIONE OFFICII EPISCOPALIS

586. **I. Definitio nominis.** — Episcopi nomen (ἐπίσκοπος) *inspectorem* significat, et munus designat Antistitis cujus est populi sibi commissi moribus invigilare.

Unde S. Augustinus : « Altior in Ecclesia locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant et tanquam custodiant populum. » — *Enarrat. in psalm. 126.*

Et idem S. Augustinus : « Episcopatus, ait, nomen est *operis* non honoris.... Episcopos enim latine *superintendentes* possumus dicere, ut intelligat non se esse Episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. » — *Can. Qui episcopatum, 11, caus. 8, quæst. 1.*

a) Ideo Episcopi « observantiam legum ecclesiasticarum » *urgere* debent, et *advigilare* « ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, præsertim circa administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, cultum Dei et Sanctorum, prædicationem verbi Dei, sacras indulgentias, implementum piarum voluntatum ;

b) » Curentque ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur, ut fidelibus, præcipue pueris ac rudibus, pabulum doctrinæ christianæ præbeatur, ut in scholis puerorum ac juvenum institutio secundum catholicæ religionis principia tradatur ». — *Cod., c. 336. — De his singillatim suo loco.*

587. **II. Divinitus institutam esse hierarchiam episcopalem,** nemo catholicus negabit.

« Si quis, *ait concilium Tridentinum,* dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam *divina ordinatione institutam,* quæ constat ex *Episcopis, Presbyteris* et *Ministris :* anathema sit. » — *Sess. 23, De Ordine, can. 6.*

Episcopi revera « in locum Apostolorum successerunt » *(Trid., ibid., cap. 4)* ; eosque « Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » *(Act.,* xx, *28).*

Unde « *Ecclesiæ firmissimum dogma est :* Episcopos esse superiores presbyteris, non solum Ordinis potestate, sed etiam jurisdictionis ». — *Ben. XIV, De syn. diœc., lib. 13, cap. 1, n. 2. — Cf. Trid., loc. cit., can. 7.*

588. **III. Ipsam vero naturam officii episcopalis** definire non potest qui rite non intelligit *quo pacto Episcopi sint Apostolorum successores.*

Apostoli, *præter præclara quædam charismata* et singularia dona supernaturalia, veluti miraculorum, linguarum, prophetiæ, infallibilitatis et similia, quibus missionem suam comprobarent, amplissima etiam potestate a Christo donati fuerunt : quam quidem in potestatem *Apostolatus, Sacerdotii* et *Episcopatus* dividere possumus.

a) Ad *Apostolatum* pertinet amplissima potestas, *sine loci ullius limitatione* aut gentis exceptione, fidem ubique

prædicandi, ecclesias fundandi, religionem propagandi, Episcopos constituendi, tum Episcopis a se constitutis, tum eorum subditis, regulas, præcepta legesque præscribendi, et cetera ejus generis agendi, *salvo tamen Petri primatu*, cui Apostoli ipsi, in suæ potestatis usu, subjiciebantur.

Hæc autem potestas Apostolatus *extraordinaria fuit ;* et idcirco, fundatis ordinatisque ecclesiis, tanquam completo opere propter quod concessa fuerat, *cum Apostolis interiit.*

b) *Sacerdotii potestas,* quæ in conficiendo sacrificio et remittendis peccatis versatur, *presbyteros successores habuit ;* nam, « a Domino Salvatore nostro..., Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non peccata dimittendi et retinendi, sacræ Litteræ ostendunt, et catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit ». — *Trid., sess. 23, cap. 1.*

c) Denique, *Episcopatus* totam Ordinis potestatem complectebatur, et simul facultatem peculiares ecclesias regendi ac gubernandi. — In hanc potestatem Episcopi succedunt. — *Soglia, Instit. jur. pub., part. 2, lib. II, cap. 2. — Cf. enc. Leonis XIII, Satis cognitum, 29 jun. 1896, § Neque vero.*

d) Ex quibus intelligitur : ordinem episcopalem, *in Apostolis divinitus esse institutum ;* in Episcopos autem, quatenus Apostolis in episcopatu succedunt, *duplicem potestatem* descendere, tum sacri ministerii, tum spiritualis regiminis, quarum altera potestas *Ordinis,* altera *Jurisdictionis* appellatur. — *Cf. Cod., c. 329, § 1.*

ARTICULUS II

DE POTESTATE ORDINIS

Ex potestate Ordinis, Episcopi : *omnia sacramenta* administrant ; et *sacramentalia,* id est omnes illos S. Liturgiæ ritus qui instituti sunt ad modum sacramentorum et, licet non conferant *ex opere operato* gratiam quam

significant, tamen ad excitandas in fidelibus pias et religiosas dispositiones plurimum valent. — *Santi, De offic. judicis ordin. n. 163.* — Hujus autem potestatis sunt *tres partes* seu species :

589. **I. Prima est earum rerum quæ divina institutione ad Episcopos pertinent,** nimirum *administratio Confirmationis*, et *Ordinum collatio.* — Quod definivit synodus Tridentina : « Si quis dixerit Episcopos non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem : anathema sit. » — *Sess. 23, De Ordine, can. 7.* — *Cf. ibid., cap. 3.*

In his, unus Episcopus altero superior esse non potest, nec summus Pontifex ullo vel simplici Episcopo major est. Omnes proinde, absque ullo discrimine, possunt *valide* ea sacramenta administrare quorum *ordinarii ministri sunt*, quamvis *licitum* potestatis usum non semper habeant, quia ab ecclesiastica auctoritate suspendi etadimi potest.

590. **II. Secunda est earum rerum quæ a Presbytero, tanquam extraordinario ministro, fieri possunt** ex *delegatione* Summi Pontificis, tametsi Episcoporum propria sint institutione divina : nempe administratio *Confirmationis* et *minorum Ordinum* collatio.

Hac quidem delegatione *jus divinum non immutatur ;* sed, potius, *extraordinarius* Sacramenti minister, ex rationabili et urgenti admodum causa, constituitur. Ejusque rei potestatem in Pontifice sitam esse, *ex usu et traditione Ecclesiæ* comprobatur. — *Cf. n. 367 et 607.*

591. **III. Tertia denique est earum rerum quæ, ecclesiastica institutione, solis Episcopis commissa sunt :** ex. gr., Regum et sacrarum Virginum consecratio; Ecclesiarum et altarium dedicatio; benedictio Abbatum; et, generatim, omnis benedictio in qua *sacra unctio* adhibetur.

Hæc omnia, quanquam non divina sed ecclesiastica auctoritate instituta sint, quia tamen, ex jure communi, Ordini Episcopali affixa sunt, idcirco Episcopi nequeunt, absque *speciali indulto*, ea *Presbyteris* demandare. — *Vecchiotti, Instit. can., lib. 2, § 53.* — *Cf. n. 616, sq.*

ARTICULUS III

DE POTESTATE JURISDICTIONIS

592. **I. Jurisdictio singulorum Episcoporum, intra fines ecclesiæ ad quam legitime missi sunt, coercetur,** cum non succedant Apostolis nisi in *peculiarium ecclesiarum* regimen.

a) *Ab ipsis revera Ecclesiæ incunabulis,* receptum est ut singulis ecclesiis singuli Episcopi præficerentur, ita ut certas haberent regendas diœceses, neque potestatem ullam in alienis diœcesibus exercere possent.

Ipse Apostolus ad Titum : « Hujus rei gratia, inquit, reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas *per civitates* presbyteros (nempe *Episcopos* ut patet ex contextu), sicut et ego disposui tibi ». — *Tit.*, I, *5.*

Idem Apostolus, Episcopis Miletum advocatis, nihil aliud inculcat nisi ut attendant particulari gregi ipsis commisso. — *Act.* XX, *28.*

Sic etiam *Petrus* ad Episcopos ait : « Pascite qui *in vobis est* gregem Dei ». — *1 Petr.*, V, *2.*

Unde *sanctus Cyprianus*, factum omnibus traditionis monumentis conspicuum, his verbis testatur : « Singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet » *(ep. 55 ad Cornelium Papam)*. — *Cf. Bouix, De Episc., t. 1, p. 49, sq.*

b) *Nec ratio deerat istius distributionis ;* nam, in tanta Episcoporum multitudine, si unusquisque Episcopus potestatem haberet personis locisque non definitam, magna sane, eademque frequens admodum, *inter plures Episcopos oriretur confusio :* quæ conciliari non potest cum ulla recti regiminis ratione, multoque minus cum eximia catholicæ Ecclesiæ *unitate.*

593. **II. Episcopi non habent illimitatam, aut nemini subordinatam potestatem,** in administratione suæ diœcesis.

a) Nam Summus Pontifex, jure divino, habet sollicitudinem et curam omnium ecclesiarum, potestatemque *ordinariam et immediatam* in *omnes et singulas diœceses ;*

ideoque jurisdictionem Episcoporum *restringere potest :* tum sibi *reservando* graviores causas, nec non dispensationes et collationes beneficiorum ; tum eorum diœceses *dismembrando ;* tum personas et loca *eximendo* ab ipsorum jurisdictione.

b) Hinc, falsum est *id posse Episcopum in sua diœcesi quod potest S. Pontifex in universa Ecclesia ;* nam Summus Pontifex habet plenam simul et supremam jurisdictionem, quæ soli Petro ejusque successoribus commissa est ; dum jurisdictio Episcopi, in propria etiam diœcesi, multiplici ex parte restringitur, sive quoad causas, sive quoad personas.

Nec aliquid potest contra *leges generales* Ecclesiæ, absque Summi legislatoris *expresso* vel *tacito* consensu.

594. **III. Episcopi residentiales sunt tamen « ordinarii et immediati pastores in diœcesibus sibi commissis »;** neque ex dictis inferas Episcopos, non esse nisi *Romani Pontificis vicarios. — Cod., c. 334, § 1.*

Cum enim hierarchia episcopalis fuerit *divinitus instituta,* voluit eo ipso Christus, illudque ad divinam Ecclesiæ constitutionem pertinet, ut variæ Ecclesiæ partes Episcopis tanquam *ordinariis Pastoribus* regendæ committantur, non autem tanquam Papæ delegatis aut vicariis ; quod confirmatur ex tota Ecclesiæ *traditione* et praxi. — *Cf. conc. Vatic. const. Pastor æternus, cap. 3.*

Unde, non posset S. Pontifex *omnes* simul totius orbis Christiani Episcopos deponere, et *diœceses regere per vicarios,* ita ut jam non sint in Ecclesia Episcopi qui, tanquam Ordinarii, et proprio nomine, ecclesias regant. — Neque posset jurisdictionem Episcoporum per reservationes ita *restringere* ut ad nihilum fere redigatur. — *Cf. num. 62, c.*

a) *Forma* igitur *ordinaria* regiminis episcopalis in Ecclesia est : ut divisio seu *circumscriptio fiat diœcesium,* unicuique autem diœcesi constituatur Episcopus, qui, *suo nomine, suoque jure,* ecclesiam illam regat et administret, non autem titulo precario, mera delegatione Summi Pontificis.

Imo, hujus ecclesiæ ipse habetur ut *sponsus*, cujus spirituale conjugium est fortius vinculo carnali. — *Cap. 2, De translatione Episcopi.*

Nec inde regiminis ecclesiastici pertimescenda est confusio. Equidem « inconveniens est quod duo *æqualiter* super eumdem gregem constituantur ; sed quod duo, quorum *unus alio principalior est*, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens ; et, secundum hoc, super eamdem plebem immediate sunt et Sacerdos parochialis, et Episcopus, et Papa ». — *S. Th., in IV Sent., dist. 17, art. 3.*

b) *Aliquando tamen*, justis de causis, Romanus Pontifex regionem vel diœcesim regendam Episcopo committere potest *ut delegato Sedis Apostolicæ.*

In *Missionum* regionibus, solet Apostolica Sedes, non ordinarios Episcopos constituere, sed Episcopos qui eos regant *tanquam ejusdem Sedis Vicarii ;* vel etiam simplices presbyteros iisdem regionibus præficit, qui ideo vocantur *Præfecti Apostolici.* — *Cf. n. 561.*

CAPUT II

DE INSTITUTIONE CANONICA EPISCOPORUM

Cum nemo, nisi legitime missus seu canonice institutus, obire valeat munia ecclesiastica, Episcopi nonnisi a Rom. Pontifice *immediate* vel *mediate* constituendi sunt, qui solus jure proprio Episcopos eligere potest et confirmare.

Aliquando autem Romani Pontifices hac potestate usi non sunt, ita ut *per alios*, a se constitutos, *electionem*, imo *confirmationem*, fieri posse censuerint, quod eorum moderationi et prudentiæ tribuendum est.

Unde, ut ad *varias* disciplinæ ecclesiasticæ formas, nec non ad *hodiernam* Episcopos constituendi normam breviter attendamus, agendum nobis est : de electione, nominatione vel præsentatione Episcoporum ; — de ipsa officii collatione, — et de consecratione episcopali.

ARTICULUS I

DE ELECTIONE ET NOMINATIONE EPISCOPORUM

595. **I. Jure antiquo,** *plebs clero adunata* magnam partem habuit in electione Episcoporum.

a) Unde, S. Leo ad Rusticum Narbonensem scribebat : « Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui, nec a *clericis* sunt electi, nec a *plebibus* expetiti, nec a *provincialibus Episcopis* cum Metropolitani judicio consecrati. » — *Cf. cap. 1, dist. 62.*

Et idem statuerat S. Cœlestinus in epistola ad Episcopos Galliæ : « *Nullus invitis detur Episcopus ;* cleri, plebis et ordinis consensus et desiderium requiratur ». — *Can. 13, dist. 61.*

b) Populus tamen non concurrebat nisi *expetitione* et *voto*, et expetitum a se Episcopum non obtinebat nisi de assensu Episcoporum comprovincialium et Metropolitæ.

Quapropter S. Leo hæc Episcopos admonebat : « *Docendus est populus, non sequendus ;* nosque, si nesciunt, eos quid liceat quidve non liceat commonere, non his consensum præbere debemus ».

Et concilium Nicænum : « Si quis *præter sententiam Metropolitani* fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definit Episcopum esse non oportere ». — *Can. 6.*

c) Hæc electionis forma *utilis* quidem erat ut certius arcerentur indigni, et *facilius dignoscerentur idonei et vulgo probati.*

« Episcopus, ait S. Cyprianus, deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit. » — *Epist. 68.* — *Cf. Tarquini, Instit. jur. pub., lib. 2, n. 17.*

596. **II. Subsequens disciplina.** — Cum vero, successu temporis, plebs inter se divisa et dissentiens in factiones plerumque erumperet, et inordinata confusio ex abusu potestatis sæcularis oriretur *(cf. can. 1, dist. 63)*,

a) *Jure Decretalium* electio Episcoporum ad selectiores cleri, nempe ad *Canonicos Ecclesiæ vacantis,* delata est ; eorum vero confirmatio, ad Metropolitam.

b) Capitula autem non satis præcaverunt *factiones* et *simoniacas electiones ;* et tot abusus obrepserant ex æmulatione et turbis eligentium et eligendorum, ut, jam ab initio sæculi XIV, *reservationes* favore Sedis Apostolicæ factæ sint, dempto Capitulis jure eligendi.

Clemens V, an. 1305, sibi reservavit electionem ad epicpopales ecclesias quæ apud Romanam Sedem vacavissent. — Quod et præstiterunt Joannes XXII et Benedictus XII. — *Cf. cap. 3, 5 et 13. De præbendis, Extravag. commun.*

Demum, ab aliis successoribus Pontificibus reservatæ sunt *omnes episcopales* et superiores Sedes, quocumque modo vacaturæ, sive in Curia, sive extra Curiam. — *Reg. 2 et 3 Cancellariæ.*

c) Hæc regula *omnimodæ reservationis,* seu concessionis episcopatuum per liberam dispositionem Sedis Apostolicæ, *non diu mansit.* — Exigentibus enim temporum circumstantiis, Apostolica Sedes, quieti reipublicæ Christianæ et bono fidelium semper intenta, satius duxit Apostolicis *indultis,* aut *Concordatis,* privilegium *nominandi* seu *præsentandi* Episcopos pluribus catholicis Regibus ac Guberniis tribuere.

Unde, *historice* etiam constat hoc jus præsentationis *ex concessione Ecclesiæ* esse repetendum, non vero Principum esse jus nativum, nec « laicam auctoritatem habere per se jus præsentandi Episcopos ». — *Syll., err. 50.*

597. **III. Hodie** « Episcopos *libere* nominat *Romanus Pontifex* », salvis *privilegiis* a Sede Apostolica recognitis, et *conventionibus* initis cum Guberniis civilibus. — *Cod., can. 329, § 2.*

Pius X, constitutione « *Romanis Pontificibus* », 17 dec. 1903, normas præscripsit quibus S. Congregatio Consistorialis in eligendis Episcopis inhærere debeat.

a) Si cui *collegio* concessum sit jus eligendi Episcopum, « ad validam electionem requiritur numerus suffragiorum absolute major, demptis suffragiis nullis, firmo peculiari jure quod majorem suffragiorum numerum exigat ». — *Cod., c. 329, § 3, et c. 321.*

b) In quibusdam regionibus *Episcopi provinciæ* candidatos *proponunt*, inter quos, vacante aliqua episcopali sede, Summus Pontifex libere eligat.

Novam normam seu legem in proponendis ad episcopale officium, in Fœderatis *Americæ* Statibus, S. Cong. Consistorialis promulgavit decreto diei 25 jul. 1916 *(Acta, VIII, 400)*.

Item decretum edidit, die 19 mart. 1919, « circa proponendos ad episcopale ministerium in *Canadensi* Dominio et Terræ Novæ insulis ». — *Cf. Acta, XI, 124.*

c) Iis qui sub secreto S. Officii de *informationibus* requiruntur circa personas ad episcopatum promovendas « non licet delatum sibi munus, qualibet de causa, etiam ad tutiores notitias hauriendas, aliis *revelare* ;

» Nec, reticita commissione de qua supra, ab aliis notitias requirere quoties adsit *periculum*, etiam remotum, revelationis secreti ;

» Nec datas informationes, quacumque de causa, alteri etiam secretissimo et intimo, vel in sacramentali confessione revelare ».

Et qui talia egerit, « *excommunicatione* plectitur a qua nemo nisi ipse Romanus Pontifex, excluso etiam Em. Cardinali majori Pœnitentiario, absolvere potest ; aliisque pœnis ferendæ sententiæ quæ contra violatores secreti S. Officii a jure statutæ sunt ».

Attamen « qui ignarus certæ notitiæ, eam ab alio vel aliis tutissime haurire valeat *absque ullo periculo* violationis secreti, potest ex se, absque S. Congregationis licentia, hanc personam vel has personas interrogare.

» Et, si hoc fecerit, tenetur personas a quibus notitias hausit, in suis informationibus S. Congregationi manifestare ». — *S. C. Consist., 25 apr. 1917 (Acta, IX, 232).*

598. **IV. De idoneitate promovendorum constare debet** « secundum modum a Sede Apostolica determinatum ». — *Cod., c. 330.*

a) « Ut quis *idoneus* habeatur, debet esse :

» 1° Natus ex *legitimo matrimonio*, non autem legitimatus etiam per subsequens matrimonium ;

» 2° Annos natus saltem triginta ;

» 3° A quinquennio saltem in sacro *presbyteratus* ordine constitutus ;

» 4° Bonis moribus, pietate, animarum zelo, prudentia, ceterisque dotibus præditus quæ ipsum *aptum* efficiant ad gubernandam diœcesim de qua agitur ;

» 5° Laurea *doctoris* vel saltem *licentia* in sacra theologia aut jure canonico potitus in athenæo aliquo vel in Instituto studiorum a Sancta Sede probatis, vel saltem earundem disciplinarum *vere peritus ;*

» Quod si ad *religionem* aliquam pertineat, a suis Superioribus majoribus vel similem titulum vel saltem veræ peritiæ testimonium habeat. » — *Cod., c. 331,* § *1.*

b) « Etiam *electus*, præsentatus vel quoquo modo ab illis *designatus* qui privilegio a Sancta Sede concesso eligendi, præsentandi seu designandi gaudent, debet memoratis qualitatibus pollere. » — *Ibid.,* § *2.*

c) « Judicare num quis idoneus sit, ad *Apostolicam Sedem* unice pertinet. » — *Ibid.,* § *3.*

ARTICULUS II

DE IPSA COLLATIONE OFFICII EPISCOPALIS

« Episcopalis jurisdictionis conferendæ potestas, ex *nova disciplina* a pluribus sæculis jam recepta, a conciliis generalibus et ab ipsis concordatis firmata, ne ad Metropolitanos quidem ullo modo potest attinere, utpote quæ, illuc reversa unde discesserat, unice residet penes Apostolicam Sedem, ita ut *hodie Romanus Pontifex*, ex muneris sui officio, Pastores *singulis ecclesiis* præficiat. » — *Pii VI Brev. Charitas, 12 apr. 1791. — Igitur :*

599. **I.** « **Cuilibet ad episcopatum promovendo,** etiam electo, præsentato vel designato a civili quoque Gubernio, *necessaria* est *canonica provisio* seu *institutio,* qua Episcopus vacantis diœcesis constituitur, quæque ab uno Romano Pontifice datur. » — *Cod., c. 332.*

a) « Ante canonicam institutionem, seu provisionem, candidatus, præter fidei professionem, *jusjurandum* fidelitatis erga Sanctam Sedem edat, secundum formulam ab Apostolica Sede probatam. » — *Ibid., § 2.* — *Cf. Pontif. Rom., tit. De consec. electi in Episcopum.*

b) In Gallia, juxta Concordatum anni 1801, Episcopi etiam coram *Principe civili juramentum fidelitatis* emittere debebant, antequam munus suum gerendum susciperent. — *Cf. art. 6 hujus Concordati.*

Eadem formula juramenti habetur in omnibus fere pactis inter S. Sedem et Principes laicos celebratis.

Cum concors Patrum et Ecclesiæ doctrina sit illi debitam esse fidelitatem et subjectionem qui, pro temporum vicissitudine, gubernium moderatur, profecto sequitur, ait *Vecchiotti,* juramentum fidelitatis *sub Gubernio invasore actu imperante licitum prorsus esse ;* siquidem, non præstatur eo fine ut legitimus Princeps exauctoretur, et iniquus invasor recognoscatur, sed ut societatis ruina impediatur et ordo publicus conservetur. — *Instit. can., lib. 2, § 106.*

600. **II.** « **Nisi prius diœcesis possessionem canonice ceperint** », Episcopi, neque per se, neque per alios, nec ullo sub titulo, in ejusdem diœcesis regimen sese ingerere possunt. — *Cod., c. 334, § 2.*

« Sed si, *ante* suam ad episcopatum designationem, Vicarii capitulares, Officiales, aut Œconomi fuerint renuntiati, hæc officia etiam post designationem retinere et exercere possunt. » — *Ibid.*

601. **III.** « **Canonicam diœcesis possessionem capiunt Episcopi residentiales** simul ac in ipsa diœcesi, vel *per se* vel per *procuratorem,* apostolicas litteras Capitulo ecclesiæ cathedralis ostenderint, præsente secretario Capituli vel Cancellario Curiæ, qui rem in acta referat. » — *Cod., c. 334, § 3.*

Post captam possessionem « *jus* ipsis et *officium* est gubernandi diœcesim, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, cum potestate legislativa, judiciaria, coactiva, ad normam sacrorum canonum exercenda ». — *Cod., can. 335, § 1.*

ARTICULUS III

DE EPISCOPALI CONSECRATIONE

602. **I.** « **Intra tres menses a receptis Apostolicis litteris,** nisi legitimo impedimento prohibeatur », promotus ad episcopatum debet consecrationem suscipere, et intra quatuor menses ad suam diœcesim pergere. — *Cod., c. 333.*

« Si quis ad episcopatum promotus, intra tres menses consecrationem *suscipere neglexerit*, fructus non facit suos, fabricæ ecclesiæ cathedralis applicandos ; et, si postea in eadem negligentia per totidem menses perstiterit, episcopatu privatus ipso jure manet. » — *Cod., c. 2398.*

603. **II.** « **Consecratio episcopalis reservatur Romano Pontifici,** ita ut nemini liceat quemquam consecrare Episcopum nisi prius constet de Pontificio mandato. » — *Cod., c. 953.*

a) *Jure Decretalium,* quando confirmatio suffraganeorum ad *Metropolitam* pertinebat, ad hunc quoque spectabat eorumdem consecratio.

b) Ex quo autem Sedes Apostolica Episcopatuum provisiones sibi reservavit, simul eidem Sedi Apostolicæ reservata fuit consecrandi facultas. — *Cf. Bened. XIV constit. In postremo, 20 oct. 1756.*

Ideo consecrator ante omnia quærit : « *Habetis mandatum Apostolicum* ? »

604. **III. Mandatum apostolicum,** si consecrandus sit *extra Urbem,* ad eum mittitur, ut suscipiat consecrationem a quocumque catholico Antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habente. — *Cf. cit. constit. Ben. XIV, § 16.*

Si vero in Urbe sit, facultas ei datur eligendi consecratorem : vel unum ex Cardinalibus episcopali charactere insignitum, aut aliquem ex Patriarchis majoribus plerumque in Urbe residentibus ; et, si nemo ex istis acceptet, fit Episcopo consecrando facultas adeundi *quemcumque* Archiepiscopum vel Episcopum. — *Ibid.*

a) « Episcopus aliquem consecrans in Episcopum, Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit *sine apostolico mandato*, ipso jure *suspensi* sunt, donec Sedes Apostolica eos dispensaverit. » — *Cod., c. 2370.*

b) « Episcopus consecrator debet alios *duos Episcopos* adhibere qui sibi in consecratione *assistant*, nisi hac super re a Sede Apostolica dispensatum fuerit. » — *Cod., can. 954. — Cf. Ben. XIV, De syn., lib. XIII, c. 13, n. 10.*

Episcopis *Americæ latinæ* indultum est ut, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, accitis ac assistentibus duobus vel tribus *presbyteris* in ecclesiastica dignitate constitutis, vel cathedralis ecclesiæ *Canonicis*, consecrationis munus accipere valeant. — *Cf. Leonis XIII litt. Trans Oceanum, 18 apr. 1897.*

c) « Die dominico vel natalitio Apostolorum » consecratio episcopalis conferri debet, intra Missarum solemnia. — *Cod., c. 1006*, § *1.* — *Cf. Pontif. Rom., tit. De consecr. electi in Episcopum.*

Optat concilium Tridentinum ut, si consecratio extra Curiam Romanam fiat, *in ecclesia ad quam promoti fuerint* Episcopi, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur. — *Trid., sess. 23, cap. 2, De ref.*

605. **IV. Consecrationis effectus** est *character episcopalis*, vi cujus, præter divinam gratiam ad Episcopatus munia rite obeunda, consecratus accipit *omnem Ordinis potestatem* et *plenitudinem sacerdotii* ; deinde vero, spirituale conjugium cum ecclesia cui præficitur, « *ratum* in confirmatione, in consecratione intelligitur *consummatum* » *(cap. Licet, De translat. Episc.)* ; et vocatur absolute Episcopus, qui prius vocabatur Episcopus electus.

CAPUT III

DE EPISCOPORUM JURIBUS ET OFFICIIS QUÆ POTESTATI ORDINIS CONGRUUNT

Nempe : de juribus et officiis Episcoporum quoad sacramenta Ordinis et Confirmationis ; — et quoad sacramentalia.

ARTICULUS I

DE POTESTATE ORDINANDI

« *Summa hæc esse videtur Episcoporum gloria,* quod patres in populo christiano, in sacramento Ordinationis, generent. Singularis eorum hæc prærogativa, quod non tantum *filios* sicut presbyteri, verum etiam *patres* generare possunt ! » — *S. Epiph., ap. Lucidi, op. cit., c. 2, num. 62.*

Porro, de legitimo sacræ Ordinationis *Ministro*, nec non de requisitis ad *validam* et *licitam* Ordinationem, egimus in Tractatu *De clericis*, *n. 366*, *sq.*

ARTICULUS II

DE POTESTATE CONFIRMANDI

606. **I. Ordinarium ministrum** sacramenti Confirmationis esse *solum Episcopum*, definitum est a *concilio Constantiensi ;* ab *Eugenio IV*, in decreto instructionis ad Armenos ; atque a *concilio Tridentino, sess. VII, can. 3 :* « Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem presbyterum, anathema sit. » — *Cf. Cod., can. 782, § 1.*

607. **II.** « **Extraordinarius minister** est presbyter cui, vel jure communi vel peculiari Sedis Apostolicæ indulto ea facultas concessa sit. » — *Cod., c. 782, § 2.*

Equidem, concilium Tridentinum definivit sanctæ Confirmationis *ordinarium* ministrum esse solum Episcopum. Sed sensus hujus

canonis est : solum Episcopum habere potestatem *completam* et *expeditam* ad collationem hujus sacramenti ; in charactere autem ordinis presbyteralis, inesse tantum capacitatem et habilitatem ad obtinendam delegationem. — *Cf. n. 590.*

a) « Hac facultate *ipso jure* gaudent, præter S. R. E. Cardinales, Abbas vel Prælatus *nullius*, Vicarius et Præfectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt nisi intra fines sui territorii, et durante munere tantum. » — *Cod., c. 782, § 3.*

b) Item hodie aliquando conceditur Episcopis facultas *subdelegandi* unum vel alterum sacerdotem, quando non possunt ipsi omnibus Christifidelibus sacramentum *Confirmationis* administrare. — *Ex voto S. C. S. Off., 7 mart. 1903, quod S. P. Leo XIII seq. die approbavit.*

c) *In Ecclesia Græca*, valet Confirmatio a simplici presbytero collata, licet is nullam a Romano Pontifice expressam delegationem obtinuerit.

Antiqua enim consuetudine receptum est, ut Græcorum presbyteri baptizatos infantes statim sacro chrismate inungerent. Unde, *implicite* Sedes Apostolica presbyteros ad id muneris delegare censenda est. — *Cf. Bened. XIV, De syn. diœc., lib. 7, cap. 9.*

Sed « nefas est presbyteris ritus *orientalis* qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eamdem ministrare infantibus *latini* ritus ». — *Cod., c. 782, § 5.*

d) « Presbyter qui, nec a jure, nec ex Romani Pontificis concessione facultatem habens, sacramentum confirmationis *ministrare* ausus fuerit, suspendatur ;

» Si vero facultatis sibi factæ *limites* prætergredi præsumpserit, eadem facultate eo ipso privatus exsistat. » — *Cod., c. 2365.*

Porro, « presbyter latini ritus cui, vi indulti, hæc facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit ». — *Cod., c. 782, § 4.*

608. **III. Quod spectat ad ritus adhibendos :**

a) « Sacramentum confirmationis conferri debet per *manus impositionem*, cum *unctione chrismatis* in fronte,

et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis præscripta. » — *Cod., c. 780.*

b) *Chrisma,* in sacramento confirmationis adhibendum « debet esse ab Episcopo *consecratum,* etiamsi sacramentum a presbytero, ex jure vel ex apostolico indulto, ministretur ». — *Cod., c. 781,* § *1.*

Benedictus XIV animadvertit non aliter consuevisse a Summis Pontificibus simplices sacerdotes insigniri potestate administrandi sacramentum Confirmationis, nisi sub *expressa conditione* adhibendi chrisma ab Episcopo consecratum.

Posse tamen *et hanc alteram potestatem concedi,* valde probabile est ; etenim, si Summus Pontifex, suprema sua auctoritate, potest simplici sacerdoti munus demandare conficiendi sacramentum Confirmationis, de se ceteroquin Ordini episcopali adnexum, eo magis poterit facultatem eidem elargiri præparandi ejusdem sacramenti *materiam.* — *Ben. XIV, loc. cit., cap. 8, n. 1.*

c) « *Unctio* ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita. » — *Cod., can. 781,* § *2.*

d) « Confirmandi, si *plures* sint, adsint primæ manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant. » — *Cod., c. 789.*

609. **IV.** « **Episcopus obligatione tenetur sacramentum hoc subditis rite et rationabiliter petentibus conferendi,** præsertim tempore visitationis diœcesis. » — *Cod., can. 785,* § *1.*

a) « Eadem obligatione tenetur presbyter, privilegio apostolico donatus, erga illos quorum in favorem est concessa facultas. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Ordinarius, legitima causa *impeditus,* aut potestate confirmandi carens, debet, quoad fieri possit, saltem intra quodlibet quinquennium *providere* ut suis subditis hoc sacramentum administretur. » — *Ibid.,* § *3.*

c) « Si graviter *neglexerit* sacramentum confirmationis suis subditis per se vel per alium ministrare, servetur præscriptum can. 274, n. 4 », ad cujus normam

Metropolita vigilare debet ut « disciplina ecclesiastica accurate servetur », ac de abusibus « Romanum Pontificem certiorem facere ». — *Cod., c. 785, § 4.*

610. **V. Etiam extraneis** hoc sacramentum legitime ministrat Episcopus *in sua diœcesi,* « nisi *obstet* expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio ». — *Cod., c. 783, § 1.*

a) « In *aliena diœcesi* indiget licentia Ordinarii loci, saltem rationabiliter præsumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus Confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra. » — *Ibid., § 2.*

b) « *Presbytero* quoque licet, si Apostolico *locali privilegio* sit munitus, in designato sibi territorio confirmare etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint. » — *Cod., c. 784.*

611. **VI.** « **Ad septimum circiter ætatis annum** » convenienter *differtur* sacramenti Confirmationis administratio in Ecclesia latina. — *Cod., c. 788.*

a) « Neque enim Confirmatio *ad salutis necessitatem* instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset : ad quod sane pugnæ genus, pueros qui adhuc usu rationis carent nemo aptos esse judicarit. » — *Catech. Rom., De sacramento Confirmationis, n. 15.*

Unde, *in Ecclesia Latina,* « consultissimis Pontificum decretis cautum est, ut renatis fonte Baptismatis conferretur sacramentum Confirmationis *in ea solum ætate* in qua fideles intelligerent tantum inter se differre Baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento ». — *Ben. XIV const. Eo quamvis, an. 1745.*

b) « Nihilominus, etiam *antea* conferri potest si infans in *mortis periculo* sit constitutus, vel ministro id expedire ob *justas et graves causas* videatur. » — *Cod., can. 788.*

612. **VII.** « **Ut quis licite et fructuose confirmetur,** debet esse in statu gratiæ constitutus, et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus. » — *Cod., c. 786.*

a) « Aquis baptismi non ablutus *valide* confirmari nequit. » — *Ibid.*

b) « Quanquam hoc sacramentum non est de necessitate *medii* ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud *negligere ;* imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant. » — *Cod., c. 787.* — *Cf. Bened. XIV constit. Etsi pastoralis, 26 maii 1742.*

613. **VIII. De tempore et loco Confirmationis conferendæ.**

a) Hoc sacramentum « quovis tempore conferri potest ; maxime autem decet illud administrari in hebdomada Pentecostes ». — *Cod., c. 790.*

b) « Licet proprius confirmationis administrandæ locus *ecclesia* sit, ex causa tamen quam minister justam ac rationabilem judicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio *decenti loco* conferri. » — *Cod., c. 791.*

c) « Episcopo jus est intra fines suæ diœcesis confirmationem administrandi in locis quoque *exemptis.* » — *Cod., c. 792.*

d) Quando *minus sollemniter*, ex. gr. privatis in domibus, pueris ægrotantibus conferenda est, vel etiam adultis qui ad ecclesiam, legitima ex causa, accedere nequeunt, potest administrari sine ministro, adhibita tantum stola. — *S. Off., 12 feb. 1851.*

614. **IX. Patrinus in confirmatione,** ut in baptismo, ex vetustissimo Ecclesiæ more, adhibendus est « si haberi possit ». — *Cod., c. 793.*

« Hoc enim sacramentum, *ait S. Thomas*, exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore, in his quæ pertinent ad conservationem vitæ, ita *illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus* a quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis. Et, propter hoc, etiam ille qui accipit hoc sacramentum, *ab alio tenetur*, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. » — *Loc. cit., q. 72, art. 10.*

a) « Patrinus *unum* tantum confirmandum aut *duos* præsentet, nisi aliud justa de causa ministro videatur. » — *Cod., c. 794, § 1.*

« Unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus. » — *Ibid.*, § *2.*

b) « Ut quis sit patrinus, *oportet :*

» 1° Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus, et intentionem habeat id munus gerendi. » — *Cod., can. 795, § 1.*

« Verum, quia contingere potest ut *in locis Missionum* nullus adsit qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse possunt. » — *S. C. Propag., 4 maii 1774.*

« 2° Nulli *hæreticæ* aut *schismaticæ* sectæ sit adscriptus, nec ulla ex *pœnis* de quibus in can. 765, n. 2 *(cf. n. 933)* per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam notatus;

» 3° Non sit pater, mater, conjux confirmandi ;

» 4° A confirmando ejusve parentibus vel tutoribus, vel, si hi desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit *designatus ;*

» 5° Confirmandum, in ipso Confirmationis actu, per se vel per procuratorem physice *tangat* ». — *Cod., c. 795.*

c) « Ut quis *licite* ad patrini munus admittatur, oportet :

» 1° Sit *alius a patrino baptismi,* nisi rationabilis causa, judicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur ;

» 2° Sit *ejusdem sexus* ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur ;

» 3° Serventur præterea præscripta can. 766 », ubi de requisitis in *baptismi* patrino. — *Cod. c., 796.* — *Cf. n. 934.*

d) « Ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum *cognatio spiritualis,* ex qua patrinus *obligatione* tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi ejusque christianam educationem curandi. » — *Cod., c. 797.*

Hæc tamen, ex statutis in novo Codice, *matrimonium* non irritat inter patrinum et ipsum confirmatum aut ejus parentes. — *Cf. n. 1033.*

615. **X. De collatæ Confirmationis adnotatione et probatione.**

a) « Nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum confirmationis, parochus *inscribat* in peculiari libro, præter adnotationem in libro baptizatorum de qua in can. 470, § 2. » — *Cod., c. 798.* — *Cf. n. 1134, b.*

b) « Si *proprius* confirmati parochus præsens non fuerit, de collata confirmatione minister, vel per se ipse vel per alium, quamprimum eundem *certiorem* faciat. » — *Cod., c. 799.*

c) « Ad collatam confirmationem *probandam*, modo nemini fiat præjudicium, satis est *unus testis* omni exceptione major, vel ipsius confirmati *jusjurandum*, nisi confirmatus fuerit in infantili ætate. » — *Cod., c. 800.*

ARTICULUS III

DE POTESTATE EPISCOPI QUOAD SACRAMENTALIA

616. **I.** « **Sacramentalia sunt** res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam *Sacramentorum imitationem*, uti solet ad obtinendas, ex sua *impetratione*, effectus præsertim spirituales. » — *Cod., c. 1144.*

a) « Nova sacramentalia *constituere* aut recepta authentice *interpretari*, ex eisdem aliqua *abolere* aut *mutare*, sola potest Sedes Apostolica. » — *Cod., c. 1145.*

b) « Benedictiones, imprimis impertiendæ *catholicis*, dari quoque possunt *Catechumenis*, imo, nisi obstet Ecclesiæ prohibitio, etiam *acatholicis*, ad obtinendum fidei lumen, vel, una cum illo, corporis sanitatem. » — *Cod., can. 1149.*

c) « Res consecratæ, vel benedictæ constitutiva benedictione, *reverenter tractentur*, neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sint. » — *Cod., c. 1150.*

617. **II.** « **Legitimus sacramentalium minister** est clericus cui apta ad id potestas *collata sit*, quique a com-

petente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eandem exercere. » — *Cod., c. 1146.*

a) *Consecrationes* nemo qui charactere *episcopali* careat *valide* peragere potest « nisi vel jure vel Apostolico indulto id ei permittatur ». — *Cod., c. 1147, § 1.*

b) *Benedictiones* autem impertire potest quilibet *presbyter*, « exceptis iis quæ Romano Pontifici aut Episcopis aliisve *reserventur* ». — *Ibid., § 2.*

Benedictio reservata quæ a presbytero detur sine necessaria licentia « *illicita* est, sed *valida*, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit ». — *Ibid., 3.*

« *Diaconi* et *lectores* illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt quæ ipsis expresse a jure permittuntur. » — *Ibid., § 4.*

c) « In Sacramentalibus conficiendis, seu administrandis, accurate serventur ritus ab Ecclesia probati. » — *Cod., c. 1148, § 1.*

« Consecrationes ac benedictiones, sive constitutivæ sive invocativæ, *invalidæ* sunt si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia præscripta. » — *Ibid., § 2.*

618. **III. Exorcismos in obsessos proferre** nemo, potestate exorcizandi præditus, legitime potest « nisi ab *Ordinario* specialem et expressam *licentiam* obtinuerit ». — *Cod., c. 1151, § 1.*

a) « Hæc licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitæ integritate prædito : qui ad exorcismos non procedat nisi postquam *diligenti prudentique investigatione* compererit exorcizandum esse revera a dæmone obsessum. » — *Ibid., § 2.*

b) « Exorcismi a legitimis ministris fieri possunt, non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in *acatholicos* vel excommunicatos. » — *Cod., c. 1152.*

c) « Ministri exorcismorum qui occurrunt in *baptismo* aliisque *consecrationibus* vel *benedictionibus*, sunt iidem qui eorumdem sacrorum rituum legitimi ministri sunt. » — *Cod., c. 1153.*

CAPUT IV

DE EPISCOPORUM AUCTORITATE DOCTRINALI

Videlicet : de Episcopi potestate quoad verbi divini prædicationem ; — censuram et prohibitionem librorum ; — defensionem catholicæ doctrinæ ; — et christianam juventutis institutionem.

ARTICULUS I

DE JURIBUS ET OFFICIIS EPISCOPORUM QUOAD PRÆDICATIONEM

619. **I. Episcopus « præcepto divino » tenetur oves suas verbi divini prædicatione pascere.** — *Trid., sess. 23, cap. 1, De ref.* — *Cf. Matth.*, XXVIII, *19.*

Fides enim ad salutem necessaria est ; et, cum sit « fides *ex auditu,* auditus autem per verbum Christi » *(Rom.,* X, *17)*, omnino prædicari verbum Christi consequitur oportere.

Porro, docendi munus, jure divino, penes Magistros est quos *Spiritus Sanctus posuit* Episcopos regere Ecclesiam Dei *(Act.,* XX, *28).* — *Leonis XIII enc. Sapientiæ christianæ, 10 jan. 1890.* — *Cf. Cod., c. 1327,* § *1.*

a) « Episcopi tenentur officio prædicandi *per se* ipsi Evangelium, nisi legitimo prohibeantur impedimento ;

» Et insuper, præter parochos, debent alios quoque viros idoneos in auxilium *assumere* ad hujusmodi prædicationis munus salubriter exsequendum. » — *Cod., can. 1327,* § *2.* — *Cf. Trid.,* XXIV, *4 ;* V, *2, de ref.*

Quoniam enim Episcopi, « variis distenti curis in suarum gubernatione ecclesiarum, nec semper nec usque quaque ipsi *per se* possunt, necesse est ut *per alios* huic officio satisfaciant. Quare in hoc munere quicumque præter Episcopos versantur, dubitandum non est quin, episcopali fungentes officio, versentur ». — *Ben. XV enc. Humani generis, 15 jun. 1917.* — *Cf. Cod., c. 336,* § *2.*

b) Ideo « Ordinarii loci est omnia in sua diœcesi *edicere* quæ ad populum in christiana doctrina instituendum spectent ;

» Et etiam religiosi *exempti,* quoties non exemptos docent, eadem servare tenentur. » — *Cod., c. 1336.*

c) « Ordinarii locorum jus habent concionandi in *qualibet* sui territorii ecclesia, quamvis exempta. » — *Cod., can. 1343, § 1.*

« Nisi agatur de magnis civitatibus, potest quoque Episcopus prohibere ne in aliis ejusdem loci ecclesiis verba fiant ad fideles *quo tempore* vel concionem ipse habet, vel coram se, ex causa publica atque extraordinaria, convocatis fidelibus, habendam curat. » — *Ibid., § 2.*

620. **II. Sub forma missionum** Episcopus hanc prædicationem proponere potest. Et hoc salutare opus a Romanis Pontificibus multum commendatum est. — *Cf. Pii VI const. Auctorem fidei, 28 aug. 1794, prop. 65 ; et Pii X epist. ad Episcopos Galliæ, 25 maii 1911 (Acta, III, 268).*

a) « Ordinarii advigilent ut, saltem *decimo quoque anno,* sacram quam vocant missionem, ad gregem sibi commissum habendam, Parochi curent. » — *Cod., c. 1349, § 1.*

« Parochus, etiam religiosus, *in his missionibus instituendis* mandatis Ordinarii loci stare debet. » — *Ibid., § 2.*

b) « Ordinarii locorum et parochi *acatholicos,* in suis *diœcesibus* et *parœciis* degentes, commendatos sibi in Domino habeant.

» In *aliis territoriis* universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicæ unice reservatur. » — *Cod., c. 1350.*

c) « Ad amplexandam fidem catholicam nemo *invitus* cogatur. » — *Cod., c. 1351.*

621. **III.** « **Nemini ministerium prædicationis licet exercere nisi a legitimo Superiore missionem receperit,** facultate *peculiariter* data, vel officio collato cui ex sacris canonibus prædicandi munus inhæreat. » — *Cod., c. 1328.* — *Cf. Trid.,* XXIV, *4, de ref. ;* — *Bened. XV enc. Humani generis 15 jun. 1917 ;* — *et S. C. Consist. decret., 28 jun. 1917 (Acta, IX, 328).*

a) *Parochi* igitur, « vi missionis habitæ in eorum

electione, sicut ad confessiones excipiendas habilitantur, ita etiam facultate *concionandi* gaudent, salva quidem lege residentiæ, salvisque conditionibus ceteris quas Ordinarius necessario vel utiliter apponendas censuerit.

» Idem de *Canonico Theologo* dicendum quoad lectiones Scripturæ sacræ. » — *S. C. Consist. decret. cit., n. 3.*

b) « Tum clericis e clero *sæculari*, tum *religiosis non exemptis*, facultatem concionandi pro suo territorio solus concedit loci Ordinarius. » — *Can. 1337.* — *Cf. n. 1130.*

« Quicumque, obligatione petendi facultatem posthabita, sacerdotem quempiam ad concionandum *invitaverit*, itemque sacerdos quilibet qui, tali modo invitatus, scienter *acceptaverit* et concionatus fuerit, puniendi sunt ab Ordinario, pœnis ejus arbitrio statuendis, non exclusa suspensione a divinis. » — *S. C. Consist.*, *decret. cit.*, *n. 8.*

« Facultas prædicandi, quando agitur de concionatore extradiœcesano, *scripto* tribuenda erit, designato etiam loco et genere prædicationis pro quibus concessa fuerit. » — *Ibid.*, *n. 9.*

c) « Si concio habenda sit tantum ad *religiosos exemptos*, aliosve de quibus in can. 514, § 1 *(cf. n. 889, a)*, « facultatem concionandi in religione clericali dat eorum *Superior* secundum constitutiones ; qui in casu potest eam concedere etiam iis qui de clero *sæculari* vel de *alia religione* sunt, dummodo a proprio Ordinario vel Superiore fuerint idonei judicati. » — *Cod., c. 1338,* § *1.*

d) « Si concio habenda sit ad *alios,* vel etiam ad moniales regularibus subjectas, facultatem religiosis quoque exemptis impertit *Ordinarius loci* in quo concio fiet;

» Concionator autem, verba facturus *monialibus exemptis,* licentia Superioris regularis præterea indiget. » — *Ibid.,* § *2.*

e) « Facultatem vero concionandi apud sodales *religionis laicalis,* quamvis exemptæ, dat loci Ordinarius, sed concionator nequit facultate uti sine Superioris religiosi assensu. » — *Ibid.,* § *3.*

f) « Ordinarii locorum *religiosis* qui a proprio Superiore exhibeantur, facultatem concionandi, sine gravi causa *ne*

denegent, concessamque ne *revocent*, præsertim una simul universis domus religiosæ sacerdotibus. » — *Cod., c. 1339, § 1.*

« Concionatoribus religiosis, ut facultate recepta *uti liceat*, opus est præterea sui Superioris licentia. » — *Ibid., § 2.*

622. **IV. Nonnisi idoneis facultas concionandi concedenda est.**

a) Ideo, « graviter onerata eorum conscientia, loci Ordinarius vel Superior religiosus facultatem vel licentiam concionandi cuiquam ne concedant nisi prius constet de ejus bonis moribus et de sufficienti doctrina per *examen* ad normam can. 877, § 1 », scilicet « nisi agatur de sacerdote cujus theologicam doctrinam aliunde compertam habeant ». — *Cod., c. 1340, § 1.*

Etenim, si Episcopus in hoc examine remisse negligenterque se gesserit, « profecto in *re gravissima* deliquerit, et in ejus caput culpa recidet vel errorum quos imperitus prædicator fuderit, vel offensionis malique exempli quod improbus dederit ». — *Ben. XV enc. Humani generis, § Hic vero.*

b) « Medium ordinarium ad *dignoscendam* cujuspiam idoneitatem ad prædicationis officium, præsertim quoad scientiam et quoad actionem, est *examen* a candidato, voce et scripto subeundum coram tribus examinatoribus, qui, arbitrio Ordinarii, possunt seligi, vel inter examinatores synodales, vel etiam inter sacerdotes extraneos, aut etiam e clero regulari.

» Cognita autem idoneitate quoad scientiam et actionem, vel etiam in antecessum, haud minori studio, imo etiam majori, inquiret Ordinarius num idem candidatus pietate, honestate morum et publica æstimatione dignus sit qui verbum Dei evangelizet. » — *S. C. Consist. decret., 28 jun. 1917, n. 14.*

« Pro hujusmodi duplicis examinis exitu, poterit Ordinarius candidatum declarare idoneum, aut *generatim* aut pro *aliqua* solummodo prædicationis specie, ad tempus vel ad experimentum et certis sub conditionibus, aut absolute et non in perpetuum, dando illi *pagellam* prædicationis, ea omnimo ratione qua datur pro confessionibus, vel ei facultatem prædicandi simpliciter denegando. » — *Ibid., n. 15.*

Ordinarius qui censuerit in Domino concionandi facultatem alicui denegare, « sufficit ut idipsum petenti facultatem significet, *quin aliud addat*, soli Deo rationem de sua sententia redditurus ». *Ibid., n. 12.*

c) « Ordinarii diœcesani *Commissionem vigilantiæ* pro prædicatione, unusquisque in sua diœcesi, instituent, quæ iisdem sacerdotibus componi poterit ac commissio pro examine candidatorum. » — *Ibid., n. 32.*

« Quia vero nec Episcopi nec commissio vigilantiæ adesse ubique in diœcesi poterunt : quum agetur de prædicationibus majoris momenti in *locis dissitis*, Ordinarii exigent his desuper a Vicariis Foraneis, vel a parochis, informationes peculiares et tutas, juxta normas superius traditas. » — *Ibid., n. 33.*

d) Si, concessa facultate vel licentia, « loci Ordinarius vel Superior religiosus compererint necessarias dotes in concionatore desiderari, debent eam *revocare ;*

» In *dubio* de doctrina, debent certis argumentis dubitationem excutere, novo etiam examine, si opus fuerit ». — *Cod., c. 1340,* § *2.*

« Ob revocatam concionandi facultatem vel licentiam datur *recursus*, sed non in suspensivo. » — *Ibid.,* § *3.*

e) « Si, quod absit, concionator *errores* aut *scandala* disseminet, servetur præscriptum can. 2317 », ad cujus normam arcendi sunt a ministerio prædicandi verbum Dei, audiendive sacramentales confessiones, etc. *(cf. n. 53)* ;

» Si hæreses, in eum præterea ad normam juris agatur. » — *Cod., c. 1347,* § *3.* — *Cf. Pii X const. Sacr. Antistitum. 1 sept. 1910 (Acta, II, 655) ; et Trid.,* V, *2, de ref.*

f) « *Elogia funebria* nemini recitare fas esto nisi prævio et explicito consensu Ordinarii, qui quidem, antequam consensum præbeat, poterit etiam exigere ut sibi manuscriptum exhibeatur. » — *S. C. Consist. decr. cit., n. 21.*

g) Sacerdos qui a S. Congregatione S. Officii titulo decoratus est *Missionarii Apostolici*, hujusmodi titulo et adnexis in indulto facultatibus non gaudet nisi « sub directione et dependentia Ordinariorum locorum in quibus Missiones per eum fieri contigerit, quibus omnino

parere debet, ac *licentiam* prius cum facultatibus ab eis recipere ». — *S. Offic., 21 apr. 1909 (Acta, I, 465).*

Eodem decreto præfinita sunt quæ ab Apostolica Sede requiruntur ut quis possit præfato titulo insigniri. Itemque determinatæ *facultates* quæ, una cum titulo Missionarii Apostolici, a S. Congregatione S. Officii conceduntur.

623. **V. Solis sacerdotibus vel diaconis fiat concionandi facultas,** « non vero ceteris clericis nisi rationabili de causa, judicio Ordinarii, et in casibus singularibus ». — *Cod., c. 1342, § 1.*

Laici autem omnes, etiam religiosi, « concionari in ecclesia vetantur ». — *Ibid., § 2.*

ARTICULUS II

DE CENSURA ET PROHIBITIONE LIBRORUM

Quoniam Episcopus constituitur in sua ecclesia *custos sanæ doctrinæ*, diligentissime curare debet ut depositum fidei morumque præcepta incorrupte atque integre serventur.

Porro, ut ea removeantur quæ falsis doctrinis favere possunt aut mores corrumpere, « Ecclesiæ jus est exigendi ne libros quos ipsa judicio suo *antea* non *cognoverit*, fideles edant, et a quibusvis *editos* ex justa causa prohibendi ». — *Cod., c. 1384, § 1.* — *Cf. n. 469.*

Quæ in hoc articulo de *libris* præscribuntur « publicationibus diariis, periodicis, ac aliis *editis scriptis quibuslibet* applicentur, nisi aliud constet ». — *Ibid., § 2.*

§ I. DE PRÆVIA CENSURA LIBRORUM

624. **I. Nisi censura ecclesiastica præcesserit, ne edantur, etiam a laicis :**

« 1° Libri *sacrarum Scripturarum*, vel eorundem adnotationes et commentaria ;

» 2° Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, jus canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve hujusmodi *religiosas* ac *morales* disciplinas spectant ;

» Libri ac libelli *precum*, devotionis, vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliique

hujusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur ;

» Ac *generaliter* scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit ;

» 3° *Imagines* sacræ quovis modo imprimendæ, sive preces adjunctas habeant, sive sine illis edantur ». — *Cod., can. 1385,* § *1.* — *Cf. n. 739.*

a) Approbatio textus originalis alicujus operis « neque ejusdem in aliam linguam *translationibus,* neque aliis *editionibus* suffragatur ;

» Quare et translationes et novæ editiones operis approbati nova approbatione communiri debent ». — *Cod., c. 1392,* § *1.*

b) Excerpta e periodicis capita *seorsim edita* « novæ editiones non censentur, nec proinde nova approbatione indigent ». — *Ibid.,* § *2.*

c) Legi satisfacit auctor si, non manuscripta, sed folia jam typis mandata, ante definitivam impressionem *(épreuves)*, pro more etiam Romæ recepto, censuræ ecclesiasticæ subjiciantur, ut, quatenus opus sit, corrigantur. — *Wernz, Jus Decr., t. 3, n. 121.*

625. **II. Licentiam edendi libros et imagines, de quibus supra, dare potest :**

a) « Vel loci Ordinarius proprius *auctoris,* vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines *publici juris* fiant, vel Ordinarius loci in quo *imprimantur,* ita tamen ut, si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario petere auctor nequeat nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia ». — *Cod., c. 1385,* § *2.*

b) « *Religiosi* vero licentiam quoque sui Superioris majoris antea consequi debent. » — *Ibid.,* § *3.*

c) « Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, *in scriptis* concedatur, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis, *imprimenda,* expresso nomine concedentis, itemque loco et tempore concessionis. » — *Cod., c. 1394,* § *1.*

d) « Si vero licentia deneganda videatur, roganti auctori, nisi gravis causā aliud exigat, *rationes* indicentur. » — *Ibid.,* § *2.*

626. **III.** « **Libros quoque qui de rebus profanis tractent** » vetantur clerici *sæculares* sine consensu suorum Ordinariorum, *religiosi* vero sine licentia sui Superioris majoris et Ordinarii loci edere, « et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere, vel eadem moderari ». — *Cod., can. 1386, § 1.*

« In diariis vero, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores *impetere solent*, nec *laici catholici* quidpiam conscribant nisi justa ac rationabili causa suadente, ab Ordinario loci probata. » — *Ibid., § 2.*

627. **IV. Versiones Sacræ Scripturæ in linguam vernaculam** « typis imprimi nequeunt nisi sint a Sede Apostolica probata, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum *adnotationibus* præcipue excerptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus ». — *Cod., c. 1391.*

628. **V.** « **In universis Curiis episcopalibus Censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant.** » — *Cod., can. 1393, § 1.*

a) « Examinatores in suo obeundo officio, omni personarum acceptione deposita, tantummodo *præ oculis habeant* Ecclesiæ dogmata et communem catholicorum doctrinam quæ Conciliorum generalium decretis aut Sedis Apostolicæ constitutionibus seu præscriptionibus atque probatorum doctorum consensu continetur. » — *Ibid., § 2.*

b) « Censores ex utroque clero eligantur, *ætate, eruditione, prudentia* commendati, qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. » — *Ibid., § 3.*

c) « Censor sententiam *scripto* dare debet. Quæ si faverit, Ordinarius potestatem edendi faciat, cui tamen *præponatur censoris judicium*, inscripto ejus nomine.

» Extraordinariis tantum in adjunctis ac perquam raro, prudenti Ordinarii arbitrio, censoris mentio *omitti* poterit. » — *Ibid., § 4.*

d) « Auctoribus censoris nomen pateat nunquam antequam hic *faventem* sententiam ediderit. » — *Ibid., § 5.*

§ II. De prohibitione librorum

629. **I. Jus et officium libros ex justa causa prohibendi** competit « non solum supremæ auctoritati ecclesiasticæ pro *universa Ecclesia,* sed, pro *suis subditis,* Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis ». — *Cod., can. 1395, § 1.*

a) Ab hac prohibitione « datur ad Sanctam Sedem *recursus,* non tamen in suspensivo ». — *Cod., c. 1395, § 2.*

b) « Etiam *Abbas* monasterii sui juris, et *supremus* religionis clericalis exemptæ *Moderator,* cum suo Capitulo vel Consilio, potest libros ex justa causa suis subditis prohibere ;

» Idemque, si periculum sit in mora, possunt *alii Superiores majores,* cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem. » — *Cod., c. 1395, § 3.*

c) Libri ab Apostolica Sede damnati « *ubique* locorum et in quodcunque vertantur *idioma,* prohibiti censeantur ». — *Cod., c. 1396.*

630. **II. « Locorum Ordinarii, per se, aut, ubi opus fuerit, per sacerdotes idoneos, vigilent** in libros qui in proprio territorio *edantur* aut *venales* prostent. » — *Cod., can. 1397, § 4.*

« Libros qui *subtilius examen* exigant, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur, ad *Apostolicæ Sedis* judicium Ordinarii deferant. » — *Ibid., § 5.* — *Cf. Leonis XIII constit. Officiorum ac munerum, 25 jan. 1897, art. 29.*

a) « *Omnium fidelium* est, maxime clericorum et in dignitate ecclesiastica constitutorum, eorumque qui doctrina præcellant, libros quos perniciosos judicaverint, ad locorum Ordinarios aut ad Apostolicam Sedem *deferre ;*

» Id autem *peculiari titulo* pertinet ad Legatos Sanctæ Sedis, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum catholicarum. » — *Cod., c. 1397, § 1.*

b) « Expedit ut, in pravorum librorum denuntiatione, non solum libri inscriptio indicetur, sed etiam, quantum fieri potest, *causæ exponantur* cur liber prohibendus existimetur. » — *Ibid.*, § *2.*

c) « Iis ad quos denuntiatio defertur, sanctum esto denuntiantium nomina *secreta* servare. » — *Ibid.*, § *3.*

d) Episcoporum igitur « officium est *modernistarum* scripta, quæve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita *ne legantur* cavere, si nondum edita prohibere *ne edantur.*

» Item libri omnes, ephemerides, commentaria quævis hujus generis, neve adolescentibus in *Seminariis*, neve auditoribus in *Universitatibus* permittantur : non enim minus hæc nocitura quam quæ contra mores conscripta ; immo etiam magis, quod christianæ vitæ initia vitiant.

» Nec secus judicandum de *quorumdam catholicorum scriptionibus*, hominum ceteroqui non malæ mentis, sed qui, theologicæ disciplinæ expertes, ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur, et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hæ, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, *plus periculi* afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat. » — *Pii X encyc. Pascendi, 8 sept. 1907. — Cf. ejusd. Pontif. motu proprio Præstantia, 18 nov. 1907.*

e) Nihil Episcopos teneat « quod forte libri alicujus auctor ea sit alibi facultate donatus quam vulgo *Imprimatur* appellant : tum quia simulata esse possit, tum quia, vel negligentius data, vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod forte postremum in Religiosorum Ordinibus aliquando evenit.

» Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui in altero loco sint innocentes, nocentes in altero ob rerum complexus esse possunt. » — *Pii X encyc. Pascendi, 8 sept. 1907 ; — encyc. Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910 (Acta, II, 655).*

631. **III. Prohibitio librorum id efficit** « ut liber, sine debita licentia, nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in ullam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit ». — *Cod., c. 1398, § 1.*

Et liber quoquo modo prohibitus « *rursus* in lucem edi nequit nisi, factis correctionibus, *licentiam* is dederit qui librum prohibuerat, ejusve Superior vel successor ». — *Ibid.*, § *2.*

632. **IV. Ipso jure prohibentur :**

a) « Editiones *textus originalis* et *antiquarum versionum* catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab *acatholicis* quibuslibet publicatæ ; itemque ejusdem versiones in *quamvis linguam*, ab iisdem confectæ vel editæ ». — *Cod., c. 1399, n. 1.*

Usus horum librorum « iis dumtaxat permittitur qui *studiis theologicis* vel *biblicis* quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint, neque impugnentur, in eorum prolegomenis aut adnotationibus, catholicæ fidei dogmata ». — *Codic., can. 1400.*

Idemque dicendum est de versionibus Sacræ Scripturæ in *linguam vernaculam*, de quibus supra, n. 627. — *Ibid.*

b) « Libri quorumvis scriptorum *hæresim* vel *schisma* propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes. » — *Cod., c. 1399, n. 2.*

c) « Libri qui religionem aut bonos mores *data opera* impetunt. » — *Ibid., n. 3.*

d) « Libri quorumvis *acatholicorum* qui *ex professo* de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri. » — *Ibid., n. 4.*

Ex professo de religione tractat qui, secundum *scopum principalem*, saltem in *notabili parte* libri, per expositionem et probationes disputat de rebus quæ spectant ad religionem, sive naturalem sive supernaturalem. — *Wernz, Jus decret., tom. 3, n. 111.*

Libri eorumdem auctorum qui ex professo de religione non tractant, sed *obiter* tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec *speciali decreto* proscripti haud fuerint. — *Leonis XIII constit. Officiorum, 25 jan. 1897.*

e) Libri qui, « *non servatis* canonum præscriptionibus » de prævia *censura* aut *approbatione*, editi fuerint, ideoque et « libri qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel qui novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ ». — *Cod., c. 1399, n. 5.*

f) « Libri qui quodlibet ex *catholicis dogmatibus* impugnant vel derident, qui *errores* ab Apostolica Sede

proscriptos tuentur, qui *cultui divino* detrahunt, qui *disciplinam* ecclesiasticam evertere contendunt, et qui, data opera, *ecclesiasticam hierarchiam*, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt. » — *Ibid., n. 6.*

Ecclesiastica hierarchia, nempe *Ordinis* vel *Jurisdictionis*, seu diversi ejus gradus, hic intelliguntur *in se*, non autem in personis particularibus. Idemque dicendum est de statu clericali aut religioso.

Errores ab Apostolica Sede proscripti illi sunt qui *immediate* a Rom. Pontifice, vel *mediante* aliqua Congregatione Romana, speciatim Sac. Congreg. Inquisitionis, damnantur. — *Cf. S. C. S. Off., 13 jan. 1892, ad 2.*

Ideo opera erroribus infecta a *Syllabo* damnatis, prohibita censentur. — *S. C. Ind., 19 maii 1898.*

Idemque dicendum est quoad Syllabum Pii X editum a S. Cong. S. Officii decreto « *Lamentabili* », 3 jul. 1907. — *Cf. n. 53.*

g) « Libri qui cujusvis generis *superstitionem*, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant. » — *Cod., c. 1399, n. 7.*

h) « Libri qui *duellum* vel *suicidium* vel *divortium* licita statuunt, qui de sectis *massonicis*, vel aliis ejusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt. » — *Ibid., n. 8.*

i) « Libri qui res lascivas seu *obscenas* ex professo tractant, narrant aut docent. » — *Ibid., n. 9.*

Quid sit *ex professo tractare*, jam diximus in præcedenti nota. — Porro, ex hac limitatione minime deducendum est alios libros, res obscenas quidem sed non ex professo tractantes, esse omnibus permissos ; manet enim *lex naturalis*, qua non paucis isti quoque libri penitus prohibentur.

Libris de quibus hic agitur non sunt adnumeranda opera *scientifica*, v. gr. de chirurgia, medicina, theologia morali, in quibus de rebus turpibus disseritur pro peritia in arte, ad scopum utilem et honestum. — *Wernz, loc. cit.*

j) « Editiones *librorum liturgicorum* a Sede Apostolica approbatorum, in quibus quidpiam *immutatum* fuerit, ita ut cum authenticis editionibus a Sancta Sede approbatis non congruant. » — *Cod., c. 1399, n. 10.*

k) « Libri quibus divulgantur *indulgentiæ apocryphæ* vel a Sancta Sede proscriptæ aut revocatæ. » — *Ibid., n. 11.*

l) « *Imagines* quoquo modo impressæ Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei, ab Ecclesiæ sensu et decretis alienæ. » — *Ibid., n. 12.*

633. **V. Ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur** « S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis ». — *Cod., c. 1401.*

Libri auctorum, sive antiquorum sive recentiorum, quos *classicos* vocant, licet turpitudinis labe infecti sint, « propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tamen permittuntur quos *officii* aut *magisterii ratio* excusat ; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura *expurgati*, tradendi aut prælegendi erunt ». *Leonis XIII constit. Officiorum.*

634. **VI. Ordinarii licentiam ad libros quod attinet ipso jure vel decreto Sedis Apostolicæ prohibitos :**

a) « Concedere suis subditis valent, pro *singulis* tantum libris, atque in casibus dumtaxat *urgentibus ;*

b) » Quod si *generalem* a Sede Apostolica facultatem impetraverint suis subditis permittendi ut libros proscriptos retineant ac legant, eam nonnisi *cum delectu* et justa ac rationabili causa concedant ». — *Cod., c. 1402, § 1 et 2.*

c) « Licentia a quovis obtenta, nullo modo quis eximitur a prohibitione *juris naturalis* legendi libros qui ipsi proximum spirituale periculum præstant. » — *Cod., can. 1405, § 1.*

635. **VII. Qui facultatem Apostolicam consecuti sint legendi ac retinendi libros prohibitos :**

a) « Nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet a *suis Ordinariis* proscriptos, nisi in Apostolico indulto expressa iisdem facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a *quibuslibet* damnatos ;

b) » Insuper gravi præcepto coguntur libros prohi-

bitos ita *custodiendi* ut hi ad aliorum manus non perveniant ». — *Cod., can. 1403,* § *1 et 2.*

636. **VIII. Librorum venditores,**

a) « Libros *de obscenis* ex professo tractantes ne vendant, commodent, retineant.

b) » Ceteros prohibitos venales ne habeant nisi debitam *licentiam* a Sede Apostolica impetraverint, neve cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint ab emptore *legitime* peti ». — *Cod., c. 1404.*

637. **IX. In excommunicationem, Sedi Apostolicæ speciali modo reservatam, ipso facto incurrunt,** opere publici juris facto :

a) « *Editores* librorum apostatarum, hæreticorum et schismaticorum qui apostasiam, hæresim, schisma propugnant ;

b) » Itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos *defendentes,* aut scienter sine debita licentia *legentes* vel retinentes ». — *Cod., can. 2318,* § *1.*

c) Auctores vero et editores qui, sine debita licentia, « *Sacrarum Scripturarum* libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam ». — *Ibid.,* § *2.*

ARTICULUS III

DE PROPAGATIONE ET DEFENSIONE CATHOLICÆ DOCTRINÆ

638. **I.** « **Scribendis vulgandisque diariis catholicis** naviter æque ac prudenter impendatur opera. » — *Leonis XIII enc. Paternæ providæque, 18 sept. 1899.*

a) « Vix enim, quæ nostra ætas est, aliunde haurit vulgus *opiniones,* sibique fingit *mores,* quam ex quotidianis hisce lectionibus. Interim, ægre est *jacere arma hæc apud bonos,* quæ, impiorum manibus tractata, lenocinio callidissimo, miserrimum fidei et moribus exitum parant.

» Acuendus igitur stilus est, excitandæque litteræ, ut veritati vanitas cedat, et incorruptæ voci rationis atque justitiæ sensim obsequantur præjudicatæ mentes. » — *Ibid.*

b) Ideo plurimum juverit « si *cura ductuque Episcoporum* diaria publicentur, quæ malis venenis undecumque oblatis opportune medeantur, suscepto veritatis, virtutis, Religionisque patronicio ». — *Enc. Pergrata Nobis, 14 sept. 1886. — Cf. enc. Inter multiplices, Pii IX, ad Episcopos Galliæ, 24 aug. 1864 ; plurimas encyclicas Leonis XIII, ad Episcopos universi orbis catholici ; et Pii X epist. ad Episcopos Brasiliæ, 18 dec. 1910 (Acta,* III, *312).*

639. **II. Qui scribendi artem cum studio rei catholicæ conjungunt, constanter meminerint quid ab eis requiratur,** si labores suos volunt esse *fructuosos :*

a) « In scribendo, summa cum cura adhibeant necesse est *moderationem, prudentiam,* maxime eam quæ vel mater vel comes est virtutum reliquarum, *caritatem.* »

Fraternæ caritati contraria est suspicandi levitas, criminandi temeritas. — « Ex quo intelligitur vitiose et injuste facturos qui favent uni parti politicæ, si crimen suspectæ fidei catholicæ aliis inferre non dubitent, hac una de caussa quod sunt ex altera parte, perinde ac catholicæ professionis laus cum his illisve partibus politicis necessitate copuletur. » — *Leonis XIII encyc. Pergrata. — Cf. encyc. Cum multa, 8 dec. 1882,* § *Denique magni ; — enc. Etsi nos, 15 feb. 1882,* § *Deinde vero ; — Pii X enc. Pieni l'animo, 28 jul. 1906 ; etc.*

b) « *Sanctum* sit apud catholicos scriptores *Episcoporum nomen;* quibus, in excelso auctoritatis gradu collocatis, dignus officio ipsorum et munere habendus est honos.

» Neque licere sibi homines privati putent *in ea quæ sacri Pastores pro potestate decreverint, inquirere :* ex quo sane magna perturbatio ordinis consequeretur, et non ferenda confusio. Atque istam reverentiam, quam prætermittere licet nemini, maxime in catholicis auctoribus ephemeridum luculentam esse, et velut expositam ad exemplum, necesse est. » — *Leonis XIII enc. Cognita Nobis, 25 jan. 1882. — Cf. ejusdem epist. ad Em. card. Guibert, Archiep. Parisien., 17 jun. 1885 ; et enc. Sapientiæ christianæ, 10 jan. 1890,* § *Contra non pauci.*

640. **III.** « **Ephemerides et Commentaria quæ a catholicis scribuntur, quoad fieri potest, censorem designatum habeant.**

a) » Hujus officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, opportune perlegere : si quid dictum periculose fuerit, id quamprimum corrigendum injungat. Eadem poro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit. » — *Pii X encyc. Pascendi.*

b) Sed *potestas civilis* divulgationem librorum de libris religiosis aut ecclesiasticis, quæ ab Ecclesia sunt approbata, *prohibere* non potest, nec pro iis præviam *censuram* imponere.

Ecclesia enim catholica *jus* habet *proprium*, et a qualibet humana auctoritate *independens*, religionem christianam scriptis, libris vel foliis propagandi et defendendi. — *Cf. num. 19, sq.*

641. **IV.** « **Nulla (Episcopis) prætermittenda earum rerum est quæ ad integritatem doctrinæ catholicæ in multitudine conservandam,** disciplinamque evangelicam factis, vita, moribus retinendam, valere videantur. » — *Enc. Quod multum, Leonis XIII, 22 aug. 1886.*

Porro, ut efficacius universos confirment ad exercenda officia quibus *actio vitæ christianæ* continetur :

a) « Curare ac providere opus est ut, numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur *societates* quibus maxime propositum sit fidei christianæ virtutumque ceterarum retinere et incitare studia.

» *Tales sunt* consociationes juvenum, opificum ; quæque constitutæ sunt, aut cœtibus catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiæ miserorum levandæ, et tuendæ dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis ; aliaque ex eodem genere complures. » — *Leonis XIII enc. Etsi Nos, 15 feb. 1882. — Cf. enc. ad Episcopos Italiæ, 5 aug. 1898.*

b) « Verum, cum sibi proposita sit rei catholicæ tutela et amplificatio, resque catholica in diœcesibus

singulis ab Episcopo geratur, sponte consequitur *eas Episcopis subesse* et ipsorum auctoritati auspiciisque tribuere plurimum oportere. » — *Leonis XIII enc. Cum multa,* § *Ad ejus.* — *Cf. num. 1136, sq.*

ARTICULUS IV

DE JURIBUS ET OFFICIIS EPISCOPORUM QUOAD CHRISTIANAM JUVENTUTIS INSTITUTIONEM

Omnes qui rem, tum sacram, tum publicam, perturbare sunt conati, omnia nefaria sua consilia in improvidam præsertim *juventutem* decipiendam ac depravandam semper contulerunt.

Ideoque asserunt « societatem domesticam, seu familiam, totam suæ existentiæ rationem *a jure dumtaxat civili* mutuari ; proindeque, ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero, jus institutionis educationisque curandæ ».

Quibus impiis opinionibus machinationibusque in id præcipue intendunt ut salutifera catholicæ *Ecclesiæ doctrina* ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus *eliminetur*, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus vitiisque misere inficiantur ac depraventur. — *Pii IX enc. Quanta cura, 8 dec. 1864.* — Porro,

642. **I. Scholæ non ad Statum primario et exclusivo jure pertinent.**

a) Parentes enim sunt *jure naturali* liberorum suorum *institutores.* — Atqui, scholæ institutæ sunt ad *supplendam* parentum insufficientiam aut incapacitatem. — Ergo magistri, non a Statu, sed *ab ipsis parentibus* mandatum habere debent; scilicet, jus docendi non est munus publicum, sed est *jus privatorum,* quod a Statu violari nequit.

« Videre de suis quemque liberis apud quos instituantur, quos habeant vivendi præceptores, magnopere pertinet ad patriam potestatem. » — *Leonis XIII enc. Affari vos, 8 dec. 1897.*

b) Posset quidem Status *normas quasdam præventivas* constituere quibus idoneitas publice docentium verificetur, cum id bono publico valde expediat ; verum injusta foret exigentia frequentandi scholas publicas.

Et si, ad quædam munia gerenda, aut professiones exercendas, puta medici, advocati, etc., requiratur *instructio quædam specialis* quæ in omnibus non verificatur, nemini dubium esse potest quin auctoritati civili, non modo *jus*, sed et *officium* sit certiorandi se de candidatorum *idoneitate*. Sed, pro declaratione idoneitatis obtinenda, item non potest Status, absque injuria, exigere ut *unice* scholæ publicæ frequententur. — *Cavagnis, Instit. juris publici, lib. 4, num. 139, sq.*

c) Igitur « Ecclesiæ est jus scholas cujusvis disciplinæ, non solum *elementarias* sed etiam *medias* et *superiores*, condendi ». — *Cod., c. 1375.*

d) Instructionem popularem *fovere* potest Auctoritas civilis ; ad eamque filiis procurandam diversis modis parentes allicere.

Si autem *obligatoria* reddatur, cum scholæ privatæ non omnibus præsto sint, oportet ut scholæ publicæ ita sint ordinatæ ut a catholicis frequentari valeant, *servatis* omnibus quæ ab Ecclesia requiruntur.

Imo, si scholæ publicæ habeantur *publico ærario* alitæ, et tamen non satisfaciant requisitis pro scholis catholicorum, Status civilis, *ex justitia distributiva*, tenetur ex eodem publico ærario scholis catholicorum subvenire, quando catholici agnoscuntur tanquam pars Status, prout catholici sunt. — *Cf. Cavagnis, Instit. juris publici, loc. cit., num. 136, sq.*

643. **II. In scholarum institutione nunquam religionis doctrina omittenda est.**

a) Ex dictis enim schola insufficientiam patris supplet ; ideoque illius officia *ex Patris officiis* determinanda sunt. Atqui, pater generavit ens, non simpliciter vivum, sed anima immortali præditum, Deo ut fini ultimo natum ; *ad hunc ergo finem eum informare et præparare debet*, quod absque religione est prorsus impossibile.

b) Igitur « in qualibet schola *elementaria*, pueris, pro eorum ætate, tradenda est institutio religiosa ». — *Cod., c. 1373, § 1.*

In his potissimum scholis « omnes cujusque e populo classis pueri, vel a teneris annis, sanctissimæ nostræ religionis mysteriis ac præ-

ceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem morumque honestatem, et ad religionem civilemque vivendi rationem, accurate formandi ; atque, in iisdem scholis, *religiosa præsertim doctrina* ita *primarium* in institutione et educatione locum habere ac *dominari* debet, ut aliorum cognitiones quibus juventus ibi imbuitur, adventitiæ appareant. » — *Epist. Pii IX ad Archiep. Friburg.*

Etenim « ex puerili institutione pendet, ut plurimum, qua quis ratione sit reliquæ ætatis spatium acturus ». — *Const. Romanos Pontifices, Leonis XIII, 8 id. maii 1881. — Cf. Cod., c. 1372, § 1.*

c) « Juventus quæ *medias* vel *superiores scholas* frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur ; et locorum Ordinarii curent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina præstantes. » — *Cod., c. 1373, § 2.*

644. **III.** « **Religiosa juventutis institutio, in scholis quibuslibet, auctoritati et vigilantiæ Ecclesiæ subjicitur.** » — *Cod., c. 1381, § 1.*

a) Religionis enim doctrinam *sola Ecclesia* a Christo accepit. Ipsa proinde jus habet designandi quæ sint pueris veritates religiosæ tradendæ.

b) Præterea, in *docendis* etiam litteris et scientiis, non unus potest error contra *fidem* et *mores* irrepere ; nulla enim est disciplina quæ non habeat intimam aliquam *connexionem* cum veritatibus revelatis.

Ergo, ut *efficaciter* Ecclesia fidem et mores suorum tueatur, jus habet invigilandi etiam scientiarum profanarum scholis.

c) Merito igitur Pius IX sequentes propositiones damnavit :

« Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, *eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia*, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim. » — *Syll., err. 47.*

« Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat Seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui *auctori-*

tati civili, et ita quidem attribui ut *nullum alii cuicumque auctoritati* recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. » — *Syll., err. 45.*

645. **IV. Quas ob causas « Ordinariis locorum jus et officium est :**

a) » Vigilandi ne, in quibusvis scholis sui territorii, quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat ». — *Cod., c. 1381, § 2.*

b) « Eisdem similiter jus est approbandi religionis magistros et libros ; ac, religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur. » — *Ibid., § 3.*

c) « Sive ipsi per se, sive per alios, possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, etc., in iis quæ religiosam et moralem institutionem spectant, *visitare ;*

» A qua visitatione quorumlibet *religiosorum* scholæ exemptæ non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptæ. » — *Cod., c. 1382.*

646. **V. Nostris quidem temporibus, perniciosissima juventutis instituendæ ratio** infeliciter invecta est, ex se *periculi plena*, ac perquam *adversa rei catholicæ.*

a) Alumni enim, cum propria harum scholarum ratio *excludat doctrinam religionis*, neque fidei rudimenta addiscunt, neque Ecclesiæ instruuntur præceptis, atque adeo *care bunt cognitione homini quam maxime necessaria.*

Enimvero, in ejusmodi scholis, juvenes educantur jam inde a *prima pueritia* ac propemodum a teneris unguiculis, qua ætate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter hærent. Ætas igitur tam flexibilis, si absque religione adolescat, sane ingens malum est. — *Instr. S. Off., ad Episcopos Americæ sept., 24 nov. 1875.* — *Cf. Leonis XIII ep. Quæ conjunctim, 24 maii 1892.*

b) Sed Ecclesia, « integritatis fidei custos et vindex, quæ, delata sibi a Deo conditore suo auctoritate, debet ad sapientiam christianam universas vocare gentes, itemque

sedulo videre quibus excolatur præceptis institutisque juventus quæ in ipsius potestate sit, semper scholas quas appellant *mixtas* vel *neutras* aperte damnavit ». — *Leonis XIII enc. Nobilissima Gallorum, 8 feb. 1884.*

647. **VI. Ideo « pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quæ nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent ».** — *Cod., c. 1374.*

a) « Interest enim quam maxime eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, cum institutione religiosa esse conjunctas. Alteras sejungere ab altera idem est ac reipsa velle ut animi pueriles in officiis erga Deum *in neutram partem moveantur* : quæ disciplina fallax est, et, præsertim in primis puerorum ætatulis, perniciosissima, quod revera *viam atheismi munit, religionis obsepit.* » — *Leonis XIII encyc. cit. ad Episcopos Galliæ.*

Et « ea *deterrima* est omninoque fugienda disciplina quæ, quod quisque malit fide credere, id sine ullo discrimine *omne probet* et *æquo jure habeat*, velut si de Deo rebusque divinis rectene sentias an secus, vera an falsa secteris, nihil intersit ». — *Leonis XIII encyc. Affari vos, 8 dec. 1897. — Cf. Pii X encyc. Editæ sæpe, 26 maii 1910. — Cf. Syll. err. 48.*

b) Præterea, ut alumni tales e Schola aliquando prodeant quales *Patria* desiderat, necesse est ut ad illa principia informentur quibus christiani boni *probique cives* evadere possint.

Atqui, « nulla est *disciplina morum*, digna quidem hoc nomine atque efficax, religione postposita. Nam, omnium officiorum forma et vis ab iis officiis maxime ducitur quæ hominem jungunt jubenti, vetanti, bona malaque sancienti Deo....

» Ergo justitia ratioque postulat ut, non modo cognitionem litterarum alumnis Schola suppeditet, verum etiam eam, quam diximus, *scientiam morum* cum præceptionibus de *Religione nostra* apte conjunctam, sine qua, non fructuosa, sed perniciosa plane omnis futura est institutio. » — *Leonis XIII enc. Affari vos, 8 dec. 1897. — Cf. ejusd. Pontif. enc. Militantis Ecclesiæ, 1 aug. 1897.*

648. **VII.** « **Si catholicis scholæ catholicæ sive elementariæ sive mediæ desint,** curandum præsertim a locorum Ordinariis ut condantur. » — *Cod., c. 1379, § 1.*

a) Oportet enim ut « quacumque possint ope ac opera commissum sibi gregem arceant a *contagione* scholarum publicarum. Est autem ad hoc, omnium consensu, nil tam necessarium quam ut catholici ubique locorum *proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores.* Scholis ergo catholicis, sive condendis ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, ut in institutione ac disciplina scholas publicas adæquent, omni cura prospiciendum est ». — *Instr. S. Off., 24 nov. 1875. — Cf. Leonis XIII, encycl. Spectata fides, 27 nov. 1885 ; Quod multum, 22 aug. 1886 ; Officio sanctissimo, 22 dec. 1887 ; Caritatis studium, 25 nov. 1898 ; Nobilissima Gallorum, etc. ; — et Pii X litt. encyc. Editæ sæpe, 26 maii 1910.*

b) « Itemque, si publicæ studiorum Universitates doctrina sensuque catholico imbutæ non sint, optandum ut in natione vel regione *Universitas catholica* condatur. » — *Cod., c. 1379, § 2.*

c) « *Fideles* ne omittant adjutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas. » — *Ibid., § 3.*

« Sumptus tanto operi necessarii ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportuna oblata occasione, sive *Pastoralibus litteris*, sive *concionibus*, sive *privatis colloquiis*, serio necesse est ut ipsi commonefiant sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura impensaque scholis catholicis providerint. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter catholicos ceteris præstant divitiis ac auctoritate apud populum, quique comitiis ferendis legibus sunt adscripti. » — *Instr. S. Offic., 24 nov. 1875.*

d) Et « valde opportunum fuerit, in unaquaque diœcesi *Inspectores* scholarum, et *diœcesanum*, et *decanales*, constitui, quibuscum quotannis Episcopi de scholarum statu et conditione.... consilia conferant ». — *Leonis XIII enc. Constanti Hungarorum, 2 sept. 1893.*

649. **VIII. Parentibus et omnibus qui eorum locum tenent « jus et gravissimum officium est** curandi christianam liberorum institutionem ». — *Cod., c. 1372, § 2.*

a) « Ut ista in instituenda sobole diligentia adhibeatur, *divina* est *naturalique lege* constitutum, neque parentes per ullam causam solvi ea lege possunt. » — *Leonis XIII enc. Nobilissima Gallorum, 8 feb. 1884.*

« *Natura* enim parentes habent jus suos instituendi quos procrearint, *hoc adjuncto officio* ut cum *fine*, cujus gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis. » — *Leonis XIII enc. Sapientiæ christianæ, 10 jan. 1890, § Locus admonet. — Cf. n. 1126.*

b) Equidem, omnes admittunt *talia interdum rerum esse adjuncta* ut parentes catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. — *Cf. cit. Instr. S. Officii ; Instr. card. Urbis Vic., 12 jul. 1878 ; et resp. cardinalis Merry del Val ad Archiepiscopum Bisuntinum, 15 maii 1911.*

« Solius autem *Ordinarii loci* est decernere, ad normam *instructionum* Sedis Apostolicæ, in quibus rerum adjunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, *tolerari* possit ut eæ scholæ celebrentur. » — *Cod., can. 1374.*

CAPUT V

DE POTESTATE LEGISLATIVA ET JUDICIARIA

Potestas legislativa Episcoporum exercetur in Synodo vel extra Synodum diœcesanam. — Ad ipsam pertinet facultas dispensandi ; — ipsamque gemina comitatur judicandi puniendique potestas.

ARTICULUS I

DE POTESTATE LEGES FERENDI

650. **I. Episcopi, jure divino, potestatem habent leges ferendi,** cum positi sint a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, ipsisque divinitus collata sit potestas ligandi atque solvendi. — *Act.*, XX, *28 ; Matth.*, XVIII, *18.*

Unde, nemo, *salva fide*, potest jurisdictionem illis abjudicare suas oves legibus obstringendi, quibus obtemperare cogantur. — *Ben. XIV, De syn., lib. 13, cap. 4, n. 3.*

Ideo *Apostolus* populum fidelem monebat : « Obedite præpositis vestris et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditiuri. » — *Epist. ad Heb.*, XIII, *17.*

a) *Exigit utique officium pastorale* ut Prælati, pro spirituali bono suarum ovium, possint constitutiones seu statuta condere.

Innumera quippe sunt mala quæ in hanc aut illam diœcesim irrepere queunt, quibus opportunis constitutionibus sit occurrendum ; cumque non eadem sit omnium locorum indoles, non iidem ubique hominum mores, non eædem in omni loco simul inolescant morum corruptelæ, nequeunt *omnes leges cuicumque loco et tempori congruere ;* sed, quod unius diœcesis status hic et nunc decernendum suadet, alteri diœcesi, si ibidem statueretur, inopportunum, inutile et quandoque etiam noxium accideret. — *Ben. XIV, De syn. diœc., lib. 6, cap. 1.*

b) Hanc potestatem exercet Episcopus *in visitatione* vel *extra* diœcesis visitationem, *solus* aut in *synodo diœcesana,* habito, quando jure requiritur, *consilio* vel *consensu Capituli.*

Eaque pollet Episcopus *confirmatus,* licet nondum consecratus ; siquidem, potestas condendi statuta non est potestas *Ordinis,* sed *jurisdictionis.*

651. **II. Statutis diœcesanis præcipi potest** quidquid ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam restituendam aut fovendam, Episcopus necessarium vel utile judicaverit. — *Cf. Ben. XIV, De syn. diœc., lib. 6.*

a) Nequeunt tamen Episcopi pro suis diœcesibus quidpiam statuere *contra jus commune,* neque etiam contra decreta *synodi provincialis ;* quia « lex Superioris per inferiorem tolli non potest ». — *Clem. 2, De electione.*

Ideoque damnata est a Pio VI *doctrina synodi Pistoriensis*, quæ supponebat Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu decernere ac statuere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ *in universa Ecclesia*, sive etiam *in unaquaque provincia* locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicæ potestatis a qua inductæ sunt, aut probatæ, et vim legis obtinent. — *Const. Auctorem fidei*, *28 aug. 1794*, *n. 7.*

b) Hoc vero non obstante, possunt leges Superioris, ut melius serventur, ab inferiore adjuvari per *pœnæ* adjectionem. — *Cod., c. 2221.* — *Cf. n. 209.*

c) Bonum publicum exigit ut *existimatio et auctoritas Episcopi,* quantum fieri potest, sarta tectaque servetur, et sustineatur. — *Cf. n. 678.*

« Ut summum, *in gravi aliqua conquerendi materia* (contra Episcopum), concessum est rem totam ad Pontificem Romanum deferre ; id tamen *caute moderateque*, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut objurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur, aut certe augentur. » — *Leonis XIII epist. ad Archiep. Turonen.*, *17 dec. 1888.*

652. **III. Episcopi constitutiones, nisi revocentur, in suo robore permanent** quamvis Episcopus a quo editæ

sunt *e vita decesserit*, aut se episcopatu *abdicaverit*, aut ad aliam sit *translatus* ecclesiam ; perpetuitas enim est de essentia legis.

a) Et, cum leges ab Episcopis latæ, sive in synodo, sive extra synodum, vim omnem ab eodem Episcopo accipiant, *statuta extrasynodalia* eamdem habent naturam et *perpetuitatem* ac si promulgatæ essent in conventu cleri diœcesani.

b) Episcopales constitutiones nequaquam tamen perpetuæ dicuntur quasi sint *immutabiles*, cum interdum novæ emergentes rerum circumstantiæ illas abrogandas suadeant; atque ideo ab ipsomet legislatore, vel ejus successore, nec non et præscripta consuetudine, revocari possint.

ARTICULUS II

DE SYNODO DIŒCESANA

Nempe : de ipsius convocatione — et celebratione ; — et de statutis synodalibus.

§ I. De convocatione Synodi diœcesanæ

653. **I. Synodus diœcesana est :** legitima congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis suæ diœcesis, aliisve qui ad eam accedere tenentur, « in qua de iis tantum agendum est quæ ad particulares cleri populique diœcesis necessitates vel utilitates referuntur ». — *Cod., c. 356, § 1.*

Vox *Synodus*, sine ullo addito, synodum *diœcesanam* plerum que designat.

654. **II. Hanc potissimum utilitatem** Episcopus ex synodo refert, quod, habita per parochos totius diœcesis notitia, cum pleniori cognitione et *maturiori consilio* leges suas condit, et simul *sollemnius* promulgat.

« Cognoscitis vos, *aiebat Valerius Episcopus Veronensis in libello ad suum clerum*, multiplices animarum morbos ; justas piorum hominum querelas auditis ; vestra opera, vestris vigiliis, vestris itineribus, laboribus atque etiam periculis, mihi partem sollicitudinis adimitis, vel certe sublevatis. » — *Apud Bened. XIV, op. cit., lib. 1, cap. 2, n. 2.*

655. **III.** « **In singulis diœcesibus celebranda est decimo saltem quoque anno.** » — *Cod., c. 356, § 1.*

« Si Episcopus *plures diœceses* æque principaliter unitas regat, aut unam habeat in titulum, alteram aliasve in perpetuam administrationem, potest unam tantum diœcesanam Synodum ex omnibus diœcesibus convocare. » — *Ibid., § 2.* — *Cf. Trid., XXIV, 2, de ref.; et Ben. XIV, lib. 1, cap. 6.*

656. **IV.** « **Synodum diœcesanam convocat eique præest Episcopus,** non autem Vicarius generalis sine mandato speciali, nec Vicarius Capitularis. » — *Cod., c. 357, § 1.*

a) « Ad Synodum *vocandi* sunt ad eamque *venire* debent :

» 1° Vicarius Generalis ;

» 2° Canonici ecclesiæ cathedralis aut Consultores diœcesani ;

» 3° Rector Seminarii diœcesani saltem majoris ;

» 4° Vicarii foranei ;

» 5° Deputatus uniuscujusque collegialis ecclesiæ, a Capitulo ejusdem ecclesiæ e gremio eligendus ;

» 6° Parochi civitatis in qua Synodus celebratur ;

» 7° Unus saltem parochus ex unoquoque vicariatu foraneo, *eligendus* ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant ;

» Parochus autem electus debet, pro tempore absentiæ, *vicarium substitutum* sibi sufficere, ad normam can. 465, § 4 ;

» 8° Abbates de regimine, et unus e Superioribus cujusque *religionis clericalis* qui in diœcesi commorentur, designatus a Superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in diœcesi et Superior provincialis interesse ipse maluerit. » — *Cod., c. 358, § 1.*

b) « Episcopus, si opportunum judicaverit, potest ad Synodum vocare alios quoque, et etiam *omnes* canonicos, Superiores religiosos, imo et singulos suæ diœcesis sæculares sacerdotes, iis tamen exceptis qui necessarii sunt ne in parœciis animarum cura desit ;

» Invitati autem *jus suffragii* in omnibus habent

perinde ac ceteri, nisi Episcopus in invitatione aliud expresse caverit. » — *Cod., c. 358,* § 2.

c) « Iis qui ad Synodum venire debent, si legitimo impedimento detineantur, non licet mittere *procuratorem* qui eorum nomine Synodo intersit ; sed Episcopum de impedimento certiorem faciant. » — *Cod., c. 359,* § *1.*

d) « *Negligentes* Episcopus potest justis pœnis compellere et punire, nisi de religiosis exemptis agatur qui parochi non sunt. » — *Ibid.,* § *2.*

657. **V. Unam vel plures e clero civitatis et diœcesis Commissiones,** seu cœtus virorum qui res in Synodo tractandas parent, Episcopus, opportuno *ante Synodum* tempore, nominet « si id ipsi expedire videatur ». — *Cod., can. 360,* § *1.*

Et, « ante Synodi sessiones, Episcopus omnibus qui convocati sunt et convenerunt, *decretorum schema* tradendum curet ». — *Ibid.,* § *2.*

§ II. De celebratione Synodi diœcesanæ

658. **I. Locus Synodi celebrandæ** est *ecclesia cathedralis,* « nisi aliud rationabilis causa suadeat ». — *Cod., can. 357,* § *2.*

a) Ecclesia Seminarii opportune plerumque in Gallia eligitur, quia clerici ad Synodum vocati in Seminario solent hospitio recipi.

b) Et distinguendum est inter Congregationes, et *Sessiones* ipsas synodales. De his enim tantum sermo est in *Pontificali Romano.*

659. **II. Officiales et ministri** ab Episcopo deputantur, quos recenset Benedictus XIV, *op. cit., lib. 4.*

a) Præcipui sunt :

1° *Promotor,* cujus munus est urgere actiones synodales seu insistere ut omnia quæ in synodo facienda sunt, celeriter et fructuose perficiantur.

2° *Secretarius,* quem decet esse aliquem ex Canonicis

ecclesiæ cathedralis ; isque alium quem maluerit sibi socium seu coadjutorem adsciscet.

3° *Notarius,* qui solet esse Episcopi Cancellarius, et Synodi conficit acta et instrumenta authentica.

4° *Magistri cæremoniarum,* quorum est procurare ut omnia debito ritu peragantur.

b) *Procurator cleri* solet ab Episcopo constitui ad evitandas turbas et præcavendos tumultus, qui certe fierent si singulis de clero venia daretur reclamandi adversus decreta quæ in Synodo promulgantur.

Is ergo, omnium nomine, in Synodo dicat quæ clero displicent, quæque, ex iis quæ aut statuta aut statuenda sunt, difficiliora et aspera videantur, simulque modum suggerat quo illa emolliri clerus optaret. — Quæcumque petierit nomine cleri, petat *in scriptis* Secretario dandis.

c) Inter Officiales synodi, enumerantur insuper judices querelarum et excusationum, confessarii, concionatores, ostiarii, etc. — *Cf. Ben. XIV, l. c.*

Verum *necessario constituendi* non videntur nisi Notarius, Secretarius, Promotor et Magister cæremoniarum.

d) Ordinem sedendi in synodo fuse describit Benedictus XIV, *De syn., lib. 3, cap. 10.*

660. **III. Sessiones** in *Pontificali Romano* tres assignantur, ibique describuntur ritus et cæremoniæ synodi tribus diebus, hoc est *tribus sessionibus,* celebrandæ.

a) Non prohibetur tamen minori dierum numero diœcesanam Synodum celebrari ; ideo *Gavantus,* in suo opere cui titulus « *Praxis synodi diœcesanæ* », ordinem synodi triplicem exhibet pro *trina,* pro *duplici* et pro *unico* sessione.

b) De processione, Missa, allocutionibus, sermonibus et acclamationibus, *cf. Pontificale Romanum, Cœremoniale Episcoporum,* et *Gavant., op. cit.*

661. **IV. Congregationes** a sollemnibus Sessionibus distinctæ, in celebranda synodo licet non necessariæ valde tamen utiles habentur, suntque adunationes : vel

generales, seu totius synodi : vel *particulares,* quæ et *Commissiones* vocantur, et aliquibus dumtaxat constant Synodi membris.

a) *Congregationibus particularibus* committitur ut unaquæque deliberet de aliqua quæstione, ex. gr. num opportuna foret hæc vel illa episcopalis dispositio, sensumque suum aperiat.

b) *In congregationibus generalibus,* exquirit Episcopus, si ita ipsi videbitur, sensum totius Synodi, et apta discussio prudenter permittitur.

In eisdem præterea salutaria *monita* et *hortationes* ad clerum suum universum dirigit, statutorumve mox promulgandorum necessitatem aut utilitatem aperit. Hæc certe in dictis congregationibus, majori cum fructu, et facilius expediri possunt quam in sollemnibus sessionibus. — *Bouix, De Episcopo, part. 6, sect. 1, cap. 13.*

662. **V. In Synodo constituantur Examinatores, parochi consultores et Judices synodales, ad normam** can. 385, sq. — *Cf. n. 851, sq. ; et 670.*

§ III. De constitutionibus seu statutis synodalibus

Si unice vocis *etymologiæ* insistendum esset, leges episcopales, sive in synodo, sive extra synodum latæ, *canones* vocari possent : sed, si communem vocis acceptionem attendimus, præfatas constitutiones *canones* appellare prohibemur. Usus quippe invaluit ut canonum nomine solæ denominentur constitutiones quæ *universalem* obstringunt Ecclesiam. — *Ben. XIV, op. cit.*

663. **I. « Unicus est in Synodo legislator Episcopus, ceteris votum tantum consultivum habentibus ;**

a) » Unus ipse *subscribit* synodalibus constitutionibus ; quæ, si in Synodo promulgentur, eo ipso *obligare* incipiunt, nisi aliud expresse caveatur. » — *Cod., c. 362.*

b) Etsi vero constitutiones *sola sua auctoritate* possit statuere Episcopus, decet tamen ut prius totius Synodi *sententiam exquirat,* patienter audiat, ac diligenter consideret, ut quod omnium consensu perficitur, majorem sibi

conciliet sanctionem, et facilius efficaciusque exsecutioni mandetur. — *Cf. Ben. XIV, De Syn., lib. 13, c. 1, n. 4.*

Ideo « propositæ quæstiones omnes, præsidente vel per se vel per alium Episcopo, *liberæ adstantium disceptationi* in sessionibus præparatoriis subjiciantur ». — *Cod., c. 361.*

c) Quæ sit *Episcopi potestas* in legibus ferendis, attento præsertim fine Synodi diœcesanæ, jam diximus. — *Cf. num. 651.*

664. **II. Statim promulgari possunt** ab Episcopis constitutiones synodales, quin Sacræ Congreg. Concilii *recognoscendæ transmittantur,* sicut transmittenda sunt decreta Synodi provincialis.

Si vero actorum synodalium exemplar *cum relatione status diœcesis remittunt,* lubentissime accipit Sacra Congregatio ; casus enim intercidere queunt quibus eadem acta consulere, in expediendis illius diœcesis negotiis, summopere prosit ; verumtamen eos dumtaxat de hac diligentia in synodo coacta *laudare* satis habet. — *Lucidi, De visit. sacr. lim., cap. 2, n. 162.*

665. **III. A constitutionibus synodalibus non datur appellatio ad effectum suspensivum.** — Hujusmodi enim constitutiones, non unam aut alteram personam, sed *universam diœcesim* respiciunt, et plerumque materiam respiciunt in qua sacri canones non admittunt proprie dictam appellationem.

Quod si aliquæ sanctiones irrationabiles, vel onerosæ, vel utcumque *corrigendæ videantur,* licet ad Sanctam Sedem *appellationem* interponere, quæ, rationabili intercedente causa, admittitur *in devolutivo* tantum. — *Bened. XIV, op. cit., lib. 13, cap. 5, n. 12 et 13.*

ARTICULUS III

DE POTESTATE DISPENSANDI

666. **I. In suis suorumque prædecessorum statutis dispensandi** plenam potestatem habet Episcopus, dummodo constitutiones non fuerint a Romano Pontifice *in forma specifica* approbatæ. — *Cf. n. 110, sq.*

Sed nequit in *lege communi* dispensare, nisi expressam vel tacitam habuerit a Romano Pontifice delegationem.

667. **II. Episcopi, justis de causis, leges Ecclesiæ generales relaxare possunt :**

a) Ex speciali *juris* concessione.

Ex. gr., Episcopi possunt, in quibusdam adjunctis, a jejunio et abstinentia totam etiam diœcesim dispensare. — *Cf. num. 701.*

Item dispensant in *irregularitatibus* ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum judiciale ; dispensant in lege *interstitiorum ;* item in *matrimoniorum* publicationibus ; in legibus *Concilii* provincialis aut plenarii, etc.

Et dispensare valent a qualibet Pontificia lege, etiam quam speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio, « si *difficilis* sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit *periculum* gravis damni, et de dispensatione agatur quæ a Sede Apostolica concedi solet. » — *Cod., c. 81.* — *Cf. n. 1015.*

b) Ex *speciali* et *expressa delegatione.*

Indultum datur : ad tempus determinatum, vel pro determinato numero casuum ; vel ad tempus determinatum et simul pro determinato numero casuum ; vel ad tempus determinatum et simul pro determinato numero casuum in quolibet anno.

Caveat igitur indultarius ne sua potestate utatur *ultra præfixum tempus,* aut *determinatum numerum casuum.* Dispensatio enim concessa elapso tempore, irrita foret, saltem si res esset adhuc integra.

Vi novi Codicis, omnes locorum Ordinarii facultatibus quam pluribus *ipso jure* instruuntur quas antea ab Apostolica Sede postulare solebant, et *communibus Indultis* assequebantur.

« Quapropter indulta quæ hucusque, postulantibus Ordinariis, concedebantur, quæque vel in Brevi dicto 25 annorum, vel in formulis typis impressis ad decennium, ad quinquennium aut etiam ad triennium valituris continentur, *supervacanea* evadere videntur ;

quin imo *confusionem* haud levem ingerere, eo quod a novis Canonici Juris ordinationibus in pluribus discrepant.

» Hisce itaque de causis, necnon ad discrimina in canonica disciplina tollenda, majoremque unitatem in Ecclesia inducendam, Ssmus D. N. Benedictus Pp. XV, de consulto peculiaris cœtus Emorum Patrum Cardinalium, hoc S. C. Consistorialis decreto ea quæ sequuntur statuit et sanxit :

1° » Exceptis locis S. Congregationi de Propaganda Fide subjectis, pro quibus suo tempore quæ opportuna erunt decernentur, alibi, in universis scilicet diœcesibus juri communi obnoxiis, *facultates omnes* pro *foro externo* Ordinariis concessæ, quæque in ***Formulis*** et ***Brevi*** superius recensitis continentur, a die 18 maii hujus anni (1918) *cessabunt*, neque amplius in usu esse poterunt ;

2° » Facultates pro *foro interno* a S. Pœnitentiaria datæ, aliæque peculiaribus de causis ab Ordinariis obtentæ, sub hujus decreti dispositione *non comprehenduntur*, et ideo abolitæ non sunt. » — *S. C. Consist., 25 apr. 1918 (Acta, X, 190). — Cf. n. 1016, bis.*

c) *In dubio facti*, utrum nempe casus indigeat dispensatione, « dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet ». — *Cod., c. 15.*

Quod probatur : tum ex natura reservationis, quæ est *odiosa* ideoque *restringenda ;* tum ex natura jurisdictionis episcopalis, cui *in rebus dubiis favendum est ;* tum denique, ex utilitate fidelium, quibus onus Apostolicam Sedem adeundi imponendum non est *nisi certis de causis.*

Quod si leges dubiæ sint dubio *juris*, leges ecclesiasticæ non urgent. — *Cf. num. 86.*

ARTICULUS IV

DE POTESTATE EPISCOPORUM JUDICIARIA ET COERCITIVA

668. **I. Episcopus judex ordinarius est in sua diœcesi omnium causarum fori ecclesiastici,** tum *realium* tum *personalium,* quæ superioribus judicibus non sunt *reservatæ,* salvo tamen jure primatus S. Sedis, salvisque prærogativis Metropolitarum *in casu appellationis.* — *Cf. Cod., c. 1572, § 1.*

a) Hanc judiciariam potestatem loci Ordinarius « exercere potest ipse per se vel per alios ». — *Ibid.*

b) « Si vero agatur de juribus aut bonis temporalibus *Episcopi* aut *mensæ* vel *Curiæ diœcesanæ*, controversia dirimenda deferatur, vel, Episcopo consentiente, ad diœcesanum tribunal collegiale quod constat Officiali et duobus judicibus synodalibus antiquioribus, vel ad judicem immediate superiorem. » — *Ibid.*, § *2.*

669. **II.** « **Quilibet Episcopus tenetur Officialem eligere cum potestate ordinaria judicandi,** a Vicario Generali *distinctum*, nisi parvitas diœcesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi. » — *Cod., c. 1573,* § *1.*

a) « Officialis *unum* constituit *tribunal* cum Episcopo loci : sed nequit judicare causas quas Episcopus sibi reservat. » — *Ibid.*, § *2.*

b) « Officiali dari possunt adjutores, quibus nomen est *vice-officialium.* » — *Ibid.*, § *3.*

c) « Tum officialis tum vice-officiales esse debent sacerdotes, integræ famæ, in jure canonico *doctores* vel ceteroqui periti, annos nati non minus triginta. » — *Ibid.*, § *4.*

d) « Sunt amovibiles *ad nutum* Episcopi ; *vacante sede,* a munere non cessant, nec a Vicario Capitulari amoveri possunt ; adveniente autem *novo Episcopo,* indigent confirmatione. » — *Ibid.*, § *5.*

e) « Qui Vicarius Generalis est idemque officialis, *sede vacante,* cessat quidem a Vicarii, non autem ab Officialis munere. » — *Ibid.*, § *6.*

f) « Si Officialis eligatur in *Vicarium Capitularem,* ipse novum nominat officialem. » — *Ibid.*, § *7.*

670. **III. Judices quoque synodales** in qualibet diœcesi, « presbyteri nempe probatæ vitæ et in jure canonico periti, etsi extradiœcesani, non plures quam duodecim eligantur, ut, potestate ab Episcopo delegata, in *litibus judicandis* partem habeant. » — *Cod., c. 1574,* § *1.*

a) Quod attinet ad eorum electionem, substitutionem, cessationem aut remotionem a munere, « serventur præscripta can. 385-388 ». — *Ibid.*, § *2.* — *Cf. n. 851, sq.*

Nomine judicum synodalium « in jure veniunt quoque judices *pro-synodales* » qui nempe extra Synodum constituuntur. — *Cod., can. 1574, § 3.*

b) « Unicus judex in quolibet judicio duos *assessores* consulentes sibi adsciscere potest ; quos tamen ex judicibus synodalibus eligere debet. » — *Cod., c. 1575.*

c) « Reprobata contraria consuetudine, et revocato quolibet contrario privilegio :

» 1° Causæ contentiosæ de vinculo sacræ ordinationis, et matrimonii, vel de juribus aut bonis temporalibus cathedralis ecclesiæ ; itemque criminales in quibus res est de privatione beneficii inamovibilis aut de irroganda vel declaranda excommunicatione, *tribunali collegiali trium judicum* reservantur ;

» 2° Causæ vero quibus agitur de delictis quæ depositionis, privationis perpetuæ habitus ecclesiastici, vel degradationis pœnam important, reservantur *tribunali quinque judicum.* » — *Cod., c. 1576, § 1.*

d) « Loci Ordinarius tribunali collegiali trium vel quinque judicum cognitionem committere potest etiam *aliarum causarum*, idque præsertim faciat quando de causis agitur quæ, attentis temporis, loci et personarum adjunctis et materia judicii, difficiliores et *majoris momenti* videantur. » — *Ibid., § 2.*

e) « Duo vel quatuor judices qui una cum præside tribunal collegiale constituunt, inter *judices synodales* Ordinarius, nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit, eligat *per turnum.* » — *Ibid., § 3.*

f) « Tribunal collegiale *collegialiter procedere* debet, et ad majorem suffragiorum partem sententias ferre. » — *Cod., c. 1577, § 1.*

« Eidem *præest* Officialis vel vice-officialis, cujus est processum dirigere, et decernere quæ pro justitiæ administratione in causa quæ agitur necessaria sunt. » — *Ibid., § 2.*

g) « Exceptis causis de quibus in can. 1572, § 2 », scilicet nisi agatur de juribus aut bonis temporalibus

ipsius Episcopi aut mensæ vel Curiæ diœcesanæ, « Episcopus semper potest tribunali ipse *per se* præesse ;

» Sed valde *expedit* ut causas, præsertim criminales et contentiosas gravis momenti, judicandas relinquat tribunali ordinario, cui præsit officialis vel vice-officialis. » — *Cod., c. 1578.*

671. **IV. In pœnis infligendis,** « præ oculis habeatur monitum Concilii Tridentini, *sess.* XIII, *cap.* 1, *de ref.* :

a) » Meminerint Episcopi, aliique Ordinarii, se *pastores*, non *percussores* esse, atque ita præesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam *filios* et *fratres* diligant, elaborentque ut, hortando et monendo, ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur.

b) » Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos *arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia (II Tim.,* IV, *2) ;* cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas.

c) » Sin autem, ob delicti gravitatem, virga opus fuerit, tunc *cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas* adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et qui correpti fuerint *emendentur*, aut, si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitiis *deterreantur :* cum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis ovium *levia* primum adhibere fomenta ; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad *acriora et graviora remedia* descendere ; sin autem nec ea quidem proficiant, illis submovendis ceteras saltem oves a *contagionis* periculo liberare. » — *Cod., c. 2214,* § 2. — *Cf. Trid. sess. XXV, cap. 3, De ref. ; — et Leonis XIII enc. Quod multum, 22 aug. 1886,* § *Sed ultra.*

CAPUT VI

DE POTESTATE EPISCOPORUM ADMINISTRATIVA

Ad jurisdictionem episcopalem pertinet quoque potestas administrativa, quæ versatur circa *res* et *personas*, et in totam diœcesim exercenda est juxta canones generales, concordata particularia, imo leges civiles quas admittit Ecclesia ; et, « ubi jura silent, loco legis èst Præsulis auctoritas, præsertim vero quod, ut Doctorum fert adagium, Episcopus *intentionem habet in jure fundatum* in rebus omnibus quæ ad diœcesim suam administrandam attinent ». — *Leonis XIII constit. Romanos Pontifices, 8 idus maii 1881.*
De his in decursu harum Prælectionum sub diversis titulis agitur. — Superest ut aliquid dicamus de potestate Episcopi in proprios clericos ; — in clericos alienos ; — et in quædam Instituta non collegialia.

ARTICULUS I

DE POTESTATE EPISCOPI IN PROPRIOS CLERICOS

672. **I. Clerici, quatenus clerici, fiunt subditi Episcoporum per sacram Ordinationem.** Videlicet, « per receptionem primæ tonsuræ quis adscribitur, seu, ut aiunt, *incardinatur* diœcesi pro cujus servitio promotus fuit ». — *Cod., c. 111, § 2.*

Quemlibet enim clericum « oportet esse vel *alicui diœcesi* vel *alicui religioni* adscriptum, ita ut clerici *vagi* nullatenus admittantur ». — *Ibid., § 1.*

673. **II. Excardinatio** « fieri nequit sine *justis causis*, et effectum non sortitur nisi *incardinatione secuta* in alia diœcesi, cujus Ordinarius de eadem priorem Ordinarium quantocius certiorem reddat ». — *Cod., c. 116.* — *Cf. S. C. C. decret. A primis, 20 jul. 1898.*

a) Habetur excardinatio et incardinatio « si ab Ordinario alienæ diœcesis clericus *beneficium residentiale* obtinuerit cum *consensu* sui Ordinarii in scriptis dato, vel

cum *licentia* ab eodem in scriptis concessa e diœcesi discedendi in perpetuum ». — *Cod., c. 114.*

b) « Etiam per *professionem religiosam* quis a propria diœcesi excardinatur, ad normam can. 585 » scilicet emissis *votis perpetuis*, sive sollemnibus sive simplicibus. — *Cod., c. 115.*

c) Præter casus de quibus supra, et salvo præscripto can. 641, § 2 de religiosis qui indultum sæcularizationis obtinuerint *(cf. n. 1335, c)*, « ut clericus alienæ diœcesi *valide* incardinetur, a *suo Ordinario* obtinere debet litteras, ab eodem subscriptas, excardinationis perpetuæ et absolutæ ; et ab *Ordinario alienæ diœcesis* litteras, ab eodem subscriptas, incardinationis pariter perpetuæ et absolutæ ». — *Cod., c. 112.*

674. **III. Ad incardinationem alieni clerici** « Ordinarius ne deveniat, nisi :

» 1° *Necessitas* aut *utilitas* diœcesis id exigat, et salvis juris præscriptis circa canonicum ordinationis titulum ;

» 2° Ex legitimo documento sibi constiterit de obtenta legitima *excardinatione*, et habuerit præterea a Curia dimittente, sub secreto, si opus sit, de clerici natalibus, vita, moribus ac studiis, opportuna *testimonia*, maxime si agatur de incardinandis clericis diversæ linguæ et nationis ;

» Ordinarius autem dimittens, graviter onerata ejus conscientia, advigilare debet ut testimonia sint veritati conformia ;

» 3° Clericus *jurejurando* coram eodem Ordinario ejusve delegato declaraverit se *in perpetuum* novæ diœcesis servitio velle addici ad normam sacrorum canonum ». — *Cod., c. 117.*

a) Excardinationem et incardinationem concedere nequit « *Vicarius Generalis* sine mandato speciali, nec *Vicarius Capitularis* nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu Capituli ». — *Cod., c. 113.*

b) Quæ de sacerdotum excardinatione et in aliam diœcesim adscriptione dicta sunt, nullatenus obstant consuetudini qua Episcopi sacerdotes, si qui in sua diœcesi satis abundent, *egentioribus diœce-*

sibus, ad auxilium in cura animarum ferendum, *ad tempus* concedunt. Hunc enim morem, uti zeli apostolici indicium, Sancta Sedes commendavit. — *Acta Concilii plenarii Americæ latinæ, an. 1899, art. 635* .

675. **IV. Laicus** proprie *excardinari* non potest, cum nondum sit per primam tonsuram *incardinatus.*

Sed potest Episcopus jus nativum, quo pollet aliquem in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre, ita ut hac ratione dimissus valeat a benevolo receptore, positis ponendis, primam tonsuram et Ordines recipere. — *Cf. S. C. C. decret., 24 nov. 1906.*

Ceterum, potest quis, *domicilio* acquisito extra diœcesim in qua natus est, *proprium* Episcopum sortiri quoad ordines recipiendos, et ita per primam tonsuram incardinari, modo animum habeat in hac altera diœcesi perpetuo manendi, jurejurando firmatum. — *Cf. n. 369.*

676. **V. Clerici a sua diœcesi per notabile tempus ne discedant** « sine licentia, saltem rationabiliter *præsumpta*, Ordinarii proprii », licet beneficium aut officium residentiale non habeant. — *Cod., c. 143.*

a) « Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam diœcesim transierit, suæ diœcesi manens incardinatus, *revocari* potest, justa de causa et naturali æquitate servata ;

b) » Et etiam Ordinarius *alienæ diœcesis* potest *ex justa causa* eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium eidem contulerit. » — *Cod., c. 144.*

c) Ut Episcopi litteras discessoriales concedere possint sacerdotibus *sæcularibus* ad *longum* vel *indefinitum* tempus, aut in perpetuum, ex Europa vel ex Mediterranei oris ad *Americam* vel ad *insulas Philippinas* migraturis, necesse est ut omnes conditiones serventur quas S. C. Consistorialis servari voluit *suo decreto Magni semper, 30 dec. 1918.*

Religiosi, dum in sua religione perseverant, trans Oceanum ad alias suæ religionis domus mitti a suis Superioribus valebunt, *hac una lege servata*, super cujus observantia Superiorum conscientia graviter oneratur, ut agatur de religiosis qui sint intemeratæ vitæ,

bonæ exploratæque vocationis, et studiis ecclesiasticis bene instructi ; adeo ut retineri tuto possit in bonum animarum et ædificationem fidelium eorum missionem esse cessuram. — *Ibid.*

Clerici *sæculares* qui etiam ad breve tempus, *semestre* non excedens, in easdem regiones pergere cupiunt, debent, ad normam ejusdem decreti, discessorialibus litteris muniri non in forma communi sed in forma *specifica*, et alia servare cohærenter ad ea quæ ibidem præscripta sunt.

Et « sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, *suspensi a divinis* ipso facto maneant : qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in *irregularitatem* incidant ; a quibus pœnis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione. » — *Ibid. (Acta, XI, 39).*

677. **VI. Suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi** speciali obligatione tenentur « omnes clerici, præsertim vero presbyteri ». — *Cod., c. 127.*

a) Etenim, nonnisi *pro diœcesis utilitate (cf. n. 378)* ad sacros Ordines promoti sunt ; nec clerici in sortem Domini *otiose* vocati sunt, aut gratiam sacramenti receperunt ut solum *sibi* prodessent, sed potius ut et *aliis* tribuerent ; debent igitur Episcopo speciale obsequium quoad ea quæ pertinent ad ecclesiæ regimen et diœcesis administrationem.

b) Sollemni ritu hanc reverentiam et obedientiam *presbyteri promittunt in ipsa sacerdotii receptione*, juxta vetustissimum Ecclesiæ morem.

Hæc sponsio tamen multum differt a promissione obedientiæ quæ in votis Religiosorum includitur. — Non enim communiter intelligitur ut *votum*, sed videtur esse tantum professio illius submissionis quæ, secundum *jus divinum* et *canones Ecclesiæ*, debetur Episcopo, qualiter Episcopi ipsi Romano Pontifici obedientiam promittunt.

c) Ideo « quoties et quandiu id, judicio proprii Ordinarii, *exigat* Ecclesiæ necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, *suscipiendum* est clericis ac fideliter implendum *munus* quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum ». — *Cod., c. 128.*

Equidem, in determinandis *hujus necessitatis limitibus*, regula

taxativa minime tradi posse videtur, quoniam ista determinatio a variis pendet temporum, circumstantiarum et locorum *adjunctis*. — *Cf. S. C. Conc., in Tolos., 9 maii 1884 ; in Parmen., 11 jan. 1886 ; in Forojulien., 31 jan. 1891 ; in S. Joannis de Mauriana, 6 aug. 1910 (Acta, II, 911)*.

d) « Qui Romano Pontifici vel proprio Ordinario aliquid legitime præcipienti vel prohibenti *pertinaciter non obtemperant*, congruis pœnis, censuris non exclusis, pro gravitate culpæ puniantur. » — *Cod., c. 2331, § 1.*

« *Conspirantes* vero contra auctoritatem Romani Pontificis ejusve Legati, vel proprii Ordinarii, aut contra eorum legitima mandata, itemque subditos ad inobedientiam erga ipsos *provocantes*, censuris aliisve pœnis coerceantur ; et dignitatibus, beneficiis aliisve muneribus, si sint clerici, voce activa et passiva atque officio, si religiosi, priventur. » — *Ibid.*, § *2*.

e) « Clerici majores munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine ejusdem Ordinarii licentia, *deserere* præsumentes, suspendantur a divinis, ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus præfiniendum. » — *Cod., can. 2399.*

678. **VII. Sacerdotale munus sub Episcoporum magisterio exerceatur,** ut sanctum sit, utile atque honestum. — *Leonis XIII enc. Nobilissima Gallorum gens, 8 feb. 1884.*

a) « Tel acte, telle mesure, telle pratique de zèle, pourront être excellents en *eux-mêmes*, lesquels, *vu les circonstances*, ne produiront que des résultats fâcheux.

» Les prêtres éviteront cet inconvénient et ce malheur, si, avant d'agir, et dans l'action, ils ont soin de se conformer à l'ordre établi et aux *règles de la discipline*. Or, la discipline ecclésiastique exige l'union entre les divers membres de la hiérarchie, le respect et l'obéissance des inférieurs à l'égard des supérieurs. » — *Leonis XIII enc. Depuis le jour, ad Episcopos Galliæ, 8 sept. 1899.*

b) « L'Église est, avec raison, comparée à une *armée* rangée en bataille. Or, ce qui fait la *force* d'une armée, et contribue le plus à sa discipline, c'est l'*obéissance exacte* et *rigoureuse* de tous à ceux qui ont la charge de commander.

» C'est bien ici que le zèle intempestif et sans discrétion peut aisément devenir la cause de véritables désastres. » — *Ibid.*

c) » C'est pourquoi « tous les prêtres doivent *subordonner leur action personnelle* à l'autorité de ceux que l'Esprit-Saint a établis pour gouverner l'Église de Dieu, faute de quoi naîtraient la confusion et un très grand désordre, même au préjudice de la cause qu'ils ont à défendre et à promouvoir ». — *Leonis XIII enc. ad Episcopos Italiæ, 8 dec. 1902. — Cf. Pii X enc. Il fermo proposito ; et enc. Pieni l'animo, ad eosdem.*

679. **VIII.** « **Loci Ordinarii est in sua diœcesi statuere præcedentias inter suos subditos,** ratione habita principiorum juris communis, legitimarum diœcesis consuetudinum, et munerum ipsis commissorum ;

» Et omnes de præcedentia *controversias*, etiam inter exemptos, quatenus ii collegialiter cum aliis procedant, componere in casibus urgentioribus, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine præjudicio juris uniuscujusque. » — *Cod., c. 106, n. 6.*

Porro, « circa præcedentiam inter varias personas seu morales, serventur *normæ quæ sequuntur*, salvis normis specialibus quæ in suis locis tradentur :

a) » Qui *alius personam* gerit, ex eadem obtinet præcedentiam ;

» Sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus *procuratorio nomine* intersunt, sedent post illos ejusdem gradus qui intersunt *nomine proprio ;*

b) » Cui est *auctoritas* in personas, sive physicas sive morales, eidem jus est præcedentiæ supra illas.

c) » Inter diversas personas ecclesiasticas quarum *nulla habeat* in alias *auctoritatem :*

1° » Qui ad *gradum potiorem* pertinent, præcedunt eis qui sunt inferioris gradus ;

2° » Inter ejusdem gradus personas, sed non ejusdem ordinis, qui *altiorem ordinem* tenet, præcedit iis qui in inferiore sunt positi ;

3° » Si denique ad eundem gradum pertineant, eundemque ordinem habeant, præcedit qui *prius est promotus* ad gradum ;

4° » Si eodem tempore promoti sint, *senior ordina-*

tione, nisi junior ordinatus fuerit a Romano Pontifice ; et, si eodem tempore Ordinem receperint, senior ætate.

d) » Inter varias personas morales *ejusdem speciei* et *gradus,* illa præcedit quæ est in pacifica quasi-possessione præcedentiæ, et, si de hoc non constet, quæ prius in loco, ubi quæstio oritur, instituta est ;

» Inter sodales vero alicujus *collegii,* jus præcedentiæ determinetur ex propriis legitimis constitutionibus ; secus, ex legitima consuetudine ; qua deficiente, ex præscripto juris communis ;

e) » In præcedentia diversitas *ritus* non attenditur. » — *Cod., c. 106.*

ARTICULUS II

DE POTESTATE EPISCOPI IN SACERDOTES EXTRANEOS

680. **I. Clerici extranei immunes sunt a statutis peculiaribus diœcesis in qua versantur,** nisi *per accidens,* ob necessitatem locorum, vel rationem scandali, hujusmodi legibus teneantur. — *Cf. n. 74, c.*

Non potest Episcopus sine *justa* causa *expellere* alienum clericum commorantem in diœcesi, dummodo iste clericus extraneus non velit nisi tanquam *advena* ibi commorari. — *S. C. Ep. et Reg., 17 dec. 1839, et 6 mart. 1846.* — *Cf. num. 676, b.*

681. **II. Ad Missæ celebrationem** admittatur sacerdos extraneus ecclesiæ in qua celebrare postulat, « modo exhibeat authenticas et adhuc validas *litteras commendatitias* sui Ordinarii, si sit sæcularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel Sacræ Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, nisi interim aliquid eum commisisse constet cur a Missæ celebratione repelli debeat ». — *Cod., can. 804, § 1.* — *Cf. Trid., XXIII, 16, De ref. ; et XXIII, decret. de observ. ; Bened. XIV const. Apostolicum ministerium, 30 maii 1753 ; et S. Rot., 27 jan. 1914.*

a) « Si iis litteris *careat,* sed rectori ecclesiæ de ejus probitate apprime constet, poterit admitti ;

b) » Si vero rectori sit *ignotus*, admitti adhuc potest *semel* vel *bis*, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque diœcesim in peculiari *libro* signet. » — *Cod., c. 804, § 2.*

c) Parochus debet ideo sacerdotibus *subministrare* quæ ad Missæ sacrificium sunt necessaria.

Sed, ob ecclesiæ paupertatem, potest pro pane, vino, cereis et sacris utensilibus « *moderatam stipem* exigere ». *Cod., c. 1303, § 2. — Cf. n. 1443, b.*

d) Peculiares hac de re normæ, salvo juris communis præcepto, ab *Ordinario loci* datæ, « servandæ sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suæ religionis ». — *Cod., c. 804, § 3.*

ARTICULUS III

DE AUCTORITATE EPISCOPI IN QUÆDAM INSTITUTA NON COLLEGIALIA

682. **I. Ab Ordinario loci erigi et per ejus decretum persona juridica in Ecclesia constitui possunt** hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis destinata. — *Cod., c. 1489, § 1.*

a) « Loci Ordinarius hæc instituta ne approbet nisi *finis* fundationis utilis reapse sit, et talis constituta fuerit *dos* quæ, omnibus perpensis, sufficiat vel sufficiens fore prudenter prævideatur ad illum assequendum. » — *Ibid., § 2.*

b) « Sine venia Sedis Apostolicæ hæc instituta *supprimi, uniri,* vel in usus a fundatione alienos *converti* nequeunt, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur. » — *Cod., c. 1494.*

683. **II. Horum institutorum administrare bona** « sui cujusque *rectoris* est, secundum normas tabulæ fundationis ;

» Hic vero iisdem *obligationibus* tenetur, iisdemque *juribus* fruitur, quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum ». — *Cod., c. 1489,* § *3.*

684. **III.** « **In tabulis fundationis** pius fundator *accurate describat* totam instituti constitutionem, finem, dotationem, administrationem et regimen, usum redituum et successionem in bona, casu exstinctionis ipsius instituti. » — *Cod., c. 1490,* § *1.*

» Hujusmodi tabulæ *duplici exemplari* conficiendæ sunt, quorum alterum in archivo Instituti, alterum in archivo Curiæ reponatur. » — *Ibid.,* § *2.*

685. **IV.** « **Ordinarius loci advigilet** ut piæ fidelium voluntates, in horum institutorum fundatione expressæ, plene serventur. » — *Cod., c. 1493.*

a) Et « omnia hujusmodi instituta, etiam in personam moralem erecta, et quovis modo exempta, *visitare* potest et debet ». — *Cod., c. 1491,* § *1.*

b) « Imo, licet in personam moralem non sint erecta et domui religiosæ concredita, si quidem agatur de domo religiosa *juris diœcesani,* jurisdictioni Ordinarii loci penitus subduntur ;

» Si de domo religiosa *juris pontificii,* episcopali vigilantiæ subsunt quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem. » — *Ibid.,* § *2.*

c) « Etiamsi fundatione, præscriptione aut privilegio apostolico pium institutum a jurisdictione et visitatione Ordinarii loci *exemptum* fuerit, jus tamen Ordinario est redditionem rationum exigendi, *reprobata* contraria consuetudine. » — *Cod., c. 1492,* § *1.*

d) « Si fundator velit administratores *non teneri* rationem Ordinario loci reddere, fundatio ne acceptetur. » — *Ibid.,* § *2.*

CAPUT VII

DE JURIBUS ET OFFICIIS EPISCOPI QUOAD CULTUM

Ubi : de debita Episcoporum vigilantia in genere; — et, speciatim, de libris liturgicis, cantu gregoriano et musica sacra; — de temporibus sacris ; — de cultu Servorum Dei, — sacrarum imaginum et reliquiarum; — et de sacris Processionibus.

ARTICULUS I

DE EPISCOPORUM DEBITA VIGILANTIA

686. **I. Ecclesiæ jus exclusivum competit moderandi ea quæ ad divinum cultum pertinent.** Et « Ecclesiæ ministri in cultu exercendo unice a Superioribus *ecclesiasticis* dependere debent ». — *Cod., c. 1260.*

a) Ideo Ecclesia jus habet præscribendi sanctificationem diei festi, tum per adsistentiam *sacrificio Missæ*, tum per abstinentiam ab *operibus servilibus.*

Si enim Deus colendus est, et quidem publice, profecto modus idoneus id præstandi ab auctoritate religiosa determinandus est. — *Cf. Cavagnis, Instit. jur. pub., lib. 4, num. 272, sq. ; et Wernz, Jus Decret., t. 3, n. 317, sq.*

Et societas, ut societas, quippe quæ *athea* esse non potest, dies festos ab Ecclesia præscriptos servare debet.

b) Non modo in locis specialiter cultui destinatis, sed etiam extra septa ecclesiæ, *in locis ipsis publicis,* jus habet actus quosdam divini cultus exercendi.

Et quidem, inter ritus cultus catholici sunt et *processiones,* quarum quædam dici possunt *necessitatis,* ut quæ viaticum comitantur et mortuorum cadavera, aliæ autem *utilitatis* tantum. — Porro,

1° Societas ecclesiastica non est ratione subjecti *extranea* societati civili ; sed ejus membra sunt quoque *cives,*

ideoque jus habent ad usum publicum viarum et platearum pro omni scopo honesto, cujusmodi est cultus divinus.

2° Etsi dominium viarum publicarum dici vellet societatis civilis quatenus *civilis* est, adhuc tamen verum est societatem civilem teneri ad *deserviendum* ecclesiasticæ *(cf. num. 23)* ; ideoque illius territorium gravatur *servitute passiva* in favorem cultus divini.

Nec objiciatur impedimentum *commercii civilis*. Nam, si quod leve incommodum inde oriatur, hujusmodi incommodis ob alias, et quidem minoris momenti causas, propter *publicam utilitatem* subduntur incolæ.

Nec ob timorem *irreverentiæ*, ex parte impiorum, abstinendum est a publico cultu divino; sed potius hi compescendi sunt. — *Cavagnis, loc. cit., n. 234, sq.*

3° Si quando *Status civilis leges tulerit*, ex. gr. de vitandis hominum conventibus ob morbi contagionem, vel de tempore opportuno ad obeundas ecclesiasticas functiones, *Ecclesia*, utpote societas *superior*, normas accipit a lege civili latas, easdem ad *examen* revocando ; et ideo, in casu evidentis exagerationis, potest eas jure rejicere, hinc, multo magis, si ex aperta hostilitate procedant. — *Ibid.*

c) « Unius *Apostolicæ Sedis* est, tum *sacram ordinare liturgiam*, tum liturgicos *approbare* libros. » — *Cod., can. 1257. — Cf. n. 468.*

687. **II. Cultus dicitur publicus** « si deferatur *nomine Ecclesiæ* a personis legitime ad hoc *deputatis*, et per actus, ex Ecclesiæ institutione, Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos » ; sin minus, dicitur *privatus*. — *Cod., c. 1256.*

a) « Sanctissimæ Trinitati, singulis ejusdem Personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus, debetur cultus *latriæ ;* Beatissimæ Mariæ Virgini, cultus *hyperduliæ ;* aliis cum Christo in cœlo regnantibus, cultus *duliæ.* » — *Cod., c. 1255, § 1.*

b) « Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur *relativus* personæ ad quam reliquiæ imaginesque referuntur. » — *Ibid., § 2.*

688. **III. « Locorum Ordinarii invigilent ut sacrorum anonum præscripta de divino cultu sedulo observentur,** t præsertim ne in cultum divinum, sive publicum sive rivatum, aut in quotidianam fidelium vitam *supersti-osa* ulla praxis inducatur, aut quidquam admittatur a de alienum, vel ab ecclesiastica traditione absonum, vel *ırpis quæstus* speciem præseferens. » — *Cod., c. 1261, 1. — Cf. Trid., XXII, de observ.*

a) Si loci Ordinarius *leges* pro suo territorio hac in re ılerit, « etiam *religiosi* omnes, exempti quoque, obliga-one tenentur easdem servandi ; et Ordinarius potest rundem ecclesias vel publica oratoria in hunc finem sitare ». — *Ibid., § 2.*

b) « Clerici majores qui in sacro ministerio ritus cæremonias ab Ecclesia præscriptas graviter *negligant,* moniti sese non emendaverint, suspendantur pro versa reatus gravitate. » — *Cod., c. 2378.*

c) « Orationes et pietatis exercitia ne permittantur ecclesiis vel oratoriis sine revisione et expressa Ordinarii ci *licentia,* qui in casibus difficilioribus rem totam Sedi postolicæ subjiciat. » — *Cod., c. 1259, § 1.*

« Loci Ordinarius nequit novas *litanias* approbare *blice* recitandas. » — *Ibid., § 2.*

689. **IV. « Haud licitum est fidelibus quovis modo tive assistere seu partem habere in sacris acatholico-n.** » — *Cod., c. 1258, § 1.*

Tolerari potest præsentia *passiva* seu mere mate-lis, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem Episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum ıeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo per-sionis et scandali periculum absit. » — *Ibid., § 2.*

ARTICULUS II

DE LIBRIS LITURGICIS, CANTU GREGORIANO ET MUSICA SACRA

690. **I. In edendis libris liturgicis eorumque partibus,** nque litaniis a Sancta Sede approbatis « debet de *con-*

cordantia cum editionibus approbatis constare ex *atteste tione Ordinarii loci* in quo imprimuntur aut publici jur fiunt ». — *Cod. c. 1390.*

a) Rmi locorum Ordinarii, diligenti rerumque litu gicarum perito constituto revisore, qui videat an præfat editiones plane cum typicis concordent, talem conco dantiam declarent et « *Imprimatur* » apponant. — *S. C. Rit 17 mai 1911, n. 7.*

b) Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicuj diœcesis *Propriorum*, de quibus editio typica non exsta si in *ipsa diœcesi* cudendæ sint, Rmi locorum Ordinar concordantiam cum originalibus declarent et « *Impr matur* » apponant.

Quoad vero editiones *Propriorum* tum *alienæ diœces* tum Ordinum Regularium seu Congregationum, Rmi l corum Ordinarii, quorum jurisdictioni *Typographi* su jacent, « *Imprimatur* » apponant, postquam vel Ordin rius diœcesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, quos prædicta Officia seu Propria pertinent, de haru editionum concordantia cum originalibus a Sacra Rituu Congregatione approbatis, rescriptum, quod pariter ede dum est, sibi remiserint. — *S. C. Rit., 17 maii 1911, n.*

c) Inter libros *sacram spectantes Liturgiam*, ad eff tum præsentis decreti, præcipue *adnumerandi sunt :* B viarium, Missale, Rituale, Pontificale, Martyrologiu Cæremoniale Episcoporum, Propria tum Officiorum t Missarum alicujus diœcesis, Ordinis seu Congregatio religiosæ, Collectio decretorum Sacræ Congregatio Rituum. — *Ibid., n. 9.*

691. **II. Ad Episcopum spectat quotannis præscrib ordinem divini Officii,** tum pro Missa celebranda, t pro Breviario recitando, servatis Rubricis ex jure commu

a) *Regulares* utriusque sexus, proprium Calendari non habentes, uti debent Calendario diœcesano, additis o ciis peculiariter sibi concessis. — *S. C. Rit., 22 julii 18*

b) *Orationes præscribere* possunt Episcopi, recitan

ntra vel extra Missam, a *Presbyteris* et *Christifidelibus*. Et ipsi *Regulares* recitare debent Collectas ab Episcopo præscriptas. — *Ex iter. dec. S. C. Rit.*

692. **III. De editionibus cantus liturgici,** cf. litteras Pii X motu proprio datas, die 25 apr. 1904 ; et S. C. Rit. decret., *11 et 14 aug. 1905 ; 8 dec. 1912.*

a) De forma *notularum* et de editionibus quas vocant *Rytmicas*, ad usum *scholarum cantorum* toleratas, Cf. decret. S. Congreg. Rituum, 14 feb. 1906 ; 25 jan. 1911 *(Acta, III, 67) ; et ejusd. S. Cong. responsionem, 23 jun. 1917 (Acta, IX, 396).*

b) *Propria* alicujus diœcesis, Ordinis seu Instituti cum cantu gregoriano, in triplici exemplari revisioni et approbationi S. C. Rit. una cum postulatione respectivi Episcopi, Ordinarii vel Superioris, subjicienda sunt. — *Cf. decret. S. C. Rit., 24 feb. 1911 et 3 jun. 1914 (Acta, III, 105 ; et VI, 316).*

693. **IV.** « **Musicæ** in quibus, sive organo aliisve instrumentis, sive cantu, *lascivum* aut impurum aliquid misceatur, ab ecclesiis omnino arceantur ; et *leges liturgicæ* circa musicam sacram serventur. » — *Cod., c. 1264, § 1. — Cf. Pii X motu proprio Inter plurimas, 22 nov. 1903.*

« *Religiosæ mulieres*, si eisdem liceat, ad normam suarum constitutionem vel legum liturgicarum, ac de venia Ordinarii loci, in propria ecclesia aut oratorio publico canere, *tali e loco* canant ubi a populo conspici nequeant. » — *Cod., ibid., § 2.*

ARTICULUS III

DE POTESTATE EPISCOPI QUOAD TEMPORA SACRA

« Tempora sacra sunt *dies festi ;* iisque accensentur dies *abstinentiæ* et *jejunii.* » — *Cod., c. 1243.*

« *Supputatio* diei festi, itemque diei abstinentiæ et jejunii, facienda est a media nocte usque ad mediam noctem. » — *Cod., c. 1246.*

694. **I. Unius est supremæ ecclesiasticæ auctoritatis** dies festos itemque dies abstinentiæ et jejunii, universæ

Ecclesiæ communes, constituere, transferre, abolere ». — *Cod., c. 1244, § 1.*

Ordinarii autem *locorum* nequeunt peculiares suis diœcesibus seu locis dies festos aut dies abstinentiæ et jejunii « nisi *per modum actus* » indicere. — *Ibid., § 2.*

695. **II. Dies festi sub præcepto in universa Ecclesia « sunt tantum :** Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis Almæ Genitricis Dei Mariæ, sancti Joseph ejus sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum ». — *Cod., c. 1247, § 1. — Cf. Pii X motu proprio Supremi disciplinæ, 2 jul. 1911.*

a) « Ecclesiastico præcepto dies festi *Patronorum* non subjacent ; locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem *transferre* ad dominicam proxime sequentem. » — *Cod., ibid., § 2.*

b) « Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit *abolitum* vel *translatum*, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. » — *Ibid., § 3. — Cf. n. 167.*

c) Equidem « ob mutatas temporum et civilis societatis conditiones » Pius X « ecclesiasticam legem de festis diebus ex præcepto servandis opportune temperandam censuit ».

Verumtamen « quum, perpensis temporum rerumque novarum adjunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum *sub præcepto*, quemadmodum non semel a Suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit ut eorum dierum festivitas *omnino supprimeretur* : vult immo Sanctitas Sua ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori quam antea solemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia.

» Ea vero fuit et est Sanctitatis Suæ mens, ut *relaxata maneat tantummodo sanctio* qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ab operibus servilibus ; idque potissimum ad evitandas frequentioris præcepti transgressiores, et ne forte contingeret ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur.

» Præcipit itaque Eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis ani-

marum curam gerentibus ut ipsi, dum hæc commissis sibi gregibus significant, *ne cessent eos hortari vehementer* ut, iis etiam diebus, *pergant* suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari, præsertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda. » — *S. C. Conc. litt., 3 maii 1912 (Acta, IV, 340).*

d) Quæsitum est a Pontificia Commissione « Utrum festa quæ *non enumerantur* in can. 1247, § 1, pso facto ipsaque lege nullibi sint amplius de præcepto, etiamsi in aliqua natione, diœcesi aut loco, antea fuerint de præcepto ex *particulari lege* vel *consuetudine* etiam centenaria loci, aut ex *speciali concessione* Sanctæ Sedis ?»

Responsum est : « *Affirmative*, ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus. » — *17 feb. 1918 (Acta, X, 170).*

696. **III.** « **Festis de præcepto diebus Missa audienda est; et abstinendum :** ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant *legitimæ consuetudines* aut *peculiaria indulta*, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus. » — *Cod., can. 1248.*

Legi de audiendo Sacro satisfacit « qui Missæ adest *quocunque catholico* ritu celebretur, sub dio aut in quacunque ecclesia vel oratorio *publico* aut *semi-publico*, et in privatis cœmeteriorum ædiculis de quibus in can. 1190, non vero in aliis oratoriis *privatis*, nisi hoc privilegium a Sede Apostolica concessum fuerit ». — *Cod., c. 1249.*

697. **IV. Abstinentiæ lex vetat** « carne jureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium ». — *Cod., c. 1250.*

Abstinentiæ lege *tenentur* « omnes qui septimum ætatis annum expleverint ». — *Cod., c. 1254.*

698. **V. Lex jejunii præscribit** « ut nonnisi *unica* per diem *comestio* fiat ; sed non vetat aliquid cibi *mane* et *vespere* sumere, servata tamen, circa ciborum quantitatem et qualitatem, probata locorum consuetudine ». — *Cod., c. 1251, § 1.*

a) « Nec vetitum est *carnes* ac *pisces* in eadem

refectione permiscere ; nec serotinam refectionem cum prandio permutare. » — *Ibid.*, § 2.

b) Lege jejunii *adstringuntur* « omnes ab expleto vicesimo primo ætatis anno ad inceptum sexagesimum ». — *Cod., c. 1254, § 2.*

699. **VI. Quod spectat ad dies abstinentia vel jejunio consecrandos :**

a) Lex *solius abstinentiæ* « servanda est singulis sextis feriis ». — *Cod., c. 1252, § 1.*

b) Lex *abstinentiæ simul et jejunii* « servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimæ et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparæ in cælum assumptæ, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini ». — *Ibid.*, § 2.

c) Lex solius jejunii « servanda est reliquis omnibus Quadragesimæ diebus ». — *Ibid.*, § 3.

d) Diebus *dominicis* vel festis *de præcepto* « lex abstinentiæ, vel abstinentiæ et jejunii, vel jejunii tantum, cessat, excepto festo tempore Quadragesimæ, nec pervigilia anticipantur ; item cessat *Sabbato Sancto* post meridiem ». — *Ibid.*, § 4.

Lex abstinentiæ non cessat « diebus festis sub præcepto in *universa* Ecclesia servatis sed in *Gallia* ex concessione Sanctæ Sedis *suppressis*, scilicet festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ». — *Commissio Pontificia, 17 feb. 1918 (Acta, X, 170).*

e) « His canonibus nihil immutatur de *indultis* particularibus, de *votis* cujuslibet personæ physicæ vel moralis, de constitutionibus ac regulis cujusvis *Religionis* vel *Instituti* approbati, sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis. » — *Cod., c. 1253.*

700. **VII. Ordinarii locorum et etiam parochi dispensare possunt a lege communi** de observantia festorum, itemque de observantia abstinentiæ et jejunii, « subjectos sibi *singulos* fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, *in*

casibus singularibus, justaque de causa ». — *Cod., can. 1245, § 1.*

« In religione clericali exempta, eamdem dispensandi potestatem habent Superiores, ad modum parochi », quod attinet ad novitios, professos, aliosve in domo diu noctuque degentes famulatus aut educationis causa. — *Ibid., § 3.*

701. **VIII. Totam quoque diœcesim seu locum** a jejunio et ab abstinentia, vel etiam ab utraque simul lege *dispensare* possunt *Ordinarii* « ex causa peculiari magni populi concursus aut *publicæ valetudinis* ». — *Cod., can. 1245, § 2.*

ARTICULUS IV

DE CULTU SERVORUM DEI

702. **I. Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet** « qui auctoritate Ecclesiæ inter *Sanctos* vel *Beatos* relati sint ». — *Cod., c. 1277, § 1.*

« In album Sanctorum canonice relatis cultus *duliæ* debetur ; *Sancti* coli possunt ubique et quovis actu ejus generis cultus ; *Beati* vero non possunt nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit. » — *Ibid., § 2.*

De causis *beatificationis* servorum Dei et *canonizationis* beatorum, cf. Cod., can. 1999-2141.

703. **II.** « **Bonum atque utile est** Dei Servos, una cum Christo regnantes, suppliciter *invocare*, eorumque *reliquias* atque *imagines* venerari ; sed, præ ceteris, filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur. » — *Cod., c. 1276.*

a) « Laudabiliter quoque, servatis servandis, *Sancti* nationum, diœcesium, provinciarum, confraternitatum, familiarum religiosarum aliorumque locorum et moralium personarum, *eliguntur* et, accedente confirmatione Sedis Apostolicæ, constituuntur *Patroni* ;

b) » *Beati* non item, sine peculiari ejusdem Sedis Apostolicæ indulto. » — *Cod., c. 1278.*

704. **III. Nova miracula** non sunt admittenda, nisi « *recognoscente* et *approbante Episcopo*, qui, simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati consentanea judicaverit ». — *Trid., sess. 25, De invocatione Sanctorum.*

a) Si Episcopus examinet *miracula nondum beatificatorum*, debet, antequam ea divulget aut divulgari permittat, totum negotium ad Sanctam Sedem transmittere, indeque responsum exspectare. — *Urbani VIII constit. Sanctissimus.*

b) Sententiam ab Episcopo latam de veritate facti præternaturalis, fideles accipere debent *cum obsequio reverentiali*, licet omne prorsus dubium non excludatur. In rebus enim hujusmodi non requiritur infallibilitas, sed sufficit moralis certitudo, ut prudens agendi ratio determinetur. — *Cf. Pii X encyc. Pascendi, 8 sept. 1907.*

ARTICULUS V

DE SACRIS IMAGINIBUS

705. **I. Nemini liceat « ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem** » in ecclesiis etiam *exemptis* aliisve locis sacris « nisi ab Ordinario loci sit approbata ». *Cod., c. 1279, § 1.*

a) « Ordinarius autem sacras imagines *publice* ad fidelium venerationem exponendas ne approbet quæ cum probato Ecclesiæ usu non congruant. » — *Ibid., § 2.*

b) « Nunquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi *falsi dogmatis* imagines vel quæ debitam *decentiam* et honestatem non præseferant, aut rudibus *periculosi erroris* occasionem præbeant. » — *Ibid., § 3. — Cf. Trid., XXV, de sac. imag.*

c) Firma Liturgiæ regula est : in *una* eademque *ecclesia*, eoque magis in *uno* eodemque *altari*, duas pluresve depictas tabulas aut statuas unum eumdemque Cœlitem referentes, vel si agatur de Beata Virgine, Deiparam referentes sub *uno eodemque titulo* invocatam,

publicæ venerationi exponi non posse. — *S. C. Rituum, 20 maii 1890, et 27 aug. 1892.*

706. **II. Licitæ sunt imagines :**

a) *Deum* repræsentantes sub ea forma qua Ipse hominibus apparuit. — *Cf. Bened. XIV const. Sollicitudini, 1 oct. 1745.*

Imagines *SS. Trinitatem* repræsentantes sub certis formis licitæ sunt : nempe quæ Deum *Patrem* continent in forma hominis senis, in cujus sinu sit *Christus*, et inter utrumque *Spiritus Sanctus* in forma columbæ ; vel imagines in quibus seorsim Deus Pater, in forma hominis senis, et seorsim Christus, sed propinqui ambo, et inter utrumque Spiritus Sanctus in forma columbæ.

Non licet SS. Trinitatem pingere *in utero B. M. V. ;* — nec sub figura *hominum tricipitis.* — An autem sub figura *trium hominum* æqualium et similium, disputatur. — *Bened. XIV, const. cit.*

b) *Imagines Æterni Patris* permissæ et approbatæ sunt, ut pingatur solus : tanquam ambulans et loquens in paradiso auditus est ab Adamo ; — item, ut innixus mysticæ scalæ visus est Jacob ; — seu ut miro modo conspiciendum se præbuit Moysi ; — seu ut Isaiæ apparuit tanquam rex in solio sedens ; — seu ut Danieli, veluti senex albo vestimento amictus. — *Bened. XIV, constit. cit.*

c) *Imagines Æterni Filii* permissæ et approbatæ sunt, ut pingatur solus : ut cum hominibus in diebus carnis suæ conversatus est, atque etiam, postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis aliisque manifestus apparuit ; — item, sub humana forma cruci affixus et mortuus ; — item, in forma agni. — *Ibid.*

Imagines *SS. Cordis Jesu* publicæ venerationi exponendæ, *personam Christi* cum corde exterius patente, et non solum Cor repræsentare debent. — Imagines autem *solum Cor* exhibentes, *privatæ devotioni* permittuntur, dummodo in altaribus publicæ venerationi colendæ non exponantur. — *S. Off., 26 jan. 1891.*

Et eadem S. Congregatio declaravit « *nova emblemata* Sacratissimi Cordis Jesu *in Eucharistia* non esse ab Apostolica Sede adprobanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse imagines Sanctissimi Cordis in ecclesia jam usitatas et adprobatas : quia cultus erga Sanctissimum Cor Jesu *in Eucharistia* non est perfectior cultu erga *ipsam Eucharistiam*, neque alius a cultu erga Sanctissimum Cor Jesu. » — *S. Off., 27 maii 1891 ; — S. C. Consist., 3 apr. 1915 (Acta, VII, 205).*

Insuper ad memoriam et normam revocata fuit præscriptio Pii IX 13 jan. 1875, nempe « monendos esse fideles, etiam Scriptores, qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id generis argumentis quæ *no-*

vitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito *desistant*, ac perpendant *periculum* quod subest pertrahendi fideles in *errorem* etiam circa fidei dogmata, et ansam præbendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinæ catholicæ ac veræ pietati ». — *S. Off.*, *27 maii 1891.* — *Cf. Decret. S. C. Rit.*, *28 mart. 1914 (Acta, VI, 146).*

d) *Imagines Spiritus Sancti* permissæ et approbatæ sunt : ut pingatur in forma columbæ ; — item in figura linguarum ignis, ubi representatur mysterium Pentecostes. — *Bened. XIV*, *cit. constit.*

Non tamen *Spiritus Sanctus* seorsim ab aliis duabus personis *humana specie*, seu viri, seu juvenis, depingi potest. — *Bened. XIV*, *const. cit.*

707. **III.** « **Imagines virorum ac mulierum qui cum fama sanctitatis decesserunt,** sed nondum beatificationis aut canonizationis honores consecuti sunt, neque *altaribus* utcumque imponi possunt, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve *sanctitatis signis ;*

» Possunt tamen eorum imagines, vel gesta ac facta, in *parietibus ecclesiæ*, seu in *vitris coloratis* exhiberi, dummodo imagines illæ, neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium præ se ferant, neque quidquam profani aut ab Ecclesiæ consuetudine alieni. » — *S. C. Rit.*, *14 aug. 1894.*

708. **IV. Si imagines, publicæ venerationi expositæ, sollemniter benedicantur,** « hæc benedictio *Ordinario reservatur*, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere ». — *Cod.*, *c. 1279, § 4.*

Imagines *pretiosæ*, idest vetustate, arte, aut cultu præstantes, in ecclesiis vel oratoriis publicis fidelium venerationi expositæ, si quando *reparatione* indigeant, « nunquam restaurentur sine dato scriptis *consensu* ab Ordinario ; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat ». — *Cod.*, *c. 1280.*

ARTICULUS VI

DE RELIQUIIS SANCTORUM

709. **I. Reliquiæ Sanctorum et Beatorum sunt** eorum *corpora* et corporis partes, etiam minimæ ; item *vestes*,

panni, vela quibus in vita usi sunt, vel quibus eorum corpora aut partes corporis post mortem fuerunt involuta ; *instrumenta* quoque pœnarum et mortificationum quibus utebantur, et alia hujusmodi.

a) Quamvis *quælibet* Sanctorum corporum pars *veneratione* colenda sit (hæc est enim Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtitubus plenitudo), nihilo tamen secius *major* solet esse *fidelium devotio* erga *integrum* alicujus Sancti corpus, aut ejusdem *membra præcipua*. Ideo distinctio inducta est inter reliquias *insignes*, et reliquias *non insignes*. — *S. Cong. Indulg., 12 jun. 1822.*

b) « *Insignes* Sanctorum vel Beatorum reliquiæ sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva. » — *Cod., can. 1281, § 2.*

710. **II. « Publico cultu eæ solæ reliquiæ in ecclesiis, quanquam exemptis, honorari possunt,** quas *genuinas* esse constet authentico documento alicujus S. R. E. Cardinalis, vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto apostolico sit concessa. » — *Cod., c. 1283, § 1.*

« *Vicarius Generalis* nequit, sine mandato speciali, reliquias authenticas edicere. » — *Ibid., § 2.*

a) « Locorum Ordinarii reliquiam, quam *certo* non esse authenticam norint, a fidelium cultu prudenter amoveant. » — *Cod., c. 1284.*

b) « Sacræ reliquiæ, quarum *authenticitatis documenta*, ob civiles perturbationes, vel ob aliam quamlibet causam interierint, *publicæ venerationi* ne exponantur nisi præcedat judicium Ordinarii loci, non autem Vicarii generalis sine mandato speciali. » — *Cod., c. 1285, § 1.*

c) « Reliquiæ tamen *antiquæ* ea in veneratione qua hactenus fuerunt sunt retinendæ, nisi, in aliquo peculiari

casu, certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse. » — *Ibid.*, § *2.* — *Cf. S. C. Indulg., 20 mai 1896 ; Pii X encyc. Pascendi, 8 sept. 1907 ; motu proprio Sacrorum Antistitum, 1 sept. 1910.*

d) « Locorum Ordinarii ne sinant, maxime in sacris concionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendæ pietati destinatis, ex mere conjecturis, ex solis *probabilibus* argumentis vel præjudicatis opinionibus, præsertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus, *quæstiones agitari* de sacrarum reliquiarum authenticitate. » — *Cod., c. 1286.* — *Cf. Pii X enc. cit.*

e) *Excommunicationem* Ordinario reservatam *ipso facto* contrahit « qui *falsas reliquias* conficit, aut scienter vendit, distribuit, vel publicæ fidelium venerationi exponit ». — *Cod., c. 2326.*

711. **III.** « **Reliquiæ cum exponuntur,** in thecis seu capsis *clausæ* et obsignatæ sint oportet. » — *Cod., can. 1287,* § *1.*

a) « Reliquiæ *SSmæ Crucis* nunquam *in eadem theca* cum reliquiis Sanctorum publicæ venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant. » — *Ibid.*, § *2.*

b) « *Beatorum* reliquiæ, sine peculiari indulto, in processionibus ne circumferantur, neve *in ecclesiis exponantur,* nisi ubi eorum officium et Missa celebretur ex Sedis Apostolicæ concessione. » — *Ibid.*, § *3.*

712. **IV. Sedulo advigilent Rectores ecclesiarum ceterique ad quos spectat,** « ne sacræ reliquiæ ullo modo *profanentur,* neve hominum incuria *pereant,* vel minus decenter custodiantur ». — *Cod., c. 1289,* § *2.*

a) « *Insignes* Sanctorum vel Beatorum reliquiæ nequeunt in ædibus vel oratoriis *privatis* asservari, sine expressa Ordinarii loci licentia.

b) » Reliquiæ *non insignes* debito cum honore etiam in domibus privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt. » — *Cod., c. 1282.*

c) « *Insignes reliquiæ* aut *imagines pretiosæ*, itemque aliæ reliquiæ aut imagines quæ in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide *alienari*, neque in aliam ecclesiam perpetuo *transferri*, sine Apostolicæ Sedis permissu. » — *Cod., c. 1281, § 1.*

713. **V.** « **Sacras reliquias vendere nefas est;**

a) » Adeoque Ordinarii locorum, Vicarii foranei, parochi, aliive curam animarum habentes, *sedulo caveant* ne sacræ reliquiæ, præsertim sanctissimæ Crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum, veneant, neve in acatholicorum manus transeant. » — *Cod., c. 1289, § 1.*

b) « Sanctissimæ Crucis reliquiæ quas in *cruce pectorali* Episcopus defert, Ecclesiæ cathedrali, *ipso defuncto*, cedunt, Episcopo successori transmittendæ ;

» Et, si defunctus *pluribus* præfuerit diœcesibus, ecclesiæ cathedrali diœcesis in cujus territorio supremum diem obiit, aut, si extra diœcesim mortuus est, ex qua ultimo discessit. » — *Cod., c. 1288.*

« Quod de Crucis dumtaxat reliquiis intelligendum est. Nam, de *thecis ex pretioso metallo* in crucis formam affabre factis, statuent quod opportunius videbitur : quæ, cum demptæ fuerint ss. ligni particulæ, donari, legari quibus placebit, ac, per privatos heredes distrahi, vendi, remota quavis indecoræ aut profanæ negotiationis specie, libere poterunt. » — *S. Off., 25 mart. 1889.*

ARTICULUS VII

DE SACRIS PROCESSIONIBUS

714. **I. Nomine sacrarum processionum significantur** « sollemnes supplicationes quæ a populo fideli, *duce clero*, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum ». — *Cod., c. 1290, § 1.*

a) « *Ordinariæ* sunt quæ statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel consuetu-

dinum ecclesiarum ; *extraordinariæ,* quæ aliis publicis de causis in alios dies indicuntur. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Curent Ordinarii ut sacræ processiones, exstirpatis, si qui sint, malis usibus, *ordinate* procedant, eaque modestia ac *reverentia* ab omnibus perficiantur quæ piis ac religiosis hujusmodi actibus maxime convenit. » — *Cod., c. 1295.*

715. **II.** « **Ordinarius loci,** audito Capitulo cathedrali, potest, ex publica causa, *extraordinarias processiones* indicere : quibus, sicut et ordinariis ac consuetis, ii omnes *interesse* debent de quibus in can. 1291, § 1. » — *Cod., can. 1292.* — *Cf. num. 718.*

716. **III.** « **Parochus,** vel quivis alius, nequit *processiones novas* inducere, aut consuetas transferre, sine Ordinarii loci licentia. » — *Cod., c. 1294,* § *1.*

« Processionibus alicujus ecclesiæ propriis *interesse debent* omnes clerici eidem ecclesiæ adscripti. » — *Ibid.,* § *2.*

717. **IV.** « **Religiosi,** etiam exempti, nequeunt *extra suas ecclesias et claustra* processiones ducere sine Ordinarii licentia, salvo præscripto can. 1291, § 2 » de processionibus intra octavam Corporis Christi. — *Cod., c. 1293.*

718. **V. Die festo Corporis Christi,** nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo, vel locorum circumstantiæ, prudenti Episcopi judicio, aliud exigant, « *unica* tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet *ab ecclesia digniore ;* eique clerici omnes religiosæque virorum familiæ, etiam exemptæ, et laicorum confraternitates *interesse* debent, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum distent ». — *Cod., c. 1291,* § *1.*

a) « Ceteræ parœciæ et ecclesiæ etiam regulares possunt, *intra octavam,* proprias processiones extra ecclesiæ ambitum agere ;

b) » Sed ubi *plures* sunt ecclesiæ, Ordinarii loci est dies, horas ac vias præstituere quibus suam quæque processionem agant. » — *Ibid.,* § *2.*

CAPUT VIII

DE ALIIS JURIBUS ET OFFICIIS EPISCOPORUM

Nempe : de obligatione residendi ; — de visitatione sacrorum liminum ; — de visitatione diœcesis ; — de obligatione Missam offerendi pro populo ; — de potestate et officio quoad indulgentias ; — quoad vota et juramenta ; — et tandem, de juribus Episcoporum utilibus et honorificis.

ARTICULUS I

DE OBLIGATIONE RESIDENDI

719. **I. Munia pastoralia « nequaquam ab iis præstari possunt qui gregi suo non invigilant,** sed mercenariorum more deserunt ». Ideoque Sancta Synodus *Tridentina* declaravit « omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis ac cathedralibus ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine et titulo præfectos, obligari ad *personalem* in sua *ecclesia* vel *diœcesi* residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur ». — *Sess. 23, cap. 1, De ref. — Cf. sess. 6, cap. 1, De ref. ; — Urbani VIII constit. Sancta synodus, 12 dec. 1634 ; et Bened. XIV constit. Ad universæ, 3 sept. 1746.*

Et « etiamsi Episcopi *Coadjutorem* habeant, tenentur lege personalis in diœcesi residentiæ ». — *Cod., c. 338, § 1.*

Utrum vero *jure divino*, vel *ecclesiastico* tantum, ad residentiam teneantur illi quibus animarum cura commissa est, quæstio fuit magno animorum æstu agitata in congregationibus Tridentinis, quam tamen Concilium noluit definire. — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 7, cap. 1.*

720. **II. Modo in diœcesi sua resideant,** licet extra civitatem episcopalem, huic obligationi satisfaciunt. — *Cf. Trid., loc. cit.*

Attamen « ab *ecclesia cathedrali* ne absint tempore Adventus et Quadragesimæ, diebus Nativitatis, Resur-

rectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, nisi ex *gravi* et urgenti causa ». — *Cod., c. 338, § 3.*

721. **III. Abesse possunt a suis diœcesibus :**

a) « Causa *visitationis* Sacrorum Liminum, *Conciliorum* quibus interesse debent, vel civilis *officii* suis ecclesiis legitime adjuncti ».

b) « *Æqua de causa,* non ultra *duos* vel ad summum *tres menses* intra annum, sive *continuos* sive *intermissos,* dummodo, cautum sit ne ex ipsorum absentia diœcesis quidquam detrimenti capiat ;

» Quod tamen tempus *conjungi nequit,* sive cum tempore sibi concesso occasione suæ promotionis, vel visitationis Sacrorum Liminum, vel adsistentiæ Concilio, sive cum tempore vacationum anni subsequentis ». — *Cod., can. 338. — Cf. Trid., loc. cit., — et Bened. XIV constit. Ad universæ, 3 sept. 1746.*

c) « Si ultra sex menses e diœcesi illegitime abfuerint, Episcopum Metropolita, ad normam can. 274, n. 4 *(cf. n. 583)*, Metropolitam antiquior Suffraganeus residens, Sedi Apostolicæ denuntiet. » — *Ibid., § 4. — Cf. Trid., Sess. 6, cap. 1, de reform.*

ARTICULUS II

DE VISITATIONE SACRORUM LIMINUM

« A remotissima Ecclesiæ ætate repetenda lex et consuetudo est qua singuli Episcopi, statis temporibus, Urbem petant, ut sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina *venerentur,* suæque statum diœcesis *exponant* Apostolicæ Sedi : cujus rei illustria monumenta veteres Ecclesiæ annales suppeditant.

722. **I.** « **Ejusmodi autem facti ratio in ipsa Ecclesiæ natura et constitutione nititur,** atque a *sacro Petri primatu* necessario fluit, cui christiani gregis universi commissa custodia est, per divina illa præcipientis Domini verba : *pasce agnos, pasce oves.* In utroque autem

munere, quum visitationis sacrorum Liminum, tum relationis de statu diœcesis, debitæ Petro ejusque successori submissionis et reverentiæ continetur officium. » — *Decret. S. C. Consist. 31 dec. 1909 (Acta, II, 13)*.

Porro, *abrogata*, jussu Pii X, *lege temporum* quibus hactenus visitanda fuerunt sacra limina et relatio Sanctæ Sedi exhibenda de statu diœcesis :

723. **II. Singulis quinquenniis omnes Episcopi tenentur « relationem Summo Pontifici facere** super statu diœcesis sibi commissæ, secundum formulam ab Apostolica Sede datam ». — *Cod., c. 340, § 1.*

a) « Quinquennia sunt *fixa* et *communia*, atque computantur a die 1 Januarii 1911 :

» In *primo* quinquennii anno relationem exhibere debent Episcopi Italiæ, insularum Corsicæ, Sardiniæ, Siciliæ, Melitæ, et aliarum minorum adjacentium ;

» In *altero*, Episcopi Hispaniæ, Portugalliæ, Galliæ, Belgii, Hollandiæ, Angliæ, Scotiæ, et Hiberniæ, cum insulis adjacentibus ;

» In *tertio*, ceteri Europæ Episcopi, cum insulis adjacentibus ;

» In *quarto*, Episcopi totius Americæ et insularum adjacentium ;

» In *quinto*, Episcopi Africæ, Asiæ, Australiæ et insularum his orbis partibus adjacentium. » — *Ibid.*, § 2.

b) « Si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit, ex toto vel ex parte, in *primum biennium* ab *inito* diœcesis regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest. » — *Ibid.*, § 3.

724. **III. Eo anno quo relationem exhibere tenentur,** omnes et singuli Episcopi « ad Urbem, *Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulchra* veneraturi, accedant, et *Romano Pontifici* se sistant ». — *Cod., c. 341, § 1.*

a) « Sed Episcopis qui extra Europam sunt, permittitur ut *alternis quinquenniis*, id est singulis decenniis, *Urbem* petant. » — *Ibid.*, § 2.

b) « Episcopus debet prædictæ obligationi satisfacere *per se*, vel per *Coadjutorem* si quem habeat, aut, ex justis causis a Sancta Sede probandis, per *idoneum sacerdotem* qui in ejusdem Episcopi diœcesi resideat. » — *Cod., c. 342.*

725. **IV. In relationibus ipsis conficiendis** formula servanda est quæ, ut Codicis præscriptionibus plenius respondeat, a S. Congreg. Consistoriali descripta est *die 4 nov. 1918,* et ab universis Ordinariis in posterum adhibenda erit, incipiendo scilicet a primo anno quinquennii tertii, hoc est ab anno 1921. — *Cf. Acta, X, 487.*

a) « Relatio lingua *latina* conscribenda est, et ab ipso Ordinario *subsignanda,* adjectis die, mense et anno quibus data fuerit.

» In *prima* cujusque Ordinarii relatione, ad singulas quæstiones accurate ac plene responderi debet.

» In relationibus quæ primam *sequentur,* Ordinarii omittere possunt ea omnia quæ partem materialem status diœcesis respiciunt et immutata manserint. » — *Ibid.*

b) Ad ipsam *S. Congregationem Consistorialem* spectat « cognitio eorum quæ ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum diœcesium ». — *Cod., c. 248, § 3.*

ARTICULUS III

DE VISITATIONE DIŒCESIS

726. **I. Visitationum** « **præcipuus sit scopus :** sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere ; bonos mores tueri, pravos corrigere ; populum cohortationibus et admonitionibus, ad religionem, pacem, innocentiamque accendere ; cetera, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere ». — *Trid., XXIV, 3, de ref.* — *Cod., can. 343, § 1.*

a) Itaque visitatio *personalis* est et *realis.*

1° Visitatio *personalis* est inquisitio de vita et moribus

personarum, deque earum officiis, videndi causa an eisdem rite fungantur.

2° *Realis* est inquisitio de administratione, custodia et statu ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum, de legatorum aliorumque piorum onerum satisfactione, deque aliis rebus hujusmodi. — *Soglia, Instit. juris privati*, § 7.

b) Hinc patet et visitationis *utilitas*.

« *Multa siquidem ignorabit Episcopus*, multa eum latebunt, vel saltem serius quam oportet intelliget, nisi ad omnes suæ diœceseos partes se conferat, et nisi *per seipsum* ubique *videat*, ubique *audiat*, ubique exploret quibus malis medicina facienda sit, et quænam fuerint eorum causæ, quave ratione occurri etiam providenter queat ne sublata reviviscant.

» Præterea, cum ea sit humanæ imbecillitatis conditio ut in agro dominico, cujus cultura commissa est Episcopo, *sensim vepres et spinæ et noxiæ inutilesque herbæ succrescant*, certe, nisi ad eas amputandas cultor crebro redeat, ille ipse nitor, vigiliis ejus laboribusque partus, progressu temporis deflorescet. » — *Bened. XIV constit. Ubi primum, 3 dec. 1740*, § 8.

727. **II. Episcopi quotannis debent diœcesim visitare, vel ex toto vel ex parte,** « ita ut saltem *singulis quinquenniis universam*, vel ipsi *per se*, vel, si fuerint legitime impediti, per *Vicarium generalem* aliumve lustrent ». — *Cod., c. 343*, § 1.

a) Agitur ergo de *obligatione personali*, cui Episcopi non possunt tuta conscientia satisfacere per delegatum, nisi legitime fuerint impediti.

« *Ipsismet* enim, non ministris, gregum suorum cura concredita est ; *ipsis* peculiaris Spiritus Sancti gratia, *ipsis* et charismatum dona fuerunt promissa. Ex quo fit ut oves *proprii Pastoris manu*, libentius quam a manu vicarii, salubria alimenta fiducialius petant et lætiori animo suscipiant, tanquam manu Domini, cujus in Episcopis suis venerantur personam. » — *Leonis XII enc., 3 maii 1824.*

b) « Fas est Episcopo *clericos duos* etiam e Capitulo sive cathedrali sive collegiali *sibi adsciscere* visitationis comites atque adjutores ; eosque, quos maluerit, eligere,

reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine. » — *Cod., c. 343, § 2.*

c) Si obligationi visitandæ diœcesis Episcopus graviter defuerit, Metropolita canonicam visitationem peragere potest ad normam can. 274 n. 5. — *Cf. n. 584, c.*

728. **III. Ordinariæ episcopali visitationi obnoxiæ sunt :**

a) « Personæ, res ac loca pia, quamvis exempta, quæ *intra diœcesis ambitum* continentur, nisi probari possit *specialem* a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam ». — *Cod., c. 344, § 1.*

b) « Religiosos autem *exemptos* Episcopus visitare potest in casibus tantum in jure expressis. » — *Ibid., § 2.* — *Cf. n. 1303.*

729. **IV. In visitatione potestatem habent Episcopi** « ea ordinandi, moderandi, puniendi, exsequendi, juxta canonum sanctiones, quæ illis, ex prudentia sua, pro *subditorum emendatione* ac *diœcesis suæ utilitate* necessaria videbuntur ». — *Trid., sess. 24, cap. 10, De ref.*

a) Eorum quæ præcipue sunt a visitatore advertenda longum indicem proposuit *Monacelli*, quem transcriptum reperies apud *Ferraris, verb. Visitare, n. 121.* — Similem habes apud *Gavantum* in « *Praxi visitationis* ».

Ritus autem in visitatione servandos describit *Pontificale Romanum, part. 3.* — *Cf. Gavant., op. cit.*

Normæ pro sacra Visitatione in *Urbe* peragenda propositæ sunt a *S. Cong. Visitationis Apostolicæ, die 8 martii 1904*, quæ omnibus Visitatoribus et visitatis, etiam extra Urbem et ipsam Italiam, possunt esse valde utiles. — *Cf. ephem. Acta S. Sedis, vol. 37, fasc. 3 et seq.*

b) « Visitator, in iis quæ *objectum* et *finem* visitationis respiciunt, debet *paterna forma* procedere, et ab ejus præceptis ac decretis datur recursus *in devolutivo* tantum ;

» In *aliis* vero causis, etiam tempore visitationis, Episcopus ad normam juris procedat necesse est. » — *Cod.,*

can. 345. — Cf. Trid., XXIV, 10, De ref. ; et Bened. XIV const. Ad militantis, 30 mart. 1742.

730. **V.** « **Studeant Episcopi debita cum diligentia, sine inutilibus tamen moris, pastoralem visitationem absolvere ;**

» Caveant ne *superfluis sumptibus* cuiquam graves onerosive sint, neve ratione visitationis ipsi, aut quisquam suorum, pro se suisve *dona* quodvis genus petant aut accipiant, reprobata quavis contraria consuetudine ;

» Circa vero victualia sibi suisque ministranda, vel *procurationes* et expensas itineris, servetur legitima locorum consuetudo. » — *Cod., c. 346. — Cf. Trid., XXIV, 3, de reform.*

ARTICULUS IV

DE OBLIGATIONE MISSAM OFFERENDI PRO POPULO

731. **I.** « **Omnis pontifex** ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis....* Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. » — *Epist. ad Hebr.*, v, *1.*

a) Unde, Patres Tridentini, qui hanc obligationem sacrificium pro ovibus offerendi *ex præcepto divino* repetunt *(sessione 23, cap. 1, De ref.)*, et deinceps *(ejusdem sess. cap. 14, De ref.)* jubent Episcopos curare ut omnes presbyteri, « saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent », eos profecto *tacite* monuerunt ne officio justo ac debito, quod ab inferioribus animarum pastoribus exigerent, ipsi deessent. — *Leonis XIII constit. In suprema, 4 id. jun. 1882.*

b) Et Doctorum sententia est, hoc officium majori ratione ad *Episcopos* quam ad *Parochos* pertinere, quia pastorale munus *immediate* et *principaliter* ad eos pertinet. — *Cf. cit. constit.*

732. **II.** « **Omnibus dominicis aliisque festis diebus de præcepto, etiam suppressis,** Missam *pro populo* sibi commisso applicare » debent Episcopi, « *post captam sedis possessionem,* omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota ». — *Cod., c. 339,* § *1.*

Dicitur « *etiam suppressis* », nam « nihil hac in re per Codicem juris canonici immutatum est a disciplina huc usque vigente ». — *Commiss. Pont., 17 feb. 1918 (Acta, X, 170).*

a) « In festo *Nativitatis Domini,* et si quod festum de præcepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam *unam* pro populo applicent. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque *obligationes* audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem ;* secus in die *a quo.* » — *Ibid.,* § *3.*

c) « Licet Episcopus *duas* vel *plures diœceses* æque principaliter unitas regat, aut, præter propriam diœcesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per celebrationem et applicationem *unius Missæ* pro universo populo sibi commisso. » — *Ibid.,* § *5.* — *Leonis XIII constit. cit.*

733. **III. Episcopus Missam pro populo** « **per se ipse** » **applicare debet,** diebus supra indicatis.

a) « Si ab ejus celebratione legitime *impediatur,* statis diebus applicet *per alium.*

» Si neque id præstare possit, quam primum vel per se ipse vel per alium applicet alia die. » — *Cod., c. 339,* § *4.*

b) Episcopus autem « qui obligationi de qua in superioribus paragraphis *non satisfecerit,* quam citius pro populo tot applicet Missas quot omisit ». — *Ibid.,* § *6.*

734. **IV. Vicarii et Præfecti Apostolici,** « Missæ sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent : *saltem* in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis Beatæ

Mariæ Virginis, Sancti Joseph ejus sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium sanctorum, servato præscripto can. 339 » ut supra. — *Cod., c. 306.*

735. **V. Episcopi titulares** hac obligatione non tenentur, cum *actuali* jurisdictione careant. — *Cf. n. 782.* Sed « decet ex *caritate*, citra tamen obligationem, ut aliquando Missæ sacrificium pro sua diœcesi applicent ». — *Cod., c. 348, § 2. ; — Leonis XIII constit. cit.*

ARTICULUS V

DE POTESTATE ET OFFICIO EPISC. QUOAD INDULGENTIAS

« Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo *pœnæ temporalis* debitæ pro peccatis, ad culpam quod attinet jam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiæ concedit, pro *vivis* per modum absolutionis, pro *defunctis* per modum suffragii. » — *Cod. c. 911.*

§ I. De indulgentiarum concessione

736. **I. Præter Romanum Pontificem** cui totius spiritualis Ecclesiæ thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, « ii tantum possunt potestate *ordinaria* indulgentias elargiri quibus id expresse a jure concessum est ». — *Cod., c. 912 — Cf. Ben. XIV, de syn., lib. 2, cap. 9, n. 7.*

a) « Inferiores Romano Pontifice nequeunt :

» 1° Facultatem concedendi indulgentias *aliis committere*, nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum ;

» 2° Indulgentias concedere *defunctis applicabiles ;*

» 3° Eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui jam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentiæ concessæ sint, *alias adjungere*, nisi *novæ conditiones* adimplendæ præscribantur. » — *Cod., c. 913.*

b) Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro *omnibus fidelibus* « obligatione tenentur, sub pœna nullitatis gratiæ obtentæ, *authentica exemplaria* earundem concessionum ad *Sacram Pænitentiariam* deferendi ». — *Cod., c. 920.*

Sed indulgentiæ *particulares*, quantumvis late pateant, nec facultates benedicendi pia objecta eisque indulgentias et privilegia adnectendi, quibusvis sacerdotibus tributas, non necesse est Congregationis ejusdem recognitioni subjicere. — *Bened. XV motu proprio, 16 sept. 1915 (Acta, VII, 458).*

737. **II. Ex potestate ordinaria :**

a) Episcopi *residentiales*, in suæ jurisdictionis locis, concedere possunt indulgentias *quinquaginta* dierum. — *Cod., c. 349, § 2, n. 2.*

Et quidem Episcopi etiam *non consecrati*, post captam tamen possessionem, quia talis potestas non est *Ordinis*, sed *jurisdictionis*. — *Ibid.*

Eamdem potestatem habent Vicarii et Præfecti apostolici, nec non Prælati *nullius (cf. can. 294, § 2 et can. 323)* ; non autem Episcopi titulares nec Vicarii generales.

b) *Metropolitæ*, non solum in suis, sed etiam in suffraganeis diœcesibus, indulgentias *centum* dierum concedere possunt. — *Cod., c. 274, n. 2.*

c) *Cardinales* facultate gaudent « concedendi indulgentias *ducentorum dierum*, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suæ jurisdictionis vel protectionis ;

» Item in *aliis locis*, sed a præsentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas ». — *Cod., c. 239, § 1, n. 24.*

d) « Cum *consecratur ecclesia* vel *altare*, Episcopus consecrator, licet jurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit *unius anni* ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die ;

» In die vero *anniversaria*, quinquaginta dierum, si sit *Episcopus ;* centum, si *Archiepiscopus ;* biscentum, si *S. R. E. Cardinalis.* » — *Cod., c. 1166, § 3.*

e) Nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab *Episcopo* concessas lucrari possunt « tum *subditi* extra territorium, tum *peregrini*, *vagi*, omnesque *exempti* in territorio degentes ». — *Cod., c. 927.*

738. **III. Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, secundum præscriptam formulam,**

a) « Impertiri possunt Episcopi in sua quisque iœcesi bis in anno, hoc est die sollemni Paschatis Resurectionis et alio die festo sollemni ab ipsis designando, tiamsi iidem Missæ sollemni adstiterint tantum ;

b) » Abbates autem vel Prælati *nullius*, Vicarii et ’ræfecti Apostolici, etsi episcopali dignitate careant, id ossunt in suis territoriis uno tantum ex sollemnioribus er annum diebus ». — *Cod., c. 914.*

c) « *Regulares,* qui privilegium habent impertiendi enedictionem papalem, non solum obligatione tenentur ervandi formulam præscriptam, sed hoc privilegio uti equeunt nisi in *suis ecclesiis* et in ecclesiis monialium el tertiariorum suo Ordini *legitime aggregatorum ;* non utem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat. » – *Cod., c. 915.*

739. **IV. Publicationi indulgentiarum**

a) Episcopi invigilare debent, ne falsæ vel dubiæ emere evulgentur, sive in *scriptis* sive in concionibus. — *Cf. Trid., XXI, 9, De ref.* — Ideo :

1° « Novæ indulgentiæ, ecclesiis etiam Regularium oncessæ, quæ *Romæ promulgatæ* non sint, ne pervulentur inconsulto Ordinario loci. » — *Cod., c. 919, § 1.*

2° « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, olia, etc., in quibus earum concessiones continentur, ne dantur sine licentia Ordinarii loci. » — *Cod., c. 1388, § 1.*

b) « Requiritur vero expressa licentia *Sedis Aposolicæ* ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum *collecionem authenticam* precum piorumque operum quibus edes Apostolica indulgentias annexuit, tum *elenchum* ndulgentiarum apostolicarum, tum *summarium* indulentiarum vel antea collectum, sed nunquam approatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colliendum. » — *Cod., c. 1388, § 2.*

c) *Quæstum facientes* ex indulgentiis « plectuntur so facto *excommunicatione* Sedi Apostolicæ simpliciter eservata ». — *Cod., c. 2327.*

740. **V. Ad genuinam interpretationem decretorum quibus indulgentiæ conceduntur :**

a) « Indulgentia plenaria concessa pro festis Domini Nostri Jesu Christi, vel pro festis Beatæ Mariæ Virginis, intelligitur concessa dumtaxat pro festis quæ in *calendario universali* reperiuntur. » — *Cod.*, c. *921*, § *1.*

b) « Concessa indulgentia plenaria vel partialis pro festis *Apostolorum*, intelligitur concessa dumtaxat pro eorum *festo natali.* — *Ibid.*, § *2.*

c) « Indulgentia plenaria concessa, ut *quotidiana perpetua* vel *ad tempus*, visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium, ita intelligenda est ut *quacunque die*, sed *semel* tantum in anno, ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur. » — *Ibid.*, § *3.*

d) « Ad lucrandam indulgentiam *alicui diei affixam*, si visitatio ecclesiæ vel oratorii requiratur, hæc fieri potest a meridie diei præcedentis usque ad mediam noctem quæ statutum diem claudit. — *Cod.*, c. *923.*

e) « Indulgentiæ adnexæ festis vel sacris supplicationibus vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quæ ante aut post festum vel etiam ejus octavario perdurante peraguntur, *translatæ* intelliguntur in eum diem quo festa hujusmodi legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum Missa sine sollemnitate et externa celebratione ac translatio fiat in perpetuum vel si transferatur sive ad tempus sive in perpetuum sollemnitas et externa celebratio. » — *Cod.*, c. *922.*

f) « Plenaria indulgentia *ita concessa intelligitur* ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet. » — *Cod.*, c. *926.*

§ II. De indulgentiarum acquisitione

741. **I.** « **Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias** debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiæ saltem in fine operum præscriptorum, subditus concedentis. » — *Cod.*, c. *925*, § *1.*

742. **II.** « **Ut vero subjectum capax eas revera lucretur,** debet habere *intentionem* saltem generalem eas acquirendi, et opera injuncta *implere* statuto tempore ac

ebito modo secundum concessionis tenorem. » — *Cod.*, *ın. 925*, § *2.*

a) « Ad quaslibet indulgentias lucrandas *confessio* forte requi-ta peragi potest intra octo dies qui immediate præcedunt diem cui dulgentia fuit affixa ; *communio* autem in pervigilio ejusdem diei ; raque vero etiam intra subsequentem totam octavam. » — *Cod.*, *n. 931*, § *1.*

b) « Pariter, ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in iduum, hebdomadam, etc., ductis concessas, confessio et commu-o fieri etiam potest *intra octavam* quæ immediate sequitur exer-tium expletum. » — *Ibid.*, § *2.*

c) « Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem s *in mense* ad *pœnitentiæ sacramentum* accedere, aut *sanctam mmunionem* in statu gratiæ et cum recta piaque mente recipere *otidie*, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem stineant, possunt omnes indulgentias consequi etiam *sine ac-ali confessione* quæ ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, ceptis indulgentiis sive jubilæi ordinarii et extraordinarii sive ad star jubilæi. » — *Ibid.*, § *3.*

d) « Si ad lucrandas indulgentias *oratio* in genere ad mentem ımmi Pontificis præscribatur, *mentalis* tantum oratio non suffi-t ; oratio autem *vocalis* poterit arbitrio fidelium deligi, nisi pecu-ıris aliqua assignetur. » — *Cod.*, *c. 934*, § *1.*

« Si *peculiaris oratio* assignata fuerit, indulgentiæ acquiri pos-nt *quocunque idiomate* oratio recitetur, dummodo de fidelitate rsionis constet ex declaratione vel Sacræ Pœnitentiariæ vel unius Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio ; d indulgentiæ penitus cessant ob quamlibet additionem, detractio-m, vel interpolationem. » — *Ibid.*, § *2.*

« Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem *alternis m socio* recitare, aut mente eam prosequi dum ab alio recita-r. » — *Ibid.*, § *3.*

« *Muti* lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si a cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios ısus ad Deum attollant ; et, si agatur de privatis orationibus, is est ut eas *mente* recolant *signisve* effundant vel tantummodo *ılis* percurrant. » — *Cod.*, *c. 936.*

e) « Pia opera ad lucrandas indulgentias injuncta, confessarii sunt *in alia commutare* pro iis qui, legitimo detenti impedi-nto, eadem præstare nequeant. » — *Cod.*, *c. 935.*

f) « Opere, cui præstando quis lege aut præcepto *obligatu* nequit indulgentia lucrifieri nisi in ejusdem concessione aliud ex presse dicatur ;

» Qui tamen præstat opus sibi in *sacramentalem pœnitentia* injunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et pœnitenti satisfacere et indulgentias lucrari. » — *Cod., c. 932.*

g) « Fideles utriusque sexus qui, perfectionis studio vel instit tionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus eccl sia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum con titutis, *vitam communem* agunt, itemque personæ omnes ad ill ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulge tias præscribatur visitatio alicujus *ecclesiæ non determinatæ*, v indeterminati alicujus publici oratorii, visitare queunt *propriæ d mus sacellum* in quo obligationi audiendi Sacrum jure satisface possunt, dummodo cetera opera injuncta rite præstiterint. » - *Cod., c. 929.*

h) Indulgentias pro quibus lucrandis recitatio precum una cu aliquo corporis actu injungitur, quem *mutilati* peragere impar sunt, isti lucrari valent fusis dumtaxat precibus. — *S. Pœni 22 oct. 1917 (Acta, IX, 539).*

743. **III.** « **Uni eidemque rei vel loco plures ex vari titulis adnecti possunt indulgentiæ;**

» Sed *uno eodemque opere*, cui ex variis titulis indulge tiæ adnexæ sint, non possunt plures acquiri indulgenti nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut ni aliud expresse cautum fuerit. » — *Cod., c. 933.*

744. **IV. Semel tantum in die acquiri potest indu gentia plenaria,** etsi idem opus præscriptum pluries pon tur, « nisi aliud expresse cautum sit ». — *Cod., c. 928,* §

« *Partialis indulgentia,* nisi contrarium expresse not tur, *sæpius* per diem, eodem opere repetito, potest luci fieri. » — *Ibid.,* § *2.*

745. **V.** « **Nemo indulgentias acquirens potest e aliis in vita degentibus applicare;**

» Animabus autem in *purgatorio* detentis indulgenti omnes a Romano Pontifice concessæ, nisi aliud conste applicabiles sunt. » — *Cod., c. 930.*

746. **VI. Ex aliis decretis circa indulgentias,** a SS. Congregationibus vel immediate a Romano Pontifice editis sequentia adnotare juvat :

a) Imagines depictæ aut sculptæ, ex quacumque materia confectæ quæ usu *facile frangitur*, nequeunt indulgentiis ditari.

Sed coronæ Mariales etiam ex *vitro* confectæ, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto, indulgentias recipere possunt. — *S. C. Indulg., 29 febr. 1820 ; 1 apr. 1887.*

b) In coronis Marialibus subjectum indulgentiæ sunt *globuli*, non autem filum seu ligatura, quæ, si abrumpatur, potest alia suppleri quin cesset indulgentia, etiamsi globuli permixti essent ex ruptura. — *S. C. Indulg., 10 jan. 1839.*

Item in crucifixis indulgentia adnectitur ipsi *imagini Christi*, non autem cruci quæ potest mutari. — *S. C. Indulg., 11 apr. 1840.*

c) Nulla *per se* exigitur determinata formula in applicandis alicui rei indulgentiis. Sufficit simplex signum crucis. — *S. C. Indulg., 29 feb. 1864.*

Per accidens tamen requiritur quando pro aliqua benedictione peculiaris formula sit *præscripta*, v. gr. pro rosario PP. Prædicatorum.

d) « Indulgentiæ coronis aliisve rebus adnexæ tunc tantum *cessant* cum coronæ aliæve res prorsus desinant esse vel vendantur. » — *Cod., c. 924,* § 2.

e) Omnibus fidelibus, tam *uni* quam *pluribus* veri nominis atque a Sancta Sede probatis *scapularibus* (exceptis quæ Tertiorum Ordinum sunt propria) per regularem, ut aiunt, impositionem jam *adscriptis*, aut in posterum *adscribendis*, licet « pro ipsis, sive uno sive pluribus scapularibus ex panno, *unicum numisma* ex metallo, seu ad collum seu aliter, decenter tamen et super propriam personam, deferre, quo, servatis propriis cujusque eorum legibus, favores omnes spirituales (*sabbatino* quod dicunt scapularis B. M. V. de Monte Carmelo *privilegio* non excepto) omnes indulgentias singulis adnexas participare ac lucrari possint ». — *S. C. S. Offic. decret., 16 dec. 1910 (Acta, III, 22).*

1° Hujus numismatis pars *recta*, « SSmi D. N. J. C. suum sacratissimum Cor ostendentis » ; *aversa* autem « Bmæ Virginis Mariæ effigiem » referre debet. — *Ibid.*

2° Idem benedictum esse oportet « tot *distinctis benedictionibus* quot sunt scapularia regulariter imposita ». — *Ibid.*

Singulæ istæ benedictiones impertiri possunt « *unico crucis signo*,

vel in ipso adscriptionis actu, *statim* post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam *serius*, pro petentium opportunitate ».

3° Nec interest « an servato vel non diversarum adscriptionum ordine, nec quanto post temporis ab ipsis, a quovis sacerdote, etiam ab adscribente diverso, qui respectiva *scapularia benedicendi* sive *ordinaria* sive *delegata facultate* polleat ». — *Ibid.*

4° Sacerdos pollens facultate Scapularia imponendi, potest, unico signo crucis pro unoquoque Scapulari, « benedicere *publice* omnia *numismata* quæ habent fideles in ecclesia vel in quodam conventu, quin hæc numismata *videantur*, nec in individuo cognoscantur ». — *S. C. S. Off., 4 jun. 1913 (Acta, V, 303).*

5° Numisma toties benedicendum est « quoties, primo deperdito vel usu detrito, novum sufficitur ». — *S. C. S. Off., 11 maii 191(* *(Acta, VIII, 175).*

§ III. De altari privilegiato

747. **I. Per indulgentiam altari privilegiato adnexam** *si spectetur mens concedentis* et usus potestatis clavium intelligendam esse indulgentiam plenariam quæ animam statim liberet ab omnibus Purgatorii pœnis ; *si ver(o) spectetur applicationis effectus,* intelligendam esse indulgentiam cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito e(t) acceptationi respondet, communiter tradunt Auctores. — *Sac. Cong. Indulg., 28 jul. 1840. — Cf. Béringer, Le(s) indulgences,* 2e *partie, 3e sect., n. 25.*

748. **II. Duplex est indultum altaris privilegiat(i)** *locale* scilicet et *personale.*

Privilegium *locale* ipsi altari conceditur ; privilegiu(m) vero *personale* personæ celebrantis adhæret, ita ut Miss(a) ab eo super quocumque altari celebrata, præfatam indu(l)gentiam habeat adnexam.

749. **III.** « **In suis ecclesiis cathedralibus, abbatial(i)bus, collegiatis, conventualibus, parœcialibus, quas(i) parœcialibus,** non autem in oratoriis publicis vel sem(i)publicis, nisi sint ecclesiæ parœciali unita seu ejusde(m) subsidiaria, Episcopi, Abbates vel Prælati *nullius*, Vica(rii) ac Præfecti Apostolici et Superiores majores religion(um)

clericalis exemptæ, possunt designare et declarare *unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum*, dummodo aliud non habeatur. » — *Cod., c. 916.*

a) « Ut indicetur altare esse privilegiatum, nihil aliud inscribatur nisi : *altare privilegiatum*, perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non, secundum concessionis verba. » — *Cod., c. 918, § 1.*

b) « Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, major exigi Missæ eleemosyna. » — *Ibid., § 2.*

750. **IV.** « **Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum,** *omnes Missæ* gaudent privilegio ac si essent ad altare privilegiatum celebratæ. » — *Cod., c. 917, § 1. — Ben. XV constit. Incruentum altaris, 10 aug. 1915 (Acta, vol. VII, 401).*

Et « omnia altaria ecclesiæ per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio *Quadraginta Horarum*, sunt privilegiata ». — *Ibid., § 2.*

751. **V. Altare privilegiatum locale regulariter non conceditur nisi sub sequentibus conditionibus,** nempe :

a) Ut non adsit *in eadem ecclesia* altare *similiter privilegiatum.*

Hæc autem verba debent *proprio* et *obvio sensu* accipi, adeo ut, ex. gr., privilegium pro omnibus defunctis alicui altari concessum non opponatur altari privilegiato concesso pro certo genere personarum, nec postremum hoc privilegium opponatur altari privilegiato pro alio genere personarum, ex. gr. alterius Confraternitatis. — *Cf. resp. S. C. Indulg., 21 maii 1742, et 30 jan. 1843.*

b) Ut privilegium pluribus simul defunctorum animabus applicari nequat. — *S. Cong. Indulg., 19 febr. 1864, 19 jun. 1830. — S. Pœnit., 6 jul. 1917.*

Imo, indulgentia non potest applicari nisi pro anima *illius defuncti* pro qua sacerdos *Missam* celebrat ; sub ista enim conditione indulta conceduntur. — *Cf. resp. S. C. Indulg., 18 dec. 1885, et 25 aug. 1897.*

Neque indulgentia altaris privilegiati *separari* potest

quando celebratur sacrificium pro vivis, ita ut indulgentia prædicta applicari possit pro defunctis ad libitum celebrantis. — *S. C. Indulg., 25 aug. 1897, et 23 jan. 1901.*

Sed Missa celebrata ad altare privilegiatum pro aliquo particulari defuncto est *per se privilegiata,* neque necesse est ut, vel offerens eleemosynam, vel sacerdos, intendat applicare privilegium. — *S. C. Indulg., 12 mart. 1855. — S. C. S. Offic., 17 jun. 1915 (Acta, VII, 410).*

Nec, si Missa *pro pluribus defunctis* celebretur, privilegium inutile evasit eo quod uni determinatæ animæ non applicetur. Nam indulgentia, saltem ab una anima quæ Deo placuerit, lucrifieri potest. — *S. C. Indulg., 14 jun. 1880.*

c) Sacra Congregatio S. Officii, annuente S. P. Pio X, decrevit : « Ad *altaris privilegiati,* quod vocant, indulgentiam lucrandam, non amplius in posterum sub pœna nullitatis requiri Missam *de Requie* aut de feria vel vigilia cum oratione defuncti propria celebrari ; id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac decet, pietatis gratia erga defunctum ». — *S. Off., 19 feb. 1913 (Acta, V, 122).*

ARTICULUS VI

DE POTESTATE EPISCOPI QUOAD VOTUM ET JUSJURANDUM

752. **I.** « **Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.** » — *Cod., c. 1307, § 1.*

a) « Nisi jure prohibeantur, omnes congruenti *rationis usu* pollentes, sunt voti capaces. » — *Ibid., § 2.*

b) « Votum metu gravi et injusto emissum ipso jure *nullum* est. » — *Ibid., § 3.*

753. **II.** « **Votum est :**

a) » *Publicum,* si, nomine Ecclesiæ, a legitimo Superiore acceptetur ; secus *privatum ;*

b) » *Sollemne,* si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum ; secus *simplex ;*

c) » *Reservatum*, cujus dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest ;

d) » *Personale*, quo actio voventis promittitur ; *reale* quo promittitur res aliqua ; *mixtum* quod personalis et realis naturam participat. » — *Cod., c. 1308.*

e) « Vota *privata* Sedi Apostolicæ *reservata* sunt tantummodo : votum *perfectæ ac perpetuæ castitatis* et votum *ingrediendi in religionem votorum sollemnium*, quæ emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum. » — *Cod., c. 1309.*

f) « Votum non obligat, ratione sui, nisi *emittentem*. » Sed « voti *realis* obligatio transit ad heredes, item obligatio voti *mixti* pro parte qua reale est ». — *Cod., can. 1310.*

754. **III.** « **Cessat votum :** lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi ; mutatione substantiali materiæ promissæ ; deficiente conditione a qua votum pendet, aut ejusdem causa finali ; irritatione ; dispensatione ; commutatione. » — *Cod., c. 1311.*

a) « Qui potestatem *dominativam* in voluntatem voventis legitime exercet, potest ejus vota *valide*, et, ex justa causa, etiam licite *irrita reddere*, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat. » — *Cod., c. 1312, § 1.*

b) « Qui potestatem, non quidem in voluntatem voventis, sed in *voti materiam* habet, potest voti obligationem tamdiu *suspendere* quamdiu voti adimplementum sibi præjudicium afferat. » — *Ibid.*, § *2.*

c) « Vota *non reservata* possunt, justa de causa, *dispensare*, dummodo dispensatio ne lædat jus aliis quæsitum :

» 1° *Loci Ordinarius*, quod attinet ad omnes suos subditos, atque etiam peregrinos ;

» 2° *Superior* religionis clericalis *exemptæ*, quod attinet ad personas quæ can. 514, § 1, enumerantur », nempe novitios, professos, aliosve in domo diu noctuque degen-

tes causa famulatus aut educationis, aut hospitii, aut infirmæ valetudinis ;

» 3° Ii quibus Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas. » — *Cod., c. 1313.*

d) « Opus voto *non reservato* promissum potest in *melius* vel in æquale bonum ab ipso vovente *commutari ;* in *minus* vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi. » — *Cod., c. 1314.*

e) « Vota ante professionem religiosam emissa *suspenduntur* donec vovens in religione permanserit. » — *Cod., c. 1315.*

755. **IV.** « **Jusjurandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, præstari nequit nisi in veritate, in judicio et in justitia.** » — *Cod., c. 1316, § 1.*

a) « Jusjurandum quod canones exigunt vel admittunt, per *procuratorem* præstari valide nequit. » — *Cod., can. 1316, § 2.*

b) « Qui *libere* jurat se aliquid facturum, peculiari *religionis* obligatione tenetur implendi quod jurejurando firmaverit. » — *Cod., c. 1317, § 1.*

» Jusjurandum per *vim* aut *metum gravem* extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest. » — *Cod., c. 1317, § 2.*

» Jusjurandum, nec vi nec dolo præstitum, quo quis privato bono aut favori *renuntiat* lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis æternæ. » — *Ibid., § 3.*

c) « Jusjurandum *promissorium* sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur. » — *Cod., c. 1318, § 1.*

« Si actui directe vergenti in *damnum aliorum,* aut in præjudicium *boni publici* vel *salutis æternæ* jusjurandum adjiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem. » — *Ibid., § 2.*

d) « Jusjurandum *stricte* est interpretandum secundum jus et secundum intentionem jurantis, aut, si hic

dolo agat, secundum intentionem illius cui juratur. » — *Cod., c. 1321.*

756. **V. Obligatio jurejurando inducta desinit :**

a) « Si *remittatur* ab eo in cujus commodum jusjurandum emissum fuerat ;

b) » Si res jurata *substantialiter mutetur*, aut, mutatis adjunctis, fiat sive *mala* sive omnino *indifferens*, aut denique *majus bonum impediat ;*

c) » Deficiente *causa finali* aut *conditione* sub qua forte jusjurandum datum sit ;

d) » Irritatione, dispensatione, commutatione ». — *Cod., c. 1319.*

Porro, « qui irritare, dispensare, commutare possunt *votum*, eandem potestatem eademque ratione habent circa jusjurandum promissorium ;

» Sed, si jurisjurandi dispensatio vergat in *præjudicium* aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest jusjurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiæ ». — *Cod., c. 1320.*

ARTICULUS VII

DE JURIBUS EPISCOPORUM UTILIBUS ET HONORIFICIS

757. **I. Ab accepta authentica notitia peractæ canonicæ provisionis,** Episcopi, sive residentiales sive titulares, præter alia privilegia quæ suo loco recensentur, facultate gaudent :

a) « Celebrandi super *aram portatilem*, non solum in domo propriæ habitationis, sed ubicumque degunt ; et permittendi ut alia Missa, ipsis adstantibus, celebretur » ; itemque « celebrandi *in mari* debitis cautelis adhibitis » ;

b) « In omnibus ecclesiis et oratoriis Missam celebrandi proprio calendario conformem », et « fruendi *altari privilegiato* personali quotidiano » ;

c) « Lucrandi in *propriis sacellis* indulgentias ad quas acquirendas præscripta sit *visitatio* templi alicujus vel publicæ ædiculæ civitatis seu loci in quo commorentur, quo privilegio etiam eorum familiares frui possunt » ;

d) « Sibi, suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis qui, si *jurisdictione* careat, eam *ipso jure* obtinet, etiam quod spectat ad peccata et censuras, *reservatas* quoque, exceptis censuris Sedi Apostolicæ *specialissimo modo* reservatis, et illis quæ adnexæ sunt revelationi secreti S. Officii », sed non exceptis casibus « loci etiam Ordinario reservatis » ;

e) « Verbum Dei *ubique* prædicandi, cum consensu saltem præsumpto Ordinarii loci » ;

f) « Celebrandi vel alii permittendi ut coram se celebret unam Missam in feria quinta majoris hebdomadæ ac tres Missas in nocte Nativitatis Domini, dummodo non teneantur celebrare in ecclesia cathedrali » ;

g) « Benedicendi ubique solo crucis signo, cum omnibus *indulgentiis* a Sancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, numismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi *sine onere inscriptionis* » ;

h) « Sub unica benedictione erigendi in ecclesiis et oratoriis etiam *privatis*, aliisque locis piis, *stationes Viæ Crucis* cum omnibus indulgentiis quæ hujusmodi pium exercitium peragentibus impertitæ sunt ;

» Nec non benedicendi pro fidelibus qui causa infirmitatis vel alius legitimi impedimenti sacras stationes *Viæ Crucis* visitare nequeant, *Crucifixi icones* cum applicatione omnium indulgentiarum devoto exercitio ejusdem Viæ Crucis a Romanis Pontificibus adnexarum » ;

i) « Deferendi *insignia episcopalia* ad normam legum liturgicarum ». — *Cod., c. 349 et 239.* — *Cf. n. 1276, c; et rescriptum S. C. Rit., 26 nov. 1919,* quo varia dubia de quibusdam Episcoporum privilegiis insignibus ac functionibus enodandur *(Acta, XII, 177).*

Pileolo violacei coloris omnes Episcopi etiam non consecrati libere uti valent ; idque etiam dum sacris operantur, non tamen a Præfatione usque ad Communionem. — *Pii IX litt., 17 jun. 1867 ; S. Cong. Consist., 2 maii 1910 (Acta, II, 330).*

Et S. Pont. Leo XIII iisdem concessit ut *bireto etiam violacei coloris* utantur. — *Brev. Præclaro, 3 febr. 1888.*

758. **II. A capta vero possessione,**

a) « Episcopi *residentiales* habent præterea jus : 1° percipiendi *reditus* mensæ episcopalis ; 2° concedendi *indulgentias* quinquaginta dierum in suæ jurisdictionis locis ; 3° elevandi in omnibus ecclesiis suæ diœcesis *thronum* cum baldachino ». — *Cod., c. 349, § 2.*

b) Item jus habent ut in omnibus Missis quæ in propria diœcesi celebrentur, tum a religiosis, tum a sæcularibus, *nominentur in canone ;* ac die anniversaria suæ præconizationis et consecrationis fiat *collecta* ejusdem anniversarii.

Porro, de mandato Pii X, dies anniversaria electionis seu translationis Episcopi, ad effectum Missæ seu Collectæ respondentis, juxta *Cæremoniale Episcoporum (lib. 2, cap. 35)*, quoad Episcopos in *Consistorio* electos seu translatos, « computanda est a die publicationis consistorialis ».

Quoad ceteros autem Episcopos *antea electos* seu translatos, in posterum, « non a die enuntiationis in Consistorio, sed a die *expeditionis* decretorum seu litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium ». — *S. C. Rit., 8 jun. 1910 (Acta, II, pag. 486).*

« Quapropter etiam *Collecta* pro eligendo novo Episcopo tempore Ecclesiæ vacationis, juxta dispositionem Cærem. Episc., deinceps *continuabitur* usque ad diem qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per litterarum Apostolicarum expeditionem, a Curía diœcesana rite *evulgata* fuerit. » — *S. C. Rit., 8 jul. 1910 (Acta, II, 552).*

759. **III. « Episcopis ubique is honor tribuatur qui eorum dignitati par est. »** — *Trid., sess. 25, cap. 6, De ref.*

a) « *In suo territorio* Episcopus *præcedit* omnibus Archiepiscopis et Episcopis, exceptis Cardinalibus, Legatis Pontificiis et proprio Metropolita.

» *Extra territorium* serventur normæ traditæ in can. 106. » — *Cod., c. 347.* — *Cf. n. 679.*

b) Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi omnes, tam residentiales quam titulares, « in posterum, in suis *sigillis* et insignibus seu *armis*, itemque in edictorum inscriptionibus, titulos nobiliares, coronas, signa, aliasque notas *sæculares* quæ nobilitatem *propriæ familiæ* vel *gentis* ostendant, addere penitus prohibentur, nisi forte dignitas aliqua sæcularis *ipsi episcopali* aut archiepiscopali sedi sit adnexa ». — *S. C. Congr. Consist., 15 jan. 1915 (Acta, VII, 172).*

760. **IV. Pontificalia exercere potest Episcopus** « **in tota diœcesi,** ne exceptis quidem locis exemptis »; non vero extra diœcesim « sine expresso, vel saltem rationabiliter præsumpto *consensu* Ordinarii loci, et, si agatur de ecclesia exempta, de consensu Superioris religiosi ». — *Cod., c. 337, § 1.* — *Cf. Trid., VI, 5, de ref.*

a) « *Exercere pontificalia* in jure est sacras functiones peragere quæ ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram. » — *Ibid., § 2.*

b) « Episcopus, licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum *throni* cum baldachino. » — *Ibid., § 3.*

761. **V.** « **Cathedraticum, seu moderatam taxam,** determinandam ad normam can. 1507, nisi jam antiqua consuetudine fuerit determinata », omnes ecclesiæ vel beneficia jurisdictioni Episcopi subjecta, itemque laicorum Confraternitates, « debent *quotannis* Episcopo solvere in signum subjectionis ». — *Cod., c. 1504.*

Porro, ad normam can. 1507, *taxam præfinire* « est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum provinciæ ; sed nulla vi præfinitio ejusmodi pollet nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit ».

762. **VI. Extraordinariam et moderatam exactionem,** « speciali diœcesis necessitate impellente », potest Episcopus « omnibus beneficiariis, sive sæcularibus sive religiosis » imponere. — *Cod., c. 1505.* — *Cf. Ben. XIV, De syn., lib. 5, c. 6 et 7.*

« Aliud tributum in bonum diœcesis vel pro patrono imponere ecclesiis, beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis, quamquam sibi subjectis, Ordinarius potest tantummodo *in actu fundationis* vel *consecrationis.*

» Sed nullum imponi tributum potest super *eleemosynis Missarum*, sive manualium sive fundatarum. » — *Cod., c. 1506.*

763. **VII.** « **Bona mensæ episcopalis ab Episcopo diligenter administrentur.** » — *Cod., c. 1483,* § *1.*

a) « *Domus episcopalis* sarta tectaque conservetur et, si opus sit, restauretur et reparetur impensis ejusdem mensæ, quoties hujusmodi onera ex peculiari titulo aliis non incumbant. » — *Ibid.,* § *2.*

b) « Curent quoque Episcopi ut, accurato *inventario* confecto, utensilia omnia, vel bona mobilia domui episcopali forte addicta atque in mensæ dominio constituta, *ad successorem* ex toto secureque transmittantur. » — *Cod., can. 1483,* § *3.*

CAPUT IX

DE SYNODIS EPISCOPORUM

Quemadmodum conventus hominum, deliberandi vel aliquid decernendi causa instituti, *Synodi* apud Græcos, *Concilia* apud Latinos dicebantur, ita, in Ecclesia, utroque nomine appellantur cœtus et consessus catholicorum Antistitum qui, ecclesiasticis de causis, unum in locum convenerunt.

Jam inde *ab Apostolorum ævo*, æstimatum est bene Ecclesiæ futurum, si graviora negotia, si controversiæ disceptationesque componerentur ac definirentur ab Episcopis in unum congregatis. — Quod non semel fecerunt Apostoli, quos inter se convenisse constat : ut alius sufficeretur Apostolus Judæ proditori, ut eligerentur diaconi, curarenturque viduæ, ut christiani mosaica lege et circumcisione soluti declararentur. — *Devoti*, *Instit. can.*, *Proleg.*, § *37*.

Concilia Episcoporum dividuntur in *generalia* et *particularia*, quæ iterum vel *plenaria* sunt, vel *provincialia*.

ARTICULUS I

DE CONCILIO GENERALI

764. **I. Concilium generale,** seu *œcumenicum*, est illud ad quod, auctoritate Romani Pontificis, convocantur omnes *ex toto orbe* catholici Episcopi, ad deliberandum, sub Pontificis vel Legatorum ejus præsidentia, de negotiis universalis Ecclesiæ.

a) Concilia generalia non sunt Ecclesiæ *absolute et simpliciter necessaria,* ut ipsa praxis testatur.

Nam de *præcepto* Christi Domini non constat; neque ex *natura rei* colligi potest illa absoluta necessitas Conciliorum œcumenicorum ad finem Ecclesiæ consequendum, cum eidem per plenitudinem potestatis Romani Pontificis sit sufficienter provisum. — *Wernz, Jus decret., tom. 2, n. 846.*

b) Sunt tamen *maxime utilia ;* et Romani Pontifices, in *gravissimis negotiis,* hæc ut ordinarium medium adhibuerunt.

Unde, *in consecratione Episcoporum*, voluerunt ab ipsis exigere juramentum relatum in *cap. 4, De jurejurando* : « Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione ».

765. **II. « Dari nequit Œcumenicum Concilium quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum. »** — *Cod., can. 222, § 1.*

Solus enim Romanus Pontifex habet supremam in *omnes* totius orbis Episcopos auctoritatem, et curam universalis Ecclesiæ.

Nec juvat objicere quod olim *Imperatores* convocabant ipsi concilia, quæ tamen ut legitima habita sunt ; quia isti Principes concilia non convocarunt coactive et auctoritative, sed solum *exhortative* et *opitulative.*

Imperator enim suadere et exhortari potest, imo, tanquam exsecutor mandati et voluntatis Pontificiæ, opitulari, ac *brachium et adjutrices manus* porrigere, ut Patres tuto congregentur, defendantur, et definita, juxta Romani Pontificis determinationem, exsecutioni mandentur.

Unde, ubi legitur Imperatores sive Reges concilia indixisse, debet intelligi quod ipsi hoc fecerint, vel mandante, vel consulente, vel exhortante Romano Pontifice. — *Cf. dist. 17, per totum ; — Ferraris, v. Concilium, art. 1, n. 15, sq.*

766. **III. Vocantur ad Concilium generale :**

a) Omnes Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi qui *in actuali alicujus ecclesiæ regimine* jurisdictionem obtinent, etiam nondum consecrati. — *Cod., c. 223, § 1.*

Ad omnes istos siquidem spectat ex officio in conciliis generalibus *jus suffragii deliberativi,* quia, cum sub Romano Pontifice sint pastores ecclesiarum, ipsisque commissum sit munus regendi Ecclesiam Dei, ad ipsos *jure divino* pertinet, sub eodem Romano Pontifice, definire quæ credenda sunt et agenda, scilicet causas fidei decernere, et negotia ecclesiastica in conciliis œcumenicis legitime congregatis tractare.

b) Item *vocandi* sunt et « jus habent suffragii *deliberativi :* S. R. E. Cardinales, etsi non Episcopi ; Abbates

vel Prælati *nullius ;* Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum, non autem aliarum religionum nisi aliud convocationis decretum ferat ». — *Cod., c. 223, § 1.*

Equidem, *de jure divino* nullus est qui debeat vocari præter Episcopos, ut constat ex vera Ecclesiæ constitutione, et speciatim, quoad parochos et clericos inferiores, ex propositione 10 synodi Pistoriensis damnata a Pio VI. — Verum *ratio est præfatas personas delegandi*, quia Cardinales in Curia, Generales et Abbates in suis Ordinibus religiosis, aliqua jurisdictione pollent ; et, pro negotiis in Concilio agendis, eorum præsentia valde opportuna esse potèst.

Non tamen *Vicarii Capitulares* convocantur. Ideo nec in concilio Vaticano admissi sunt.

c) Etiam Episcopi *titulares* vocati ad Concilium, « suffragium obtinent *deliberativum* nisi aliud in convocatione expresse caveatur ». — *Cod., c. 223, § 2.*

d) Solent quoque vocari aliqui *insignes Theologi et sacrorum canonum Doctores*, non quidem cum jure suffragii *decisivi*, sed ut res in *deliberationem* trahendas præparent et discutiant, difficultates expendant, definienda aut decernenda rationibus illustrent, etc.

Item vocantur *Officiales* et *ministri* Concilii, ut Secretarii, Notarii, Apparitores, etc.

e) Ipsi *Principes* et *Imperatores* vocari consueverant, non quidem tanquam judices : « Illicitum est enim, aiebat Theodosius junior in epistola ad Ephesinam synodum, eum qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporum ecclesiasticis immisceri tractatibus » ; sed, ut Patrum securitati prospicerent, tumultusque compescerent, et conciliorum definitiones atque decreta sua auctoritate tuerentur.

Unde, si quando conciliaribus canonibus subscripserunt, eorum subscriptio longe diversa fuit a subscriptione Episcoporum ; Episcopi enim *definiendo*, Imperatores autem *consentiendo* id fecerunt.

Verum, in *ultimo concilio*, nempe *Vaticano*, mutatis circumstantiis et attenta malitia temporum, id unum in votis habuit Summus Pontifex Pius IX, ut supremi omnium populorum Principes non impedirent venerabiles sacrorum Antistites, ipsisque faverent, in majorem Dei gloriam, ejusdemque Concilii bonum.

f) Summus Pontifex concilium generale indicens, aliis litteris monet et rogat Episcopos *communionem cum Apostolica Sede non habentes*, ut, dilectionis antiquæ legibus renovatis, ad Synodum convenire velint, et, post longam mœroris nebulam, serenum omnibus unionis optatæ jubar illucescat. — *Cf. Pii IX litt. Arcano Divinæ Providentiæ, 8 sept. 1868.*

Item omnes Protestantes aliosque *acatholicos*, occasione concilii Vaticani, Pius IX specialibus litteris hortatus est ut ad ovile Christi redirent. — *Cf. litt. Jam vos omnes, 13 sept. 1868.*

767. **IV. Facta convocatione, necesse non est ut omnes Episcopi conveniant,** sed sufficit ille numerus Episcoporum qui, cum Pontifice, dici potest repræsentare universam Ecclesiam docentem.

Unde, non requiritur ut *major pars*, vel *determinatus numerus* Episcoporum, in locum Concilii actu conveniant.

a) « Si quis ex vocatis ad Concilium, eidem, justo impedimento detentus, interesse non possit, mittat *procuratorem* et impedimentum probet. » — *Cod., c. 224, § 1.*

b) « Procurator, si fuerit unus e Concilii Patribus, duplici suffragio non gaudet ;

» Si non fuerit, publicis tantum sessionibus *interesse* potest, sed *sine suffragio ;* expleto autem Concilio, hujus acta *subscribendi* jus habet. » — *Ibid.*, § 2.

c) Consessus sunt duplicis generis : vel *congregationes* generales, vel *sessiones* publicæ.

In congregationibus, præviæ *discussiones* habentur, pro sententia decisiva in sessionibus publicis ferenda.

d) « Nemini eorum qui Concilio interesse debent, licet ante *discedere* quam Concilium sit rite absolutum, nisi a Concilii Præside cognita et *probata discessionis causa*, et impetrata abeundi licentia. » — *Cod., c. 225.*

768. **V. Concilio generali præesse,** sive *per se*, sive per suos *Legatos*, munus est proprium S. Pontificis, quod, præter *honorem* sessionis, *auctoritatem* etiam in regendis discussionibus importat. — *Cod., c. 222, § 2.*

a) Id probatur ex natura *Primatus* Romani Ponti-

ficis. — Siquidem, auctoritative præsidere consilio generali, est pars nobilissima *regiminis Ecclesiæ universalis,* quæ illius omnino esse debet cujus est auctoritative præsidere toti Ecclesiæ, cogere omnes Episcopos ad concilium, et in eos etiam collective sumptos habere superioritatem, et ad quem pertinent omnes causæ in concilio pertractandæ. Atqui, hæc omnia proprie et exclusive Romano Pontifici competunt.

Probatur etiam ex *constanti Ecclesiæ praxi.* — Et, si objiciant Imperatorem præsedisse plerisque conciliis œcumenicis in Oriente celebratis, respondendum est Imperatores præsedisse quidem *loco* et *honore* (nunquam tamen præsente Papa), at minime *auctoritative ;* vel, si aliquo modo auctoritative, id egisse ad *protegendum* concilium et servandum ordinem, non autem ad *definiendum* aut statuendum quidpiam in concilio.

b) Jus *proponendi res disceptandas,* supremo plenoque gradu, est penes Romanum Pontificem, ut evidenter ex iisdem principiis deducitur.

Sed « propositis a Romano Pontifice quæstionibus Patres possunt *alias addere,* a Concilii tamen Præside ante probatas ». — *Cod., c. 226.*

c) Ejusdem Romani Pontificis est « Concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, ejusque decreta confirmare ». — *Cod., c. 222, § 2.*

d) Si contingat Romanum Pontificem, durante Concilii celebratione, e vita decedere, ipso jure hoc *intermittitur* donec novus Pontifex illud resumi et continuari jusserit. » — *Cod., c. 229.*

769. **VI. Ut habeatur decretum vere auctoritativum Concilii generalis,** necesse est ut *duo elementa* concurrant : consensus nempe *Episcoporum* in concilio coadunatorum, et assensus *Supremi Pontificis.*

a) Necessarius est *consensus Episcoporum,* quia, in concilio generali, Episcopi jure divino sedent ut veri *judices,* non vero ut simplices *consiliarii.*

1° Nam, sicut Apostolis cum Petro adunatis, ita *Episcopis cum Papa collectis,* fuit a Christo concessa vera

potestas judiciaria ac legislativa, qualis fuerat Petro seorsum tradita. — *Matth.*, xviii, *18 ;* xvi, *19.*

Unde, in synodo Apostolorum Hierosolymis celebrata, non solum Petrus judicavit, sed post ipsum Jacobus ; et sententia de legalibus lata, tribuitur *omnibus* Apostolis et senioribus : « Visum est Spiritui Sancto et nobis ». — *Act.*, *XV*, *28.*

Et, ut constat ex perpetua conciliorum praxi, Episcopi hac formula subscribunt : « *Ego N. definiens, vel judicans, subscripsi* ».

2° Non tamen requiritur ut consensus Patrum sit physice vel moraliter *unanimis*, etiam ad definiendum dogma fidei. Sed sufficit simplex *majoritas* votorum ad legitimam decisionem.

Id eruitur *ex ipsa natura cujuscumque collegii*, ubi certe major pars suffragiorum sufficit, nisi specialis quædam exceptio possit probari, de qua hac in re nullo jure cavetur.

Porro, constanti *praxi et traditione Ecclesiæ* idem confirmatur. Et revera, Romanus Pontifex, et consentiens major pars Episcoporum, vere constituunt collegium Episcoporum, atque *universam repræsentant Ecclesiam* docentem et regentem, cui Christus Dominus suam assistentiam promisit. — *Wernz, loc. cit., n. 847.*

b) Necessarius est quoque *assensus Romani Pontificis.* Decretum enim concilii œcumenici prodire debet a *corpore Pastorum ;* sed *caput* hujus corporis moralis est Romanus Pontifex. — *Cf. Cod., c. 227.*

Præterea, certum quidem est Ecclesiam Christi in fidei unitate esse indefectibilem ; sed ejus unitatis character essentialis est ut sit unita cum capite, nempe Rom. Pontifice.

Verum, remota fraude et dolo, « *consensio* inter caput et corpus *nunquam*, ex promissionibus Christi, *deesse poterit....* Numquid in aliquo concilio inspexisti caput divulsum a corpore, aut monstruosum illud chimericum certamen capitis ex una parte, et membrorum ex altera ? Unus semper corporis et capitis nutus, unus assensus fuit, tum extra concilium, tum in concilio ». — *Muzarelli, De auctorit. Rom. Pontif., tom. 1, cap. 4 ; et tom. 2, cap. 12.*

770. **VII. Confirmatio Romani Pontificis** *multiplici modo* potest conciliis generalibus accedere.

Vel enim Pontifex *personaliter* adest concilio, vel tantum præest per *Legatos.*

a) *In primo casu,* confirmationem impertitur eo ipso quod sententiam suam dicit, vel mere accedendo ad Patrum judicium, vel illud proponendo aut promulgando ut legitime prolatum.

Cæterum, si præsens sit Pontifex, decreta non inscribuntur nomine concilii, sed *nomine Pontificis,* ut in omnibus fere conciliis Occidentalibus factum est, et in ultimo Vaticano, cujus decreta inscripta sunt : « *Pius Episcopus, servus servorum Dei, sacro approbante concilio* ».

b) *In altero casu :*

1° Aliquando mittuntur Legati cum *instructione determinata* Summi Pontificis ; et tunc, quemadmodum omne judicium prolatum contra mandatum Pontificis, sive alias dissentiant sive consentiant Legati, nullam habet vim ; ita, e contra, omnis decisio facta a concilio juxta talem instructionem, jam præhabet auctoritatem Papæ, nec *requirit ulteriorem confirmationem,* nisi forte ut innotescat Ecclesiæ omnia in concilio fuisse rite facta juxta mentem et instructionem S. Pontificis.

2° Aliquando vero mittuntur Legati *sine hujusmodi instructione ;* et tunc, ut rata sint et firma decreta in concilio edita, etiam consentientibus Legatis, necesse est ut accedat *confirmatio Papæ,* quia sententia Legati non est proprie sententia capitis concilii et Principis totius Ecclesiæ.

771. **VIII. Auctoritas concilii œcumenici** summa est, sive in definiendo catholico *dogmate,* sive in stabilienda *disciplinari* constitutione. — *Cod., c. 228, § 1.*

a) Illa quæ in œcumenicis conciliis de *fidei dogmatibus* et *doctrina morum* sancita sunt, atque a Summo Pontifice approbata, divinam obtinent auctoritatem, ita ut *infallibiles* seu *irreformabiles* definitiones exhibeant, ut constat ex ipsis Christi promissionibus et ex perpetuo Ecclesiæ sensu. — *Cf. Matth.,* XVIII, *18 ;* XXVIII, *19, 20; Act.,* XV, *28, sq.*

Sed « declarata seu *definita* dogmatice res nulla intelligetur nisi id *manifeste* constiterit. » — *Cod., c. 1323, § 3.*

b) *Constitutiones disciplinares* universos Christifideles obligant, tanquam regulæ generales Spiritu Dei conditæ. Verum hujusmodi canones qui de disciplina sunt, uti postulat ratio temporum, *immutari* possunt, sive a Romano Pontifice, sive ab alio concilio generali ; quo sensu sanctus Augustinus ait : « concilia plenaria priora posterioribus immutari ». — *Confess., lib. 3, cap. 7.*

c) Ex dictis patet decreta conciliaria *ex se* plene obligare, ita ut nulla *subsequenti Ecclesiæ receptione* indigeant unde vim atque valorem mutuent.

ARTICULUS II

DE CONCILIIS PLENARIIS ET PROVINCIALIBUS

772. **I. Concilium plenarium** habetur cum Ordinarii *plurium provinciarum ecclesiasticarum* in Concilium conveniunt, sub Legati Romani Pontificis præsidentia. — *Cod., c. 281.*

a) *Celebriora* sunt, in antiquitate, concilia plenaria *Ecclesiæ Africanæ*, et, hac ætate nostra, concilia plenaria Episcoporum Americæ Septentrionalis, quæ *Baltimori* habita sunt, itemque concilium plenarium *Americæ latinæ*, an. 1899 in Urbe celebratum.

b) *Comitia cleri Gallicani*, quæ olim singulis decenniis habebantur, non erant concilia nationalia, sed conventus ecclesiastici ad *negotiorum temporalium tractationem*, in quibus Episcopi, data opportuna occasione, multa etiam sæpe gesserunt in ordine spirituali. — *Cf. Icard., Prælect., n. 222.*

773. **II. Non nisi ex delegatione Sedis Apostolicæ** concilia plenaria accipiunt legitimam *constitutionem* et *auctoritatem*.

Pro *constanti certaque regula* fuit in tota retro antiquitate admissum : non posse ulla concilia Episcoporum absque assensu Romani Pontificis celebrari. — *Cf. can. 1, sq., dist. 17.*

Concilia ipsa provincialia, licet ab ipso jure præscripta, non celebrantur absque *consensu Romani Pontificis*, sed consentiente, et *implicite* per legem ipsam præcipiente, Pontifice ; insuper, nequeunt eorum decreta publicari quin prius Sedi Apostolicæ subjecta et ab ea recognita fuerint.

a) Ideo, ad Romanum Pontificem spectat *circumscribere territorium* ex quo Metropolitæ et Episcopi ad concilium plenarium conveniant.

Nam Episcopi diversarum provinciarum, pro suo arbitrio, concilium commune, cum *jurisdictione superiore* in omnes illas provincias, absque licentia Sedis Apostolicæ celebrare nequeunt. — *Cf. Cod., c. 281.*

b) Item, a Sede Apostolica designandus est *delegatus* qui, *cum auctoritate,* Ordinarios illius territorii ad concilium plenarium *convocet,* eique præsideat. — *Cod., ibid.*

Etenim, ex disciplina vigente, *omnes Metropolitæ* sunt *æquales* et immediate Sedi Apostolicæ subjecti. *Primates* vero, aut omnino non existunt, aut merum *titulum honorificum*, non plenam jurisdictionem Patriarchæ vel Primatis, habent ; aut, si quid jurisdictionis primatialis retinuerunt, nequaquam certum jus convocandi concilia plenaria, sive nationalia, absque licentia Sedis Apostolicæ, sibi competere sufficienter demonstrare possunt.

774. **III.** « **Concilio plenario assistere debent cum suffragio deliberativo :** præter Legatum Apostolicum, Metropolitæ, Episcopi residentiales, qui, sui loco, mittere possunt Coadjutorem vel Auxiliarem, Apostolici diœcesium Administratores, Abbates vel Prælati *nullius,* Vicarii Apostolici, Præfecti Apostolici, Vicarii Capitulares. » — *Cod., c. 282, § 1.*

a) « Etiam Episcopi *titulares,* in territorio degentes, si a Legato Pontificio, secundum receptas instructiones, ad Concilium *vocentur,* adesse debent, habentque suffragium *deliberativum,* nisi in convocatione aliud expresse caveatur. » — *Ibid., § 2.*

b) « Alii ex utroque clero viri, forte ad Concilium invitati, suffragio non gaudent nisi *consultivo.* » — *Ibid., § 3.*

775. **IV. Concilium provinciale est :** Consessus Episcoporum alicujus provinciæ, præside Metropolita.

a) « Metropolita, eoque legitime impedito vel sede archiepiscopali vacante, Suffraganeus antiquior promotione ad ecclesiam suffraganeam :

» 1° *Locum* ad celebrandum Concilium intra provinciæ territorium, auditis omnibus qui assistere debent cum suffragio deliberativo, eligit ; cessantibus tamen impedimentis, *metropolitana ecclesia* ne negligatur ;

» 2° Concilium convocat eique præest. » — *Cod., c. 284*, — *Cf. Trid.*, XXIV, *2, de ref.*

b) « Episcopi qui nulli Metropolitæ subjiciuntur, Abbates vel Prælati *nullius*, et Archiepiscopi Suffraganeis carentes, *aliquem viciniorem Metropolitam*, nisi forte jam elegerint, semel pro semper, prævia Sedis Apostolicæ approbatione, *eligant*, cujus Concilio provinciali cum aliis intersint, et quæ ibi ordinata fuerint observent et observanda curent. » — *Cod., c. 285.*

c) Acta et decreta Conciliorum particularium, quæ sæculo XIX celebrata sunt, sedulo recensuit *Collectio Lacensis.*

776. **V.** « **Vicesimo saltem quoque anno** » **in singulis provinciis ecclesiasticis** celebretur provinciale concilium. — *Cod., c. 283.*

a) Sed « ut, collatis consiliis, videant quænam in diœcesibus agenda sint ut bonum religionis promoveatur, eaque *præparent* de quibus in futuro Concilio provinciali erit agendum », Metropolita, eoque deficiente, antiquiore Suffraganeis » curet ut Ordinarii locorum saltem *quinto quoque anno*, stato tempore, apud Metropolitam aliumve Episcopum comprovincialem conveniant ». — *Cod., c. 292, § 1.*

Etiam Episcopi aliique de quibus in can. 285 *(cf. num. 775, b)*, « una cum aliis Ordinariis convocari et convenire debent ». — *Ibid., § 2.*

Et « iidem Ordinarii congregati sedem proximi conventus designent. » — *Ibid., § 3.*

b) « Sane, ex hujusmodi conventuum frequentia : primum ea sequitur summa consentio et *consociatio virium* quæ, una, magnis incœptis faustos dare potest exitus ; tum coeuntium Antistitum magis magisque incenduntur ad agendum animi, confirmatur fiducia, collustrantur mentes, collatis consiliis, et invicem sapientiæ luminibus communicatis.

» Ad hæc, per hosce cœtus *sternitur via* quodammodo, tum ad

diœcesanas et *provinciales* habendas synodos, tum ad cogendum *nationale* concilium.

» Illud etiam optimum sequitur : ut *laici fideles*, novis veluti stimulis admotis, alacrius gradientes ea quam iniere via, pergant et ipsi conventus agere, consilia conferre, junctisque viribus conniti ad communem tuendam religionis causam, ac, dicto audientes Pastoribus suis, ea studiose peragere quæ ab ipsis docentibus et cohortantibus exceperint. » — *Leonis XIII Enc. Pastoralis vigilantiæ, ad Episc. Lusitaniæ, 25 jun. 1891. — Cf. Leonis XIII et Pii X epist. ad Episc. Austriæ, Hungariæ, etc. ; Sac. Cong. Episc. et Reg., 22 jul. 1898 ; et litt. card. Merry del Val ad Archiepisc. Senonen., 16 oct. 1908.*

c) Quod attinet ad *sacerdotum conventus*, eos « Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent : ut nulla fiat rerum tractatio quæ ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent ; ut nihil proponatur vel postuletur quod sacræ potestatis occupationem inferat ; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat.

» Cœtibus ejusmodi, quos singulatim scripto aptaque tempestate permitti oportet, nullus *ex alia diœcesi* sacerdos intersit nisi litteris sui Episcopi commendatus. » — *Pii X encyc. Pascendi, 8 sept. 1907.*

777. **VI. Ad Concilium provinciale vocandi sunt** et convenire debent cum voto *deliberativo*, præter Episcopos, Abbates vel Prælatos *nullius* et Archiepiscopos Suffraganeis carentes qui aliquem Metropolitam elegerunt, Suffraganei omnes, Apostolici diœcesium Administratores, Vicarii et Præfecti Apostolici et Vicarii Capitulares. — *Cod., c. 286, § 1, et 282.*

a) « Episcopi *titulares* qui in provincia degunt, possunt a præside, cum consensu majoris partis illorum qui cum voto deliberativo intersunt, convocari ; et, si convocentur, votum habent *deliberativum*, nisi aliud in convocatione caveatur. » — *Cod., c. 286, § 2.*

b) « *Capitula cathedralia* aut Consultores diœcesani cujusvi diœcesis cujus Ordinarius ad normam § 1 vocari debet, invitentur ad Concilium, et invitati mittant duos ex capitularibus aut Consultoribus collegialiter designa-

tos, qui tamen obtinent votum tantum *consultivum*. » — *Ibid.*, § 3.

c) « Majores quoque religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum *Superiores*, qui in provincia resideant, invitandi sunt, debentque invitati adesse, aut impedimentum quo detinentur Concilio notum facere ;

» Sed his, quemadmodum aliis ex utroque clero viris ad Concilium forte vocatis, votum est dumtaxat *consultivum*. » — *Ibid.*, § 4.

d) Tandem, ad concilium non *coguntur* quidem, nec proprie *invitantur*, sed *admittuntur* viri ecclesiastici plures qui, a Patribus Officiales concilii constituti, varia officia ac ministeria obeunt, puta *Notarii*, *Secretarii*, *Promotoris ;* dum, præterea, singuli ex Patribus unum aut alterum, vel etiam plures, arbitrio concilii, sibi adsciscunt, veluti *Theologos* et *Canonistas*, quorum doctrina utantur. — *Cf. Ben. XIV*, *De syn.*, *lib. 3*, *cap. 9*.

778. **VII. Si justo impedimento detineantur qui Concilio plenario aut provinciali interesse debent cum voto deliberativo,** « mittant *procuratorem* et impedimentum probent ». — *Cod.*, *c. 287*, § *1*.

a) « Procurator, si fuerit unus ex Patribus quibus est votum deliberativum, *duplici voto* non gaudet ;

» Si non fuerit, habet votum dumtaxat consultivum. » — *Ibid.*, § *2*.

b) Inchoato concilio plenario vel provinciali, « nemini eorum qui interesse debent licet *discedere* nisi justam ob causam, a Legato Pontificio vel a Concilii provincialis Patribus probatam ». — *Cod.*, *c. 289*.

779. **VIII. Ea statuere potest concilium plenarium vel provinciale,** *secundum* vel *præter canones*, quæ « ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eamdemque disciplinam servandam vel inducendam, opportuna fore pro suo cujusque territorio videantur ». — *Cod.*, *can. 290*. — *Cf. Trid.*, XXIV, *2*, *De ref.*

a) « In Concilio sive plenario sive provinciali, præses, habito, si de provinciali agatur, Patrum consensu, determinat ordinem servandum in quæstionibus examinandis ; et ipsum Consilium aperit, transfert, prorogat, absolvit. » — *Cod., c. 288.*

b) Ut decreta concilii provincialis rite condantur, necesse est ut *libere* et *ordinate* discutiantur.

Ideo, ex praxi vigente, a Metropolita et Episcopis comprovincialibus *schemata* decretorum præparantur, quæ, tum in *Commissionibus* specialibus, tum in *Congregationibus* generalibus disceptantur, et denique in *Sessionibus publicis* sollemniter approbantur.

780. **IX. Absoluto Concilio plenario aut provinciali :**

a) « Præses acta et decreta omnia ad *Sanctam Sedem* transmittat, nec eadem antea promulgentur quam a Sacra Congregatione Concilii expensa et *recognita* fuerint ». — *Cod., c. 291,* § *1.* — *Cf. Bened. XIV, De syn., lib. 13, c. 3.*

b) Approbatio dari potest : vel in forma *communi*, vel in forma *specifica.*

1° Approbatio *in forma communi* testatur tantum nihil in actis a S. Congregatione revisis et correctis contineri quod sit censura dignum, aut saltem tolerari non possit.

Et *regulariter* non fit nisi hæc simplex revisio decretorum a Sacra Congregatione.

2° Possunt tamen, expostulante Metropolitano, decreta concilii provincialis, non solum a S. Cong. Concilii recognosci, et, si opus fuerit, emendari, verum etiama S. Pontifice per Apostolicas litteras *confirmari.*

Quo in casu acta dicuntur approbata *in forma specifica*, et non possunt a Metropolitano, neque ab alio concilio provinciali, sine Romani Pontificis licentia, corrigi aut immutari ; siquidem obligant perinde ac si essent constitutiones a summo Legislatore *motu proprio* editæ.

Verum hæc specialis confirmatio nequaquam extendit decreta ad *universalem* Ecclesiam, nisi aliter expresserit Pontifex, vel quædam hujusmodi decreta in Corpore juris communis retulerit. — *Cf. Bened. XIV, loc. cit., n. 5.*

781. **X. Modum promulgationis decretorum** « ipsimet Concilii Patres designent », et *tempus* quo decreta promulgata obligare incipiant. — *Cod., c. 291, § 1.*

a) Decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata « obligant in suo cujusque *territorio universo ;*

b) » Nec Ordinarii locorum ab iisdem *dispensare* possunt nisi in casibus *particularibus* et justa de causa ». — *Cod., c. 291, § 2.*

CAPUT X

DE EPISCOPIS TITULARIBUS ET DE EPISCOPO COADJUTORE

Sunt qui, licet Ordinem episcopalem acceperint, non tamen adnumerantur Ordinariis locorum. — Ex his autem quidam assumuntur ut Coadjutores Episcoporum.

ARTICULUS I

DE EPISCOPIS TITULARIBUS

782. **I. Episcopi titulares sunt** Prælati episcopali charactere insignitii, quos S. Pontifex promovere solet ad titulum *antiquæ sedis episcopalis,* nunc destructæ, atque (saltem usque ad recentiora tempora) sitæ in terris infidelium dominationi subjectis.

Isti vulgo dicebantur Episcopi « *in partibus infidelium* » ; sed, ex decisione S. C. de Propag. Fide, *27 feb. 1882*, quam Summus Pontifex approbavit, abrogata est hæc formula, cui alia substituitur nomen regionis indicans, ex. gr. *N.*, *Episcopus Corinthius*, *in Achaia :* vel *N.*, *Episcopus Corinthius.*

Complures enim sedes non amplius sub dominatione infidelium constitutæ sunt.

Præterea, ad vitandam confusionem inter Episcopos non residentes et eos qui alicujus diœcesis regimini præpositi sunt, priores Episcopi, nec non eorum ecclesiæ, *Titulares* appellandi sunt.

a) Quæ jure divino aut ecclesiastico Ordini episcopali adnectuntur, Episcopi titulares *valide* exercent ; verum *pontificalia* exercere non possunt sine expresso vel saltem rationabiliter præsumpto consensu Ordinarii loci ;

b) Nam, licet fœdere spirituali cum suis ecclesiis conjuncti sint, nullam tamen possunt exercere potestatem in sua diœcesi, cujus *curam actualem* S. Pontifex sibi reservat et *Vicario Apostolico* committit.

c) Ideo nec diœcesis *possessionem* capiunt, nec tenentur obligatione pro ea Missæ sacrificium offerendi. — *Cod., c. 348, § 1. — Cf. n. 735.*

783. **II. Justissimis de causis, perseverat vetus Ecclesiæ praxis Episcopos Titulares creandi.**

a) Una est, ne antiquarum ecclesiarum cathedralium dignitas et *memoria* penitus obliteretur, quæ florentissimæ olim, nunc sub infidelium jugo ingemiscunt. — *Ben. XIV, De syn., lib. 2, cap. 7.*

b) Præterea, « oportet aliquem existere cui singulariter incumbat, si non regere captivam illam miseri gregis portionem, preces saltem ac lacrymas pro eadem ad misericordiarum Patrem assidue effundere ». — *Leonis XIII constit. In suprema, 4 id. jun. 1882.*

c) Expedit quoque Romanis Pontificibus *præsto esse quosdam Episcopos :* qui sibi adsistant in Apostolico obeundo ministerio, et *quorum opera utantur* in iis quæ nonnisi Episcopis decet committere ; vel tanquam *Coadjutores*, sive temporanei sive perpetui, deputentur ad Episcopos qui amplissimas diœceses tenent, aut præ infirmitate impares sunt oneri regiminis episcopalis. — *Cf. n. 561, sq., ubi de Vicariis Apostolicis ; et Ben. XIV, loc. cit., n. 1.*

ARTICULUS II

DE EPISCOPO COADJUTORE

784. **I. Episcopus Coadjutor est ille** qui a potestate legitima constituitur, cum officio adjuvandi Episcopum in diœcesis administratione.

a) « Coadjutor dari solet *personæ* Episcopi, cum *jure successionis ;* sed nonnunquam datur quoque *sedi.*

b) » Coadjutor datus *personæ* Episcopi sine jure successionis, speciali nomine dicitur *Auxiliaris.* » — *Cod., can. 350, § 2 et 3.*

785. **II. « Unius Romani Pontificis est Episcopo Coadjutorem constituere. »** — *Cod., ibid., § 1. — Cf. Trid., XXV, 7, de ref.*

a) In diœcesibus in quibus Episcopi electio ad Capitulum pertinet, non potest S. Pontifex constituere Coad-

jutorem cum futura successione absque *Capituli consensu*, nisi derogando juri Canonicorum ad quos spectat, mortuo Episcopo, ipsius successorem eligere.

Idem dicendum est de consensu *Gubernii civilis* ubi, ex concessione S. Pontificis, Episcopi ab ipso præsentantur.

b) Dotes ad episcopatum requisitas præ se ferre debet Coadjutor, examinandas a Sacra Congregatione Consistoriali ; et *titulum* obtinet ecclesiæ exsistentis in regionibus infidelium *(cf. n. 782)*, quem titulum amittit statim ac suscipit regimen diœcesis ut Pastor *ordinarius*, si sit cum futura successione. — *Cf. Trid., loc. cit.*

786. **III. Ut canonicam sui officii possessionem capiat,**

a) Necesse est ut quilibet coadjutor « *litteras Apostolicas* ostendat Episcopo ». — *Cod., c. 353,* § *1.*

« Coadjutor *cum futura successione*, et Coadjutor *sedi* datus, debent præterea easdem ostendere *Capitulo*, ad normam can. 334, § 3. » — *Ibid.*, § *2.* — *Cf. n. 601.*

b) Si Episcopus « in eum statum inciderit ut eliciendi actus humani sit impos », solum hoc alterum præceptum « ab omnibus Coadjutoribus servetur ». — *Ibid.*, § *3.*

787. **IV.** « **Jura Coadjutoris dati personæ Episcopi** desumantur ex litteris apostolicis quibus constituitur.

a) » Nisi aliud in his litteris caveatur, Coadjutor qui datur Episcopo *prorsus inhabili*, habet omnia jura ac officia episcopalia ; *ceteri* tantum possunt quantum Episcopus eisdem commiserit.

b) » Quæ Coadjutor potest et vult exercere, Coadjutus habitualiter alii ne deleget.

c) » Coadjutor, justo impedimento non detentus, debet, quoties fuerit *a Coadjuto requisitus*, pontificalia et alias functiones obire ad quas Episcopus ipse teneretur. » — *Cod., c. 351.*

788. **V.** « **Coadjutor sedi datus :**

a) » Potest in territorio ea quæ sunt *ordinis episcopalis* exercere, excepta sacra Ordinatione ;

b) » Aliis in rebus, tantum potest quantum eidem *a Sancta Sede* vel *ab Episcopo* fuerit commissum. » — *Cod., can. 352.*

c) « Coadjutor quilibet obligatione tenetur, sicut Episcopus, *residendi* in diœcesi, e qua, extra tempus vacationum, ad normam can. 338, ipsi non licet, nisi ad breve tempus, Coadjuto permittente, discedere. » — *Cod., c. 354.*

789. **VI. Vacante sede episcopali :**

a) Coadjutor cum *jure successionis* « statim evadit *Ordinarius diœcesis* pro qua fuerat constitutus, dummodo possessionem legitime ceperit ad normam can. 353.

b) » Cum Episcopi munere exspirat *Auxiliaris* officium, nisi aliud in litteris apostolicis caveatur.

c) » Si Coadjutor datus fuerit *sedi*, ejus officium etiam *sede vacante* perdurat. » — *Cod., c. 355.*

CAPUT XI

DE PRÆLATIS INFERIORIBUS

Prælati, vel ideo appellantur ex indole eorum *officii*, vel hoc titulo *honoris* tantum causa ab Apostolica Sede donati sunt.

ARTICULUS I

DE PRÆLATIS JURISDICTIONEM HABENTIBUS

790. **I. Prælati, proprio nomine, in jure dicuntur** « clerici, sive sæculares sive religiosi, qui *jurisdictionem ordinariam* in *foro externo* obtinent ». — *Cod., c. 110.*

Iis qui titulo vicariali hanc jurisdictionem obtinent, aut honoris causa Prælati nomine decorantur, non nisi *lato sensu* congruit hoc Prælati nomen. — *Cf. n. 842.*

a) « Prælati qui præsunt territorio proprio, separato ab omni diœcesi, cum clero et populo, dicuntur Abbates vel Prælati *nullius*, nempe diœcesis, prout eorum ecclesia dignitate abbatiali vel simpliciter prælatitia gaudet. » — *Cod., c. 319, § 1.*

b) Abbatia vel prælatura *nullius*, tribus saltem *parœciis* non constans, « singulari jure regitur, nec eidem applicantur quæ canones statuunt de abbatiis vel prælaturis *nullius* ». — *Ibid., § 2.*

791. **II. A Romano Pontifice nominantur et instituautur Abbates vel Prælati nullius** « salvo jure electionis aut præsentationis si cui legitime competat : quo in casu ab eodem Romano Pontifice *confirmari* aut institui debent ». — *Cod., c. 320, § 1.*

a) Assumendi ad abbatiam vel prælaturam *nullius* « iisdem qualitatibus ornati esse debent quas jus in *Episcopis* requirit ». — *Ibid., § 2.*

b) Si cui collegio est jus *eligendi* Abbatem vel Prælatum *nullius*, « ad validam electionem requiritur numerus suffragiorum absolute major, demptis suffragiis nullis, firmo peculiari jure quod majorem suffragiorum numerum exigat ». — *Cod., c. 321.*

c) Abbas vel Prælatus *nullius* « nequit quovis titulo, sive per se sive per alios, in regimen abbatiæ vel prælaturæ se ingerere, antequam ejusdem *possessionem* ceperit, ad normam can. 334, § 3 ». — *Cod., c. 322, § 1. — Cf. n. 601.*

792. **III. Benedictionem** ab Episcopo *quem maluerint*, « intra *tres menses* a receptis litteris apostolicis, cessante legitimo impedimento », accipiant « Abbates vel Prælati *nullius* qui, ex præcepto apostolico vel ex propriæ religionis constitutionibus, benedici debent ». — *Cod., can. 322, § 2.*

Abbas vel Prælatus *nullius* qui, contra hoc præscriptum, benedictionem *non receperit* « est ipso facto a jurisdictione suspensus ». — *Cod., c. 2402.*

793. **IV. Potestates ordinarias et obligationes « quæ Episcopis residentialibus in propria diœcesi competunt »** easdem cum iisdem sanctionibus habet Abbas vel Prælatus *nullius*. — *Cod., c. 323, § 1.*

a) Si charactere episcopali non sit ornatus, et benedictionem, si eam recipere debet, receperit, « præter alia munera quæ in can. 294, § 2 *(cf. n. 562, a)* describuntur, potest quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare ». — *Cod., ibid., § 2.*

b) Quod attinet ad *Vicarii Generalis* constitutionem, « serventur præscripta can. 366-371 » de Episcopi Vicario generali. — *Ibid., § 3. — Cf. n. 836, sq.*

c) Capitulum *religiosum* abbatiæ vel prælaturæ *nullius* « regitur propriis legibus ac constitutionibus ; Capitulum *sæculare*, jure communi ». — *Cod., c. 324.*

d) Si prælatura sæcularis Capitulo careat, « eligantur *consultores* ad normam can. 423-428 ». — *Cod., c. 326. — Cf. num. 832, sq.*

794. **V. Licet charactere episcopali careat :**

a) Abbas vel Prælatus *nullius* « utitur tamen in proprio territorio insignibus pontificalibus cum throno ac baldachino et jure ibidem officia divina pontificali ritu celebrandi ;

b) » Crucem autem pectoralem, annulum cum gemma, ac pileolum violaceum potest etiam extra territorium deferre ». — *Cod., c. 325.*

795. **VI. Abbatia vel prælatura nullius vacante :**

a) « Si agatur de abbatia vel prælatura *religiosa*, succedit Capitulum religiosorum, nisi constitutiones aliud ferant ; si de *sæculari*, Capitulum canonicorum ;

b) » Utrumque autem Capitulum intra octiduum debet *Vicarium Capitularem* deputare, ad normam canonum 432, sq., qui abbatiam vel prælaturam regat usque ad novi Abbatis vel Prælati electionem. » — *Cod., c. 327, § 1. — Cf. n. 863.*

ARTICULUS II

DE PRÆLATIS NON HABENTIBUS JURISDICTIONEM

796. **I. Honoris causa** aliqui clerici titulo Prælati decorantur, sine ulla jurisdictione. — *Cf. Cod., c. 110.*

« Circa *Romani Pontificis Familiares*, sive prælati titulo gaudeant, sive non, standum est privilegiis, regulis et traditionibus Pontificiæ domus. » — *Cod., c. 328.*

797. **II. Protonotarii Apostolici** originem ducunt a Sancto Clemente I, qui, ad conscribendum *Acta Martyrum*, « viros adlegavit pietate, prudentia studioque religionis spectatos, *Notarios* primum, ac deinde, honoris ac dignitatis causa, *Protonotarios* nuncupatos ». — *Pii VII constit. Cum innumeri, idibus dec. 1818.*

« Pace demum Ecclesiæ feliciter data, *non inde tamen Protonotariorum munus sublatum est ;* sed.... demandatum iisdem est : studiose describere quæ de fide ac disciplina decernebantur ; eaque, et cætera omnia rei sacræ monumenta, apte periteque notare ; atque, una cum Actis Martyrum, in scriniis Ecclesiæ recondita, ad posteritatis memoriam custodire. » — *Pii VII cit. constit.*

798. **III. Quatuor habentur Protonotariorum ordines.**

a) Protonotarii *de numero Participantium* in Curia Romana officium habent cum dignitate ; unde participant ejusdem officii emolumenta. — *Septem* sunt qui Collegium *privative* constituunt.

Horum *privilegia*, jura, prærogativæ et exemptiones, determinantur in constitutione Pii IX *Quamvis peculiares*, 9 feb. 1853 ; et hæc, paucis exceptis, nuper confirmavit Pius X, *motu proprio « Inter multiplices », 21 feb. 1905, n. 3.*

b) Protonotarii Apostolici *supranumerarii* ordinem constituunt ad quem « nemo tanquam *privatus* aggregabitur ; sed iis tantum aditus fiet qui *canonicatu* potiuntur in tribus Capitulis ecclesiarum Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis ecclesiæ, Vaticanæ ac Liberianæ ; itemque iis qui dignitate aut canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quarumdam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda ». — *Pii X constit. cit., n. 13.*

Eorum *privilegia* ibidem recensentur. Verum, cum eadem *collective* cœtui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tanquam *singuli*, iis uti nequibunt « nisi prius a Summo Pontifice inter Prælatos Domesticos, per Breve, adscripti sint ». — *Ibid., n. 13 et 14.*

c) Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar Participantium* « illi viri ecclesiastici adnumerantur quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit ; ac præterea Dignitates et Canonici alicujus Capituli præstantioris, quibus *collegialiter* titulus et privilegia Protonotariorum cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab Apostolica Sede collata ». — *Ibid., n. 42.*

De eorum *privilegiis* et juribus, cf. eamdem Pii X constitutionem, *num. 45, sq.*

d) Protonotarii Apostolici *Titulares* seu *Honorarii* sunt « Prælati extra Urbem qui tamen subjecti omnino remanent locorum Ordinariis, Prælatorum Domus Pontificiæ honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur ». — *Pii X motu proprio Inter multiplices, n. 63.*

1° « Si hujusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicorum *cœtui* collective ab Apostolica Sede conferatur, eo ipso quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consecutus, Protonotarius nuncupabitur. » — *Ibid., n. 61.*

2° « Pariter, qui *Vicarii generalis*, aut etiam *Capitularis* munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis ; hinc, si dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gau-

deat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii prælatitio jure utetur. » — *Ibid.*, *n. 62.*

3° « In *sacris functionibus*, extra Urbem, rite utuntur *habitu prælatitio* nigri ex integro *coloris*, id est veste talari, etiam si libeat cum cauda (nunquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a læva pendentibus, Rocheto, Mantelleto et bireto, absque ulla horum omnino parte subsuto aut ornamento alterius coloris. » — *Ibid.*, *n. 64.*

4° « Habitu prælatitio induti, omnibus Clericis, Presbyteris, etiam Canonicis singulatim sumptis, *præferantur*, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, *collegialiter* convenientibus, neque Vicariis generalibus et Capitularibus, aut Superioribus generalibus Ordinum regularium, et Abbatibus, ac Prælatis Romanæ Curiæ ; non genuflectunt ad Crucem, nec ad Episcopum, sed tantum se inclinant ; ac duplici ductu thurificantur. » — *Ibid.*, *n. 66.*

5° « *Sacris operantes*, a simplicibus sacerdotibus minime differant. Attamen, extra Urbem, in Missis ac Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, *palmatoria* tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili. » — *Ibid.*, *n. 70.*

6° Qui, ob Canonicatum, Dignitatem aut Vicariatum, Protonotariatu Apostolico potiti fuerint, memoratis honoribus et privilegiis « tantummodo *intra propriæ diœcesis limites* uti poterunt ». — Et « si, quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu *cessent*, eo ipso, titulo, honoribus et juribus ipsius Protonotariatus excident ». — *Ibid.*, *n. 74 et 76.* — *Cf. S. C. Rit. declarationem*, *14 mart. 1906.*

FINIS TOMI PRIMI

BESANÇON. — IMPRIMERIE JACQUES ET DEMONTROND